



V
B J
C
58971
III

SCHEMA REGULARE SEU SERMONES CLAUSTRALES.

INSTITUTIONI & EXORNATIONI SPIRITUALI RELIGIOSORUM, IMO QUORUMVIS CHRISTIANORUM

DESERVIENTES.

A

Fr: BARTHOLOMÆO SOTAREVIO Ordinis Sancti PAULI, Primi Eremitæ Presbytero.

FACTI ET EVULGATI.

Anno Domini 1694.



Typis CLARI MONTIS Czestochoviensis.





Quidquid agunt homines; votum, timor, ira, voluptas,
Gaudia, discursus, nostri est farrago libelli.

Inven: Satyra 19.







REVERENDISSIMO PERILLUSTRI AMPLISSIMO

AC

EXIMIO DOMINO
D. BALTHASARI

DE GERBERT & HORNAV

SACRI ET CANDIDISSIMI PRÆMONSTRATENSIS ORDINIS

PRÆLATO INFULATO,

Celeberrimi ac Ducalis Monasterij Sacrarum Virginum in Czarnowans Præposito, SS. Theologiæ Doctori, Protonotario Apostolico,

Nec non

DUCATUUM OPPOLIENSIS & RATTIBORIENSIS

SENIORI

Et Wratislaviam ad Publica Deputato Plenipotentiario

SACRÆ CÆSAREÆ MAIESTATIS

CONSILIARIO

DOMINO ac PATRONO COLENDISSIMO

Author D. D. D.



Lures sunt anni â quo Philosophiæ meæ theoremata Vestræ REVERENDISSIMÆ Dominationi *dedicaveram: liceat item, jam non stagiriticas sed asceticas lucubrationes eiusdem honori consecrare* REVERENDISSIME Domine. *Ad Tuæ amplissimæ humanitatis cum qualibuscunq; opellis meis convolo sinum ut qui experimento didicerim gratum Tibi esse id omne quidquid vel eruditionem resipit vel redolet pietatem. Ipsum candidissimum quod profiteris institutum cuius ubiq; terrarum sanctam invidenda ambitione sectamur colimusvè amicitiam, rapit me in Tuos amores, & Tuam ut thesaùrizem gratiam mandat. Lilium est D.* NORBERTUS: *sic enim cœlis inferri visus; floridos habet & Filios. In Lilio quis eximium non miretur candorem? quis folia foris striata & ab angustijs in latitudinem paulatim se laxantia non suspiciat? quis resupina per ambitum labra non amet? quis demum stantes in medio calathi crocos non lubens aspiciat? Sanè tanti nominis tantæq; gratiæ flos hic, ut ipsum omnipotens* VERBUM *magnificam ei texuerit panegyrim, gloriamq; Salomonis, eius induviis postposuerit. Ad illud mea tendit oratio, Te velut Lilium miraculo mihi esse. Non enim tunc solùm beatũ me censui cùm mihi amabilissima* REVEREN-

DISSIMÆ Dominationis *frui concessum præsentia sed etiam nunc quoties meam incurris mentem, candorem Tuum demiror; mores Tuos suaviter se cuivis aperientes laxantesue veneror: flammantes instar croci ad* DEUM *affectus reminiscor. Verum quantillum id, quòd meæ humilitatis in Te obtendo studia, & quæ silentio premere debueram, amoris ac admirationis vulgo officia. Hoc certe nihil est, si lauderis amerisq; à mea parvitate. Illa demum genuina laus Tua est quod Augustissimi Imperatoris pectus Tuis impleveris amoribus: quod in Tribunalibus centumvirales decidis causas: Præsidemq; Te suæ Maiestatis Areopagus veneratur. Nosti nimirum quid Cæsaris quid Christi velint leges? quid Papinianus quid Paulus præcipiat, probè calles: salva ergò Te Iudice æquitas, salva Te Arbitro conscientia. Quisq; iuris sui prærogativâ gaudet, cui sententiæ Tuæ suffragio niti datum. Almum Sacrarum Virginum cætum sic regis sic instruis sic tutaris ut nihil reliqvum sit quod vel ad regimen ipsarum uel ad institutionem vel ad tutelam desiderari possit. Nec leve id curarum genus solicita providere mente ne flammeo Christi consecratæ Virgines feriantur à malleo universæ terræ: ne bibant de aureo calice Babylonis: ne egrediantur cum Dina velintq; videre filias alienæ regionis; infirmioremq; sexum per angustos religiosæ perfectionis calles ad augusta cælorum theatra ducere. Sed & dignitas magna muneris laborisq; huius vel inde claret quòd Hieronymus Lætæ scribens, multò gloriosiorem se mundi philosophò æstimavit, si non Regem Macedonum Babylonio periturum veneno, at ancillam & sponsam Christi erudiret regnis cælestibus inferendam. Ædificia quid memorem? Si laudes Tuas homines tacuerint, ipsi lapides in Ecclesia quam erexisti: in Monasterio quod ædificasti & ampliasti: in mænibus quibus totum vallasti cænobium, clamabunt. Prætereo decorem domus divinæ sacramq; gazam nobilibus à Te auctam incrementis: taceo tiaræ qua Czarnowansensem Prælaturam decorasti, accessionem: mitto bonorum variorum seu vindicationes seu aggregationes: alijs hæc memoranda relinquo; mihi suffecerit si morum gestorumq; Tuorum splendorem imbecillitas oculorum meorum ferre sustineat. Omnia quæ recensui & reticui in Te refulgentia merita, à cruce gentilitia nec illa vacua sed Panis cœlestis ferculum sustentante nobilitantur.* Regum purpuras & ardentes diadematum gemmas patibuli salutaris pictura condecorat *ait quidam. Etiam infulas Tuas & cuncta virtutis honorisq; Tui insignia* CRUX *illustrat. Sub hanc ergò & me & quidquid id laboris est quod* REVERENDISSIMÆ Dominationis *nomini consecravi proijcio, nullibi serenior quàm sub hac umbra: nullibi tutior quam sub hoc scipione: nullibi plenior quàm sub hac mensa futurus. Non reijcies quem iam candidissimo pectore complexus es: & vile apophoretum inter publicas privatasq; curas Tuis tractare manibus non dedignaberis.* Sit locus & nostris aliqua Tibi parte libellis. *quibus sinum Tuum repandi supplici voto postulo:*

Admittas timidam brevemq; chartam
Intra limina sanctioris aulæ *Mart:*

Ita precor.

Vestræ REVERENDISSIMÆ Perillustris & Amplissimæ Dominationis.

Servus & Cliens.

Fr. Bartholomæus Sotarevius Ordinis S. Pauli Primi
Eremitæ Provinciæ Polonæ Vicarius *m.pp.*



AD LECTOREM.



HAbes candide Lector sermones quos feci non tam fratrum meorum instructioni, quàm meiipsius dum tepesco, ad amorem divinum culturamque pietatis redaccensioni. De Asceticis proficiendi vijs vel deficiendi vitijs multi quidem multa scripserunt; neque tamen actum ago dum spirituáles posteritati consigno institutiones. Quippe etiam una atque eadem esca in varijs scitamentorum, minutalium, edipnidarum artificijs mensæ multoties apponi solet. Operi isti benevolis (invidos & criticos non moror) forsitan placituro, ea sufficiet merces si mores meos ex ijs quæ hîc leges æstimare nolis. Scis certè non esse insolens, quòd deformis formoso speculum teneat, cæcus videntibus prætendat lumen & claudus sanis gressu viam aperiat. *Non moneo quod ipse poßim, sed quid debeat velle, qui servus futurus est Christi.* *Hie: ad Iul.* *Fungor vice cotis acutum reddere quæ soleat ferrum exors ipsa secandi.* *Horat: lib: 1. de arte.* Si paginas libri huius verecundari advertetis, ne mirêre. *Erubescit enim quamvis præclara doctrina quam propria reprehendit conscientia.* *Hieron: ad Principiã.* Clarus & facilis laboravi esse ne mihi tantum & Musis cecinisse dicerer. Pigmenta quoque verborum & colores rhethoricos interdùm adhibui non ut in ijs occupetur lector, sed ut ad medullam rei gustandam exteriore provocetur ornatu. Nimirum & ægris pharmaca vel inaurata vel dipasmate fragrantia porriguntur; & Chirurgi vulneribus non tantum imponunt emplastra, sed etiam aptè decenterqué alligant; & pueri citius ardentiusqué discunt ex libris pelle Babylonica obductis ac pumice expolitis. Quod singulis sermonibus distinctas tractem materias, & vel virtutem suadeam, vel vitium dissuadeam vel certum virtutis instrumentum proponam, feci ideo, quia fructuosius rebar cum dicendi servare ordinem, quàm semper in confuso perfectionis studium ingerere semperqué inter longas & crebras concionis oscitationes, divinorum ac regularium statutorum observantiam commendare. Unusquisquè in suo abundat sensu. Non omnibus una verbi divini placet methodus. Verumtamen si meum aperire liceat sensum, vix credo aliquem posse fieri fructum ex catechesibus quarum materia non alia unquam nisi virtutis cultus aut fuga vitij in communi. Sanè magis faciunt ad sanitatem imò & ad gulam missus scorsivi & singula fercula separatim masticata, quàm si omnia in unam cõmisceas gabatam manducanda. Quia vero in volumine hoc aliqui longiùs protenduntur sermones, eos pro arbitrio contrahas licet, aut partiaris in plures, qui etiam mihi ipsi usus fuit. Eg: de SS. Sacramento in 4. Exhortationes commodè secari potest: de Immaculata Conceptione, de Patientia, de Oratione, &c. in duas vel tres. Facilius equidem est ex toga sinthesim aut thoracem facere quàm è contra.

Cum oratoris sit docere & movere, prius intellectum instruo; post, voluntatem quæ suapte naturâ ductum sequitur intellectus, permoveo. *Duplex oratoris munus.* Absque præceptionibus & instructionibus prævijs concitatiorem ad bonum velle facere auditorem, est velle cæco persuadere ut non cespitet in via & recto gradiatur passu. Non placent Concionatores illi, qui toti in eo sunt ut vocis clamore, gestuum signis, corporis motibus loquantur rem factam putantes si affectuosè perorent, si vibratione manuum, agitatione capitis, flexione sui ipsius, rudes ut ante nihiloqué sanctarum rerum peritiores audientes in stuporem vertant, mimi potius & ethologi quemadmodum eos vocat Cicero, quàm Oratores. *Libr: 2. de Orat:*

Illud inter cætera nosse te cupio amice Lector, pauca hîc è meo nata capite: ex scriptura, ex SS. Patribus, ex probatis Authoribus venire plane omnia. Potissima testimoniorum pars fertur in acceptum D. Hieronymo, cuius lectione prima sacratioris & politioris literaturæ elementa cæpi discere: utquemadmodum Homerocentonas ac Virgiliocentonas legisse te arbitror, sic scripta hæc qualiacunque si Hieronymocentonas appelles, tantum abest ut succenseam ut potiùs gratias habeam. Et è spiritu-

alibus

Libellorũ spiritualiũ utilitas. alibus Thomæ Kempensis, Didaci, Teretij, Eggerer, atque aliorum minutis libellis suus operi accedit nitor. Nam & apiculæ ex minimis mel dulce legunt flosculis: & viles virgulæ pretiosa sudant balsama. atque ubi non Tullius sed Spiritus Sanctus loquitur non potest non sequi uberrimus lectionis fructus.

Opus in quatuor distinctum partes. Prima de Religiosorum votis & actibus. Secunda de Proprietatibus. Tertia de Virtutibus. Quarta de vitijs eorundem tractat. Seriem & ordinem dicendorum subiecta proponit tabula.

Quûm acrimoniam multam reperies, ne offendare. Citius compungunt quæ pungunt. Morsu aceti fraudatus cibus non movet esuritionem: & sine sale edulium insipidum est.

Mar: lib:7 ep: 22.

Infanti melimela dato fatuasq; mariscas.
Nam mihi quæ novit pungere Chia sapit.

Schematis præfixi titulum: nihil novi obscurivè & quod Apolline egeat adducens. *Verbis* quippe juxta Oratorem Romanum *uti debemus quæ nobis nota sint, ne, ut quidam, græca vocabula inculcantes, jure optimo rideamur.* Vocabulum *schematis* in vitis PP. & nostris antiquitatibus frequentissimũ est, quo habitus seu ornatus ut plurimũ religiosus significatur. Solemne porrò est, vestimentum pro doctrina accipi & vicissim doctrinam per vestimentum designari: unde vestis Aaron pectori ornando ex auro & quatuor texta coloribus, *rationale*, græcè *logion* vocabatur: cui etiam manifestatio vel doctrina & veritas inserta fuit. *In rationali veritas est*, ait Hieronymus, *id est scientia ut noverit*, qui eo indutus est, *quæ dicenda sint: & manifestatio atque doctrina, ut possit instruere alios quod mente concepit.* Idem infra: *Id ipsum Moyses quod Apostolus. Ille Sacerdotis scientiam ornat in vestibus: iste Timotheum & Titum instruit disciplinis.* ubi vestes & disciplinas pro eodem accipi advertis.

Ad Fabiolã de vestibus Sacerd.

Ad extremum, quidquid laboris dogmatisque ad usque minimum apicem in volumine hoc continetur, judicio Maiorum submitto & Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ sensui plenissimè subijcio, ne latum quidem unguem à sacrosanctis Apostolicæ Romanæ sedis legibus recedere cupiens: apud quam incorrupta fidei servatur hæreditas & dominici seminis puritas centeno redit fructu. Illud cum Kery nostro protestor ita me affectum animo esse ut malim lucubrationes meas igni tradere quàm ut ijs insit quidpiam voluntati decretisque sedis illius repugnans. Vale benevole Lector: & non eruditionem nostram quæ vel nulla vel parva est, sed pronam in te suscipe voluntatem.

Ad Damasum.

In præf: ad Decreta Pontif.

TABU-



TABVLA

OCULIS SUBIJCIENS SERIEM
& ordinem materiarum huius voluminis.

VOTA ESSENTIALIA RELIGIOSORUM.

Obedientia.
Castitas.
Paupertas.

ACTUS.

Quatuor actus spirituales.
Exercitia spiritualia.
Labor manualis & studiũ sacrum.
Oratio.
Rosarium.
Contemplatio gaudiorum cæli.
Psalmodia.
Memoria mortis.
Consideratio judicij extremi.
Recogitatio pœnarum inferni.
Lectio.
Devota Missæ celebratio.

PROPRIETATES.

Solitudo claustralis.
Observantiæ regulares ubi de silentio, socialitate in eundo &c.
Iejunium.
Verecũdia & custodia sensuum potissimum oculorum.
Honestas.
Amor disciplinæ.
Honor & observantia erga alios.
Fervor spiritûs.
Lætitia spiritualis.
Pax cordis.
Pax cum alijs seu concordia.
Contemptus mundi.
Mortificatio carnis.
Mortificatio passionum.
Devotio ad Passionem Domini.
Devotio ad SS. Eucharistiam.
Devotio ad Beatissimam Virginem.
Abnegatio voluntatis propriæ.
Timor Domini.

VIRTUTES.

Pœnitentia.
Humilitas.
Mansuetudo.
Magnanimitas.
Abstinentia.
Patientia.
Modestia.
Perseverantia.
Misericordia.
Religio.

VITIA.

Superbia.
Hypocrisis.
Murmur.
Cogitationes malæ.
Iudicium temerarium.
Injuriæ linguæ.
Inanis gloria cum reliquis vitijs Capitalibus.



IUDI-



IVDICIVM.

THEOLOGORUM ORDINIS.

EX mandato Adm̃ Rdi: P. Fr: NICOLAI SOTAREWICZ, Sacræ Th: Doctoris, Ordinis Fratrum Eremitarum S. PAULI Primi Eremitæ per utramq; Poloniam, Silesiam & Pomeraniam Prioris Provincialis, Opus præsens, sub titulo SCHEMA REGULARE, seu sermones Claustrales Authore R. in Christo Patre BARTHOLOMÆO SOTAREVIO, eiusdem Ordinis nostri Sacræ Th: Doctore, Provinciæ Polonæ Vicario, uti attento legi oculo, ita jucundissimo excepi animo: & quia nihil in eo Christianis moribus dissonum, aut Orthodoxæ Romanæ fidei contrarium reperi, quin imò omnia, augendo spirituali profectui accõmodatissima inveni, ideo idem opus, luce publicâ dignissimũ judico. Ac sicut Eremi nostræ Paulinæ desertum vox hæc felicissimè concussit, ità quod & alibi uberrimos sanctioris vitæ sit paritura fructus, candidè promitto. Łęczeszycijs die 3. Aprilis 1693.

F. Augustinus Widz Sacræ Th: Doct: C. Ł. P. *Definitor P.*

EGo infrascriptus, Opus sub titulo SCHEMA REGULARE à Rdo: P. BARTHOLOMÆO SOTAREVIO Sacræ Th: D. Ord: Nostri Polonæ Provinciæ Vicario compositum, attentus legi, illudque tanquam apprimè èlaboratum, ordinatè digestum ac omni utilitate & svavitate plenum in lucem èdi posse censeo & opto. Datum in nostro ad SS. TRINITATEM Conventu Głogoviensi. Anno Dni 1693. die 12. Mensis Aprilis.

Fr: Samuel Márbin Sac: Th: Doctor,
pro tunc prætacti Conventus Prior.

LICENTIA REVERENDISSIMI PATRIS *GENERALIS.*

LIber cui titulus: SCHEMA REGULARE seu SERMONES CLAUSTRALES, per Reverẽdum Patrem Fratrem BARTHOLOMÆUM SOTAREVIUM Ordinis nostri in Polonia Vicarium Provincialem Sacræ Th: Doctorem compositus atque à duobus Theologis nostris revisus & approbatus ut typis evulgetur, si ijs ad quos spectat videbitur, facultatem damus. Ex Conventu residentiæ nostræ MARIÆ Thallensi Anno Domini 1693. die 16. Maij.

(L.S.)

Fr: Ludovicus Barilowich Ord: S. Pauli Primi
Eremitæ Prior Generalis.
mpp:

Imprimatur.

M. FRANCISCUS PRZEWOSKI, Sacræ Theologiæ Doctor; Præpositus Sanctorum Omnium Crac: ad S. Florianum Custos, Scholasticus Curelovienſis, Librorum Ordinarius Censor.

mpp.



PARS I.

DE VOTIS ET ACTIBUS RELIGIOSORUM.

VITA & VOTA RELIGIOSA COMMENDANTUR.

VOcatis ad vitam Religiosam nihil æque necessarium est ac dignitatem status sui frequenti recolere meditatione. Quomodo enim pro vocatione sua ferventer ac sæpenumero Divinæ maiestati agent gratias quomodo indefesso studio in servitio DEI, in custodia mandatorum DEI votorumq; essentialium, in observantia Regulari perfectionisq; amore & cura persistent, si vocationis suæ præcellentiam diligenti trutina sæpe sæpius non perpenderint? Hanc porro ex sacris literis & discere & producere minime operosum.

Pulchritudinem Sponsæ suæ Ecclesiæ depingens in Canticis Christus IESUS decoremque & symmetriam totius corporis ac singillatim membrorum omnium describens, à genis incipit: Pulchræ sunt genæ tuæ sicut turturis. In hebræo textu: *Pulchræ sunt genæ tuæ in ordinibus.* hoc est, in ornamentis dependentium inaurium. Velim scire quid per genas in Corpore Ecclesiæ intelligitur. Expositores sacræ scripturæ plerique in eo conveniunt per genas hasce ornamentis inaurium frontaliumque aureorum decoratas designari viros Ecclesiasticos & vel maximè religiosos. Certe sicut genæ in corpore humano primùm occurrunt aspectibus: ita in corpore Ecclesiæ Status Clericalis ac Monasticus primus omnium humanis objicitur oculis. sicut ex genis unumquemque agnoscimus ita ex Ecclesiastico ac religioso statu in suis utroque manente ordinibus vera dignoscitur Ecclesia. Iam quid pulchrius genis à quibus totius corporis species & decus pendet! Cohæreant licet membra nexu aptissimo invicemq; sibi eleganti iungantur proportione; si malæ deformitatis alicuius malitiam habuerint, integer homo deformis judicabitur. Quid decentius genis & ex inde quod sint sedes verecundiæ roseoque conspersæ colore pudicitiam simul & decorem miro modo præseferant. Unde alibi rubenti malo punico assimilantur: *sicut fragmem mali punici ita genæ tuæ.* Inferre licet. ita quoque nihil pulchrius esse religiosis in Ecclesia. Inde est quòd à Sanctis Patribus & Summis Pontificibus, jam florum, jam gemmarum, jam lapidum pretiosorum honorifico vocantur nomine. Unius profero testimonium Hieronymi. *Flos quidam & pretiosus lapis inter Ecclesiastica ornamenta Monachorum Chorus est.* Ex cuius occasione testimonij alius mihi occurrit in rem nostram scripturisticus locus. Eadem Christi Amica quasi in quodam consistens theatro ac dilecti sociarumq;

Excellentia status religiosi, ex eo quia imò: per genas Corporis Ecclesiæ significatur.

2dò: per liliũ Convallium.

arumq; suarum oculis exposita seipsam absque jactantia tamen commendat & modesta ingenium conditionemque suam exprimit oratione: Ego flos campi & lilium convallium. Quid ita ô Christi soror & Sponsa! In hoc brevi & neruoso sermone duo hominum notantur genera, alterum eorum qui laxiori vitæ deserviunt contenti præcepta tantummodo observare. alterum eorum qui se ad consilia Evangelica obstringunt. Primi sunt flos Campi. Secundi lilium convallium. Campus patens est nullisq; conclusus claustris, convalles eminentioribus claudi videntur montibus ut cum in illis sæcularis vitæ homines designentur, in istis monasticæ vitæ obstricti rectiùs intelligantur. Primi in libertate tanquam flos in patenti campo; secundi sub arctiori disciplina & clausura tanquam lilium convallium inter montium septa, primi sine custodia; secundi sub excubijs. Iam vide mihi inter hæc duo quid præcellit? nonne lilium pulchrius est, jucũdius est, fragrantius est? Ponè præterieram quod vel præcipuum est in eodem Cantico ad nostri confirmationem assumpti. Præfata Christi dilecta in suo Dialogo meminit quoq; lectuli sibi & Christo communis. *Lectulus*, inquit, *noster floridus*. Quis hic amabo lectulus locò plumarum mollium suaveolentibus stratus floribus? Respondet S. Bernardus; *In Ecclesia lectum in quo quiescitur, Claustra existimo esse & Monasteria in quibus quietè à curis vivitur sæculi & solicitudine vitæ atq; is lectus floridus demonstratur cum exemplis & institutis Patrum tanquam quibusdam bene olentibus respersa floribus Fratrum conversatio & vita refulget.* ita ille & bene & more suo mellifluè. Mundanorum vita lectus est imò verius scimpodium aut grabatus vilis isque spinosus spinis undequaq; refertus in quo inquieti girant se in utrumque latus homines; at Religio lectulus est floridus quia in eo suavissime ac placidissimè à sæculi curis requiescitur. O vere insignis excellentia status nostri! O ingens beneficium religiosæ vocationis! cuius ingratos esse grande piaculum. Quid verò in gratiarum actionem Divinæ Maiestati offeremus? Infantilis ætas facile minutis etiam beatur donis. En itaque ego ex præfatis sacræ scripturæ locis proportionata & gratissima infantiæ Christi depromo offerenda à nobis munuscula: Inaures, lilium, & lectulum. Per inaures Obedientia, per lilium Castitas, per lectulum paupertas quietis mater signatur.

Pannon: in Cantica.

[Lec]tio: per lectulum floridum.

Obedientia gratior est Christo omnibus alijs virtutibus si Sancto Augustino credimus qui libro de Obedientia ait: *Nihil sic Deo placet quemadmodum obedientia. Si jeiunaveris diebus ac noctibus orationemq; feceris, si in sacco fueris vel Cilicio si nihil aliud feceris nisi quodcunq; præceptum est in lege & tibi visus fueris quasi sapiens, & obediens Patri non fueris; omnes virtutes perdidisti. una obedientia plus valet quàm omnes virtutes.* Adstipulatur sacra pagina 1. Reg: cap: 15. ubi obedientia etiam sacrificijs & virtuti religionis præfertur; è contra inobedientia idolatriæ comparatur: *Melior est obedientia quàm victima & auscultare magis quàm offerre adipem arietum: quoniam quasi peccatum ariolandi est repugnare & quasi scelus idololatriæ nolle aquiescere.* Notemus verba

verba, signemus mysteria quantum id peccatum est quod criminosissimo idolorum confertur cultui? Quàm gratum sit Deo & quam honorabile pendere à voluntate & jussis maiorum manifestatum cuidam ex priscis Eremicolis. Vidit hic (authore Palladio) in Cælo quatuor Ordines hominum. In primo ordine erant infirmi qui in sua infirmitate Deo gratias agebant. In secundo hospitalitatis sectatores. In tertio cultores solitudinis. In quarto Obedientiæ mancipati: Et hi Coronâ & torque insigniti videbantur ac maiori præ cæteris gloria refulgebant. Miratus sciscitatusq; causam, cui hæc revelatio fiebat, responsum accepit ideò hos ultimi ordinis beatos maiori præmio & gloria muneratos, quia cæteræ virtutes ex proprio arbitrio ex propriæ voluntatis motu & ductu fiunt; Obediens autem alienæ se facit voluntatis servum, alieni arbitrij mancipium. *In Vitis PP.*

Lilium quoq; Castitatis jucundissimũ est Christo infanti donariũ Bene flori assimilatur Castitas ut enim ille unico flatu unico attactu marcescit & emoritur ita hæc unico verbulo unico affectu imò plerumque & visu ipso deperditur. Tenera res lilium est: delicata est & puritatis virtus. Quare caute tractanda, diligenter custodienda & quidquid illi contrarium à longe fugiendum. *Fugite* clamat Apostolus *fornicationem*, ubi quodvis peccatum seu mentalis seu externæ libidinis notatur. Quæ Pauli verba considerans Augustinus: *Libidinem* inquit *fugiendam esse Doctore Apostolo didicimus qui cum omnibus vitijs resistendum esse prædixerat, contra libidinem non dixit resistite sed fugite, ac si diceret; reliquis vitijs Deo adiuvante in præsenti debemus resistere libidinem vero fugiendo superare. Nam & beatus Ioseph ut impudicam Dominam posset evadere pallium quo apprehensus erat projecit & fugit.* Contra libidinis impetum apprehende fugam si vis obtinere victoriam. Nec sit tibi verecundum fugere si castitatis palmam desideras obtinere. *Lib: de honest: mulierum.*

Gloriatur gens Gallica lilijs tanquam insigni suo cui etiam hanc apponere solet inscriptionem. *lilia non nent* intellige. Natio Gallica est mascula est bellicosa, fortis non mollis non effæminata non dedita muliebribus exercitijs uti quondam Hercules qui testimonio Senecæ positâ clavâ proiectisq; armis inter blandientes mulierum choros *fila deduxit properante fuso*. Eiusmodi lilia non nentia debent esse corda religiosa, hoc est mascula, fortia, aliena à mulierum officijs earumque contubernio. Ad quod vitandum monet unumquemque nostrum Hieronymus. *fœminæ nomen tuum noverint vultum tuum nesciant. Memento semper quòd Paradisi colonum de sua possessione mulier ejecerit.* Nec tu sanctior David nec Salomone sapientior, nec Samsone fortior qui tamen blanditijs muliebribus in turpem protracti ruinam. *Si scandalisat te oculus pes manus projice ea: nulli parcas ut soli parcas animæ.* Omnimodis itaque curemus ne lilium hoc Christo gratissimum ullatenus temeretur omni custodia servantes cor nostrum à cogitationibus, sensus nostros externos à libidinosis actionibus nos ipsos ab illicitis conversationibus. *In Hercule.* *Ad Nepotianum.*

Lectulus denique Christo infantulo non modo jucundus sed

& commodus. Per eum ſignata placidæ quietis parens paupertas quantùm Salvatori noſtro cara ſit vel ipſe eius habitus vel ipſa nuditas ſufficienter demonſtrat. Ad eam nos quoq; cohortatur nominatus perfectionis Magiſter unicuique noſtrum eiuſmodi præcepta tradens. *Avaritia tibi vitandum eſt malum non ut aliena non appetas, hoc enim & publicæ vetant leges ſed quod tua quæ jam ſunt aliena, non ſerves.* Aliena nobis auri argentiq; ſunt pondera. Noſtra poſſeſſio tota ſpiritualis eſt. Cælum & terram deſpiciens cantabis Domino: *pars mea Dominus.* In primitiva Eccleſia quando Domini noſtri adhuc calebat cruor & fervebat recens in credentibus fides vendebant omnes poſſeſſiones ſuas & pretia rerum ad pedes Apoſtolorum deferebant. Cur ita? cur non in menſa deponebant, cur non ad manus tradebant? ut oſtenderent pecunias calcandas eſſe. Cui quæſo horrori non ſit terribilis damnatio qua perculſi Ananias & Saphira ideo, quia poſt votum obtulerunt quaſi ſua & non eius cui hæc obtulerant partemque ſibi jam alienæ ſubſtantiæ reſervarunt, metuentes famē quam vera fides non timet, præſentem meruere vindictam non crudelitate ſententiæ ſed correptionis exemplo. Quàm nociva ſit religioſo proprietas inſigni exemplo docuit Magnus Antonius. Venit quidam ad ipſum ex ſæculo poſtulans ſe in numerum diſcipulorum admitti monaſticis præceptionibus imbuendum. Admiſit S. Abbas, probat ſpiritum Tyronis deprehenſoque quod ſubſtantiæ ſuæ divenditæ partem uſibùs & neceſſitatibus privatis reſervarit hac eum à malo revocat ratione. Vade, inquit, ad vicum eme carnes emptaſque in humero denudato huc apporta. Paret ille juſſis præpoſiti ſui pergit ad Civitatem emit carnes reductaque veſte illas humero nudo imponit. Vix redire incipit & ecce advolant aves accurrunt canes miſerèque cum carnibus illis collum humeroſque baiuli lacerant, cruentant. Redux præſentat ſe ſuperiori; præſentat & ſulcos vulneraque corroſi corporis: ſic, inquit, S. Antonius ſic lacerabitur à dæmonibus quicunq; renuntians ſæculo & in propoſito monaſtico deſiderans ſervire Deo peculium de integro non proiecerit ſed ſuis ſeu commodis ſeu indigentijs retinuerit. Igitur & nos qui Chriſti diſciplinæ colla ſubiecimus poſtquam Sacramento profeſſionis ſemel omnibus renuntiavimus, nihil proprij poſſidere audeamus ne forte infernales volucres roſtris ſuis miſerè animam corpuſq; noſtrum dilanient & diſcrepant. Vox æternæ veritatis eſt: Qui non renuntiaverit omnibus quæ poſſidet non poteſt eſſe diſcipulus. Qui dixit omnibus (ait S. Auguſtinus) nihil proprij à ſuis diſcipulis poſſideri voluit. Qui quicquam poſſidet in terra remotus eſt à Dei diſcpilina. Ergo voluntariè nunc ponamus quãdoq; dimittenda ne quod abſit pro tranſitorijs amittamus æterna. Et hæc ſunt apophoreta quæ infanti Chriſto in gratiarum actionem pro excellentiſſimo vocationis religioſæ beneficio in hac ſolemni noſtra renovatione offerre debemus. Offeramus itaq; cum tribus Magis ſimili devotione, ſimili affectu, ſimili propoſito, fietque procul dubio quòd ſicut illi ita noſquoque per aliam viam converſationis noſtræ revertemur ad Cæleſtem Patriam. Amen.

Ad Euſtochiū.

Ad Demetriadem.

Rufinus lib: 3.

De Contemptu mundi.

VOTA

VOTA RELIGIOSA

ANniversariam votorum oblationem facturi sumus Patres in Christo Reverendi. Non absq; mysterio & causa renovationem votorum intra festivitatem Epiphaniarum Religio nostra fieri instituit. forte quia hoc tempore plura eaq; insignia Christi beneficia & magnalia recoluntur ut vocatio gentium, baptisma Salvatoris nostri eiusdemq; primum in nuptijs Cana Galileæ miraculum; ideoq; pluribus titulis religio Paulina eidem gratificandum censuit. forte quia beneficium vocationis in Natali Patris & fundatoris sui pia commemoratione celebrando annuo hoc devotionis censu sese pro tanto exolvit beneficio? Quidquid sit, illud certum est quod pietatem Matris suæ Ecclesiæ Catholicæ æmulatur. Hæc enim jam inde in tribus Magis gentium primitijs nascens venerata est hodieq; specialiter intra solennissimum hoc octiduum veneratur Christum Dominum triplici mystico munere auri thuris & myrrhæ, per aurum regiam dignitatem, per thus divinitatem, per myrrham mortalitatem in Salvatore suo testando & adorando. Ac proinde & religio nostra Maternæ devotionis æmula triplici voto summam convenientiam cum præfatis Magorum muneribus habente intra hoc idem tempus Divinæ litat maiestati. Quam convenientiam nunc ostendere propositi mei est aspirante Divina gratia.

Canticorum 5. miratur quispiam & stupendo interrogat: Quæ est ista quæ ascendit sicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & universi pulveris pigmentarij. Hebraica versio habet: Quæ est ista ascendens de deserto sicut palma fumi suffumigata myrrha & thure & universo pulvere aromatarij. Hebræi expositores id volunt intelligi de gente Israelitica agminatim per desertum ad terram promissionis pergente & de fumo gloriæ Domini ex incensationibus circa Arcam ascendente gentibus regionum vicinarum mirantibus ac dicentibus: Quæ est ista natio quæ per desertum ascendit cum odoratissimo incensorum fumo? Catholici interpretes locum hunc attribuunt Ecclesiæ orthodoxæ Apostolicæ. hæc enim continuò ascendit ascensu fidei & morum per desertum mundi huius suffumigata myrrha thure & universo pulvere pigmentarij id est triplicem statum fidelium hominum in se complectens Martyrum, Sacerdotum & universæ plebis. Non abs re fuerit si ego textum hunc Religioni nostræ accommodavero. Hæc certe ascendit tanquam palma unde hoc ipsius est insigne. Suffumigata myrrha continentiæ, thure Orationis & obedientiæ, Universo pulvere paupertatis, humilitatis, aliarumq; virtutum. quæ quantum secum conveniant jam demonstrare aggredior.

Pannonius in Cantica.

Myrrha continentiæ symbolum est. Est autem myrrha arbor humilis in Arabia nascens altitudine quinq; cubitorum, corticem habens durum & intortum crassiorem quàm thus. Nec sine spina est. Inciditur bis in anno à radice usq; ad ramum Mensibus Martio & Aprili. Fiunt & posterioribus mensibus incisiones non tamen tantæ virtutis ac pretij guttam reddunt. Sudat aromati-

ca hæc planta ſtacten etiam ſponte priuſquam incidatur. Et hæc lachryma quæ ſponte ſtillatur eſt viridis & amara omnibuſque, alijs guttis quæ per inciſionem eliciuntur præſtantior. Succus arbuſculæ huius eſt deſiccativus omnis humoris mali ideoq; corpora ſervat incorrupta. Recentiores à duobus contrarijs ventis agitari maxime verò ab Aquilone & Auſtro putant in vere quando ſtillat liquorem præſtantiſſimum qui myrrha prima dicitur. Virtus caſtitatis arbor eſt humilis. Inceſta enim eſt Caſtitas quam humilitas non commendat. Superbæ Virgines eſto corporis integritatem habentes non agnoſcuntur à ſponſo nec ad thalamum æternæ gloriæ admittuntur. Naſcitur in Arabia quæ hebraice vocatur Sabba id eſt converſio. Quia niſi quis ad DEUM toto corde convertatur niſi ſe in ſtatu gratiæ conſtituat per averſionem à Creatura & converſionem ad DEUM nequaquam continentia in eius animo pullulabit. Si namq; nemo poteſt eſſe continens niſi DEus dederit illi, quomodo continens eſſe poteſt qui ſe à DEO alienavit. Certe videmus & videre poſſumus quod tales homines eſto ad modicum tempus integritatem puritatemq; colere videantur, brevi tamen ingruente aliqua tentatione, concupiſcentiæ motibus velut arundo in hæc & illa carnis opera impelluntur oſtenduntq; ſe ante non virtutem caſtitatis ſed defectum habuiſſe cupiditatis. Duro cortice debet eſſe obvoluta caſtitas. hoc eſt animus caſtus ſit durus ſit intractabilis ſit deniq; adamantinus omni ad malum emollire & pertrahere cupienti. *Ubi non luxuria in ſervo DEI* ait S. Hieronymus *ſed duritia carpitur talis detractio laus eſt. Crudelitas iſta pietas eſt.* Non ſervatur caſtitas niſi ſub duro cortice id eſt niſi ſub duro & auſtero vivendi genere. Nam ut idem ait: *Inter illecebras voluptatum etiam ferreas mentes libido domat. Et difficile inter epulas ſervatur pudicitia.* Spinis valletur, ſepimento & cuſtodia ſenſuum cingatur. nullus pateat violando pudori acceſſus. Plantationem hanc quam plantavit Pater Cœleſtis incidere licet cultro mortificationis quovis tandem tempore. Neq; enim qui dixit: *mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram* tempus aliquod certum præfixit mortificationi ſed indefinite ſuam protulit ſententiam. Deſiccat in nobis humorem malum libidinis. Incorrupta ſervat corpora imò & pectora odorem igne amoris divini ſuccenſa mittit DEO gratiſſima nec non odorem bonæ famæ inter homines latiſſime diffundit, tunc odoratior nobilior & pretioſior quando à duobus contrarijs ventis vento charitatis & cupiditatis agitatur uti agitabatur in Divo Paulo dum clamaret: *Sentio aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Si enim vero caſtitas non frangatur concupiſcentiæ impulſu, firmabitur habitus virtutis in animo, augebitur præmium, odor bonæ famæ accreſcet, & ſuavius omni thymiamate DEO ſacrificium exhibebitur. Huius nobiliſſimi aromatis fragrabat odore ſponſa DEI dum diceret: *Manus meæ diſtillaverunt myrrham.* quodquidem de ſynagoga Iudæorum ita intelli- Canticorũ 5.
gitur quia videlicet manus ſuas in myrrham aliaq; ſacrificiorum ac odoraminum libamina immerſit, totam ſe circa exteriores ſuffitus, & incen-

& incensationes occupando; de anima vero, quòd mentis puritatem etiam in externis expresserit operibus In casto siquidem homine etiam ipsa species corporis est simulacrum bonæ mentis, figura probitatis. Non hanc odoriferam stacten sed mellis stillat dulcedinem sponsa diaboli, congregatio impiorum vel anima servituti mancipata diabolicæ. *Mel distillant labia meretricis* hoc est mundi improbi, vel fornicantis a DEO hominis per prævaricationem. Mel libidinis symbolum est quia sicut mel teste Hieronymo *impinguat ad tempus vescentium fauces & postea felle amarius invenitur ideoq; in sacrificijs non offertur*; ita libido licet ad momentum oblectet postea tamen amarissimo miseram animam replet absinthio. Myrrham redolent casti homines: ergo libidinosi turpissimo affæ fætidæ odore fætebunt. Quid enim fætidius impuro & Epicureis voluptatibus dedito homine? quid olidius illo qui hircinos rheumatum carnalium exhalat putores juxta illud: *Pastillos Rufillus olet, Gorgonius hircum*. Fætet coram DEO & Angelis impurus homo quia ipsi odibilis; fætet coram hominibus tanquam canis mortuus vel tanquam sepulchrum patens quod pæstilentissimam evaporat mephitim. Quid etenim videas quid audias â tali homine nisi tenebrosa & fætida concupiscentiæ verba & opera? unde ordinatissimò DEI judicio sordibus æternis destinantur qui inter sordes vivere & cum publicarum libidinum victimis corpora sua nefaria colluvione commaculare elegerant. In vitis Patrum de Abbate Elia narratur quod hic fractus aliquando concupiscentijs dum ex Eremo in mundum explendæ causa libidinis properaret vidit in via immanem voraginem in qua utriusq; sexus homines assueti quondam carnalibus voluptatibus merum inter pus & putredinem volutabantur audiitq; vocem Angeli: *væ illi qui propter has sordes DEUM deserit*. Ad quarum graveolentiam ita cohorruit ut semianimis corruerit donec â misericordi DEO excitatus & confortatus ad pœnitudinem rediit. Sed & ipse diabolus turpitudinem libidinis & libidinosorum expressit dum cuidam juveni toties venereis impugnato stimulis semper tamen DEI auxilio & magistri sui pijs exhortationibus semper inquam victori in forma mulieris Æthiopissæ apparuit tantum ex se fætorem eijciens ut eum penitus iuvenis ille probatus ferre non posset dumq; hic staret attonitus & quidnam sibi vellet apparitio ista conturbata mente revolveret: Ego sum, inquit dæmon Æthiopissæ mentitus speciem, ego sum quæ in cordibus hominum dulcis appareo: propter obedientiam tamen tuam & laborem quem sustinens non me permisit DEUS imponere tibi sed fæditatem meam duntaxat prodere. En assam fætidam castitatis myrrhæ è diametro oppositam!

Ad Eustochiū.

Horatius.

Thuris mysterio signatur Orationis & obedientiæ studium. Utq; de obedientia hic & nunc solùm loquar, magnam cum thure analogiam tenet. Thus sicut & myrrha arbor est aromatica in Arabia sive in Sabæa provincia nascens. In eo discrepat â myrrha quod sublimius crescit ideoq; thus appellatur â tollendo quod nimirum in immensum tollatur. Gummam seu guttam ex se emittit albam & lucidam. Virtus ipsius est quod ventrem & vomi-

tum arceat & quod intellectum acuat. usus eiusdem præcipuus in sacrificijs. & in Ethnicorum superstitiosis ceremonijs & in veteris testamenti legalibus holocaustis & in Novæ legis sacrificijs nihil solemnius nihil frequentius thuris usu. Quod de continentia dictum, etiam obedientiæ suffragatur. Et hæc nimirum est arbor aromatica in Arabia hoc est in corde ad DEUM converso nascens sublimior tamen virtute continentiæ quò circa sublimiora versatur. Continentia quidem circa mortificationem carnis, obedientia circa judicij & voluntatis propriæ abnegationem tota quanta occupatur. Arcet eiectiones thuris virtus. Et obedientia nihil magis curat quam ne de receptaculo cordis timor DEI, justificationum Divinarum, statutorum regularium & mandatorum superioris custodia eijciatur. Intellectum acuit meliùs & sacratiùs quàm gutta thuris. Quo enim quis magis exercetur in obedientiæ virtute eo magis illuminatur ad cognoscenda faciendaq; DEI & Superiorum præcepta. Thus ad sacrificium adhibetur. Obedientia est ipsum sacrificium in quo non carnes vitulorum & hircorum sed rationales facultates judicium & voluntas propria DEO immolatur ita ut obediens non quod judicat & vult sed quod jubetur facere, in opus prompto & hilari deducat animo. Quàm grata sit DEO obedientia & quam odibilis inobedientia vix ulla extat sacræ scripturæ pagina quæ non doceat, sufficiat ex Canticis assumere ad rei confirmationem argumentum. *Pessulum*, inquit sponsa, *aperui dilecto. At ille declinaverat atq; pertransierat.* cur

Canticorū 5. ita? utiq; ardenter expetijt aperiri sibi sponsus utiq; non solum fores manu sed etiam cor tuum blando pulsabat verborum affatu: *Aperi mihi soror mea Sponsa aperi mihi quia caput meum plenum est rore.* O justè justissimè pertransiit dilectus quia ad vocem eius non statim te proripuisti quia frivolas prætexuisti excusationes & impedimenta adimplendæ voluntatis eius obtendisti? *Exspoliavi me tunica quomodo induar illa? Lavi pedes meos quomodo inquinabo illos.* Proh grandem difficultatem! quid levius esse potest quàm exuta reindui tunicâ, quid facilius quàm ablutis pedibus passum unum pedis facere? *sed restitans ac cessans animus moras sibi nectit quò imperata declinet* ait Pannonius. Scilicet sponsa habuit quidem mortificationis & continentiæ virtutem unde ajebat: *Manus meæ stillaverunt myrrham* id est Opera mea puritatis & continentiæ dederunt odorem sed quia obedientiæ fragrantiâ caruit ideo in pænâ suæ inobedientiæ elongatur ab ea Sponsus, nullis revocari potest suspirijs, quæritur nec invenitur & non nisi post longos circuitus post amissionem pallij post vibices & vulnera milleq; alia incommoda serò tandem malis suis sapiens à misericordi Sponso convenitur. Tantum est obedientiæ meritum ut absq; ea nequidem ipsa Angelicæ puritatis virtus laudem habeat nec Divinos mereatur amplexus! Quare S. Augustinus ait: *Mona-*

De obedientia. *chus si superbus* (si inobediens) *est, multū ei melius fuerat si uxorem duxisset.* Sed videamus ex hoc ipso exemplo quam cum thure obedientia similitudinem habeat. Thus nisi incendatur jacet cōtemptibile & otiosum; quòd si igni superponatur, gratissimo vapore

pore sursum in tenuissima tendit virgula domumq; odore implet. Socordiam & inobedientiam amoturus à dilecta Sponsus, contactu suo ille qui jgnis est eam incendit quæ mox ut flammam concepit omnibus tergiversationibus, omnibus cunctationibus sepositis proripit se è lecto & thuris instar totam domum plateas vicosq; Civitatis, compita omnia suæ devotionis, obedientiæ amorisque fragrantia incensat. *Amoris igne æstuans difficultates omnes non attendit sed transcendit* inquit de Aponte. Hinc luculenta nobis doctrina est nec continentiam nostram absq; obedientia gratam fore Deo nec ipsam obedientiam absq; fervore charitatis in promptos ac veloces obedientiæ actus exituram. Myrrham si offerimus ut plenum sit sacrificium nostrum etiam thuris stacten eamq; in thuribulo cordis aureo charitatis accensam igne offeramus. Vidit aliquando Sancta Mechtildis adstare virtutes Christo Domino in specie Virginum quarum una præstantior tenebat aureum in dextera scyphum in quem cæteræ aromata imponebant. Cumq; singulæ imposuissent, præstantior illa flexis genibus phialam suam odoramentorum plenam Christo Domino offerebat. Jgnara mysterij S. Mechtildis edocetur à Christo eam esse virtutem obedientiæ summè sibi gratam eò quod sola virtutum omnium bona complectatur. Et cæteræ virtutes aromota sunt sed nullum suavius Christo obedientiâ. Et cæteræ, Virgines sunt sed omnibus excellentior & nobilior obedientia, loquendo videlicet de moralibus. Tanta est necessitas tanta præstantia obedientiæ ut S. Paphnutius inter alias regulas ab Angelo sibi porrectas hanc fratribus suis reliquerit: *Deniq; etiamsi spinam in via calcaveris non est educenda antequam Abbas præcipiat*. S. quoq; Pachomius universos Monachos ad obedientiam commonebat ut hoc compendio facilè perfectionis apprehenderent celsa fastigia.

In Mathæum.

Lib: Gratiarū Spiritualium S. Mechtildis.

In vitis PP.

In vita S. Pachomij.

A myrrha & thure ad pulverem pigmentarij quo Ecclesia & filia sanctæ Ecclesiæ Religio nostra suffumigatur, imò verius Divino Numini gratissimum suffitum facit descendo. Jnter pulveres Pigmentarij numeratur pulvis aureus seu aurum pulverisatum quod licet quidem non sit odoriferum ea enim quæ non evaporant odorem non habent quia tamen mysticè sumptum mirificè fragrat convenientissimè ad Dei cultum assumitur.

Symbolicè aurum pulverisatum paupertas est. Quid enim est aurum ait D. Bernardus nisi terra rubea quid argentum nisi terra alba? Porro terra nomine bona terrena signari nemo nescit quæ dum instar pulveris conteruntur conculcantur, tunc vera paupertas animum nostrum insedisse dignoscitur. S. Chrysosthomus hom: 48. fulget inquit ut aurum animus sponte sua inopis. Hugo Cardinalis munera Magorum mystica donans interpretatione: Per aurum inquit Eleemosyna designatur. Quæ autem maior Eleemosyna quàm sua omnia & seipsum Deo consecrare. Nec mirum auri nomine vocari paupertatem cum & multa alia Rhetoricæ figuræ beneficio contrarijs suæ Naturæ appellentur vocabulis. Sic sylva lucus vocatur quod minimum luceat: mors parca quòd parcat nemini. Eumenides furiæ quod non sint benignæ. Æthiopes ar-

gentei, quòd nigredine sua adversentur argento. Sic igitur & paupertas aurum nuncupatur eò quod minimum de auro habeat. Nec solo conveniunt vocabulo, etiam virtute concordant. Aurum in pulverem redactum lepram & scabiem curat. Et paupertas lepram animæ scabiemuè Avaritiam removet ac depellit. Avaritia namq; inficit animam tanquam lepra & tanquam scabies continuo pruritu eandem ad plura & plura desideranda & accumulanda bona terrestria irritat. Aurum pulverisatum secundum Avicennam confert doloribus cordis. Quid aptius & efficacius ad hunc finem quàm paupertas. Divitiæ spinæ sunt juxta Evangelium, spinæ quibus misera anima compungitur laceratur cruentatur. Nihil ergo doloribus cordis mederi poterit nisi paupertas divitiarum hostis si verum sit Medicorum placitum quod contraria curentur contrarijs. Aurum ex raritate pretiosum est. Quid rarius paupertate voluntaria? Omnes quæ sua sunt quærunt. Et licet Ecclesia tam multos numerat Religiosos, non multos tamen pauperes. Verò veriùs est quod S. Hieronymus adhuc ævo suo expertus ad nostrã cautelam & commonitionem scriptum pluribus in locis reliquit: *Non nulli ditiores sunt Monachi quàm fuerant sæculares & possident opes sub paupere Christo quas sub locuplete & fallace diabolo non habuerant ut suspiret eos Ecclesia divites quos mundus ante tenuit mendicos.* Jdem in Vita S. Hilarionis: *multis* inquit *nomen pauperum occasio avaritiæ est.* Deniq; aurum Regiæ dignitatis est hieroglíphicum, unde intra hos dies occinimus: *Regem Deumq; annuntiant thesaurus & fragrans odor.* Paupertas autem Regia dignitas est & pauperes Reges sunt quibus scilicet dicitur. *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est Regnum cælorum.* Non erit, sed est, per quod ostenditur eos non potentia sed actu nec spe tantum sed re ipsa Reges esse cælestes. Jucundum in S. Bernardini scriptis Apologum invenio Rex quidam duas filias habuit unam speciosissimam deformem alteram. Hac neglectâ, illa à plurimis Principibus in matrimonium postulabatur. Quare altera miseram sortem suam quadam vicè coram Patre plangebat contemptui se esse omnibus nullâ sua culpâ nullo suo demerito, sed ob solam formæ injuriam ingemiscendo. Solaturus eam Pater non defuturos respondit procos eosq; nobiles & Principes. Quandoquidem filiæ eleganti sola venustas pro dote cessisset ipsi verò totum Regnum in vim dotis cessurum. Jnterpretatio Apologi est. Regi Cælorum duæ sunt filiæ, abundantia in rebus temporalibus, & paupertas. Jlla speciosissima in auro argento Palatijs vestibus possessionibus alijsq; suam commonstrans pulchritudinem altera obscurissima & deformis sed prior pro dote nihil expectat nisi meram in bonis temporaneis refulgentem speciem, altera Regnum Cælorum accipit. Beati pauperes spiritu quoniam ipsorum est regnum Cælorum. Verè paupertas Regina est ut pote regni Cælestis possessione jam beata ideoque aptissimè ut Regina sub typo auri adumbratur.

En quantam vota Religiosa cum muneribus Magorum habent convenientiam. Si paria sunt quæ offerimus pari devotione & humilitate offeramus. Magi procidentes adoraverunt & apertis the-

ſauris ſuis munera obtulerunt infanti. Nos item cum profundiſſima ſubmiſſione de vaſis fictilibus theſaurum votorum promentes Chriſto ſacrificemus. *Bona eſt continentia, bona Oratio, & Obedientia bona paupertatis profeſſio & cultus ſed niſi in cordis contriti humilitate peragantur inepta ſunt & ingrata.* Contundamus igitur hæc ſpiritualia aromata in mortario humilitatis, redigamus in pulverem minutiſſimum imo in nihilum extenuando quidquid boni in obſervantia votorum eſſentialium hoc anno fecimus, totumq; id Divinæ gratiæ, Divinæ miſericordiæ adſcribendo, nobis verò errores omnes quoſcunq; admiſimus imputando. Certè enim ne quidem cogitare aliquid poſſumus ex nobis tanquam ex nobis prout oportet ad ſalutem, ſed omnis ſufficientia noſtra ex DEO eſt. *Felix felix* (exclamat Cælicus Cælius) qui ſibi talem colligit pulverem ut quæ facit quantumvis juſta & utilia reputet nulla: & qui univerſa opera ſua redigit in pulverem ut non glorietur in ſemetipſo, ſervum ſe inutilem reputans. Talis certè aſcendit ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris & univerſi pulveris pigmentarij aſcendit inquam ad ipſum Regis æterni accubitum datq; odorem ſuavitatis. Et jam quod ore diximus, opere ipſo cum Religioſiſſimis Magis procidentes compleamus.

Pannonius in Cantica.

Pannonius in Cantica.

VOTA RELIGIOSA.

FEſta ad conſervandam beneficiorum Divinorum memoriam inſtituta eſſe nemini vel modicè ſcripturas intelligenti ignotum. Legatur vetus teſtamentum & patebit tot dies ad ſanctificandum populo hebræorum impoſitas quot peculiaria eiſdem exhibita à DEO beneficia. Eccleſia pariter intra hoc tempus, Epiphaniorum ſolemnitatem celebrat ut grata mente recolat inſigne beneficium vocationis gentium ad fidem. Religio quoq; noſtra diem hodiernum ſolemniſat ut devoto affectu rememoretur quibus Divina bonitas Patrem noſtrum Divum Paulum primum Eremitam cumulaverit bonis ornaverit gratijs, auxerit muneribus, qualiter eum à mundi turbine ſegregaverit, in ſolitudine monſtrorum & tentationum feraci tanto annorum circulo conſervaverit, miniſterio corvino imo veriùs Angelico paverit pane ut quibuſdam placet Euchariſtico, quomodo demum eundem glorioſo triumpho ad cælum deduxerit. Ut item pia devotione rememoretur qualiter jam tunc Religionem noſtram in ipſius vita & exemplo fundavit eandemq; hactenus paſcit, gubernat, tuetur. Apocalip: 12. narratur mulier fugiſſe in ſolitudinem in locum ſibi à DEO paratum ubi paſcat eam diebus mille ducentis. Mulier hæc non modo Eccleſiæ ſed & Religionis noſtræ typus eſt. Hæc enim juncta Chriſto Domino fæcundataq; ab ipſo ſemine verbi Divini non ceſſat eidem ſpirituales progenerare filios. Ducta eſt in ſolitudinem etiam literali ſenſu quia ab ipſis ſtatim initijs loca ſolitaria atque

à convictu & consuetudine hominum semota inhabitare cæpit ubi pascitur Verbo DEI alimonia Sacrosanctæ Eucharistiæ, consolationibus internis nec non corporalibus vitæ sustentandæ subsidijs. Pascitur inquam mille jam & amplius Annis si non tantum Cænobiticum sed etiam purè Eremiticum statum nostrum accipias. Jn horum igitur beneficiorum recognitionem hodiernam peragimus festivitatem qua sacrificijs qua Orationibus qua ipso piæ mentis affectu vicem Divinæ liberalitati rependendo. Et is quidem suffecerat: DEUS enim bonorum nostrorum non eget. quia tamen *qui beneficium gratis accepit, ex debito honestatis obligatur ut similiter gratis aliquid impendat,* nobis quoq; huic parendum obligationi ut Divinæ munificentiæ noster non affectus duntaxat sed & effectus respondeat. Quid igitur dabimus ei à quo omne datum optimum? Novi ego non modò homines sed & Deum ipsum auro delectari qui Caput Christi hoc est Divinitatem suam auro assimilari voluit: *Caput eius aurum optimum*. qui per Christum Dominum filium suum gratiosissima suavitate aurum à tribus Magis recepit. qui D. Nicolao Ecclesiæ huius patrono cælum pro tribus radiantis metalli glebis vendidit. Sed enthecam nobis habere non licet. Auri argentiq; aliena nobis pondera. Monstrabo itaq; sermone sequenti quale aurum Divinæ bonitati in retributionem beneficiorum Patri nostro nobisq; præstitorum offerre possimus & debeamus.

S. Thomas 22. q. 106. art. 6.

Creator omnium DEUS nullo alicuius pretiosæ Mineræ amore ducitur. Non ille apetit aurum quod intra profunda terræ viscera solaribus radijs excoquitur, igne probatur, manu artificis politur. Nobilius & pretiosius est quod à nobis expectat. Oranti aliquando in latere montis Alverni S. Francisco apparuit Dominus in flamma qua olim specie Moysi apparuerat, petijtq; ut sibi ternam oblationem faceret. Cui Franciscus: Domine mi ego amore Tui nihil habeo nisi vestimentum quo tegor, hoc ipsum tuum est, quid ergò offeram maiestati tuæ? Respondit Dominus: mitte manum tuam in sinum & quidquid inveneris offer mihi. Misit ille invetuam in sinum & quidquid inveneris offer mihi. Misit ille inventum aureum nummum magnitudinis & fulgoris ingentis ac pronitq; aureum nummum magnitudinis & fulgoris ingentis ac pronitidi tinus cum submissione profundissima & ineffabili mentis dulcedine DEO obtulit. Cumq; hoc iterum & tertio ex mandato Divino fecisset, prostratus in terram ad agendas gratias internè edoctus est triplicem hanc monetam esse auream Obedientiam ditissimam paupertatem & splendidissimam castitatem. Hæc, hæc aurea numismata expectat & exposcit à nobis Dominus. Et sane aurum sunt triplicia religiosa vota. Aurum offertur Regibus, Vota DEO. Votum namq; definitur esse promissio DEO facta. Quod auro inuestitur, noblius est quàm si nudum maneat. Auro decorantur lapides pretiosi, sculpturæ, jmagines, Capita columnarum pretiosum ornatum non sentientia. Et voto aliquid investire seu facere aliquid ex voto, laudabilius magisq; meritorium est è mente Divi Aquinatis ex tribus quas allegat rationibus. Primò quidem quia vovere est actus latriæ inter virtutes morales nobilissimæ ad quam elevatur omnis actus ex eius imperio elicitus. Deinde quia qui vovet

Vota Religiosa auro comparantur.

Quare facere aliquid ex voto perfectiq& magis meritorium.

vovet & facit, magis se subijcit DEO quàm qui solùm facit: Sicut plus dat ille qui dat arborem cum fructibus quàm qui solos fructus. Vovens enim & faciens, non tantùm quo ad actum sed etiam quo ad potestatem se DEO subijcit & resignat ut non possit ampliùs contrarium voto operari. Tandem quia per votum voluntas firmatur in bonum: Facere autem aliquid ex voluntate in bonum firmata pertinet ad perfectionem actus. Aurum quoq; ipsum plus decoris habet si margaritum vel quicunq; pretiosus lapis ei inferatur. Et vota si ipsis solemnitas accedat nobiliora sunt accedit autem ex institutione Ecclesiæ duplici modo nimirum vel per susceptionem sacri Ordinis vel per professionem certæ alicuius Regulæ. Alia non datur votorum solemnitas quibuscunq; tandem ceremonijs & in quacunq; tandem hominum frequentia fiant: publica hæc vocaveris at non solemnia. Sed ex particulari comparatione clariùs mea innotescat assumptio.

Solemnitas votorũ quæ & quotuplex?

Aurum inter omnia metalla quæ septem numerantur, aurum, argentum, electrum, plumbum, æs, stannum, ferrum, præcellit & principalem locum habet. Unde illud: vilius argentum est auro virtutibus aurum. Et obedientia ex Severi Sulpitij effato prima est Monachorum virtus imo juxta D. Augustinum Mater & custos virtutum omnium quam si religiosus non habet, esto omnibus alijs cæteroquin virtutibus præditus sit nihil tamen adhuc solidæ perfectionis se adeptum arbitretur. Quid enim sunt virtutes aliæ sine obedientia nisi hortus sine arbore arbor sine stipite stipes sine ramis rami sine folijs folia sine fructu fructus sine sapore? Verba genuina S. Augustini affero. Obedientia maxima est virtus & ut sic dixerim omnium origo Materq; virtutum. Doctor Angelicus postquam dixisset inter virtutes morales eam potiorem per quam magis contemnitur bonum aliquod ut DEO inhæreatur postquam item ostendisset tria esse bonorum humanorum genera quæ ne DEUS deseratur deseruntur infimum medium & supremum in infimo bona externa in medio bona corporis in supremo bona animæ collocando tandem concludit & infert: *ideo laudabilior est obedientia quia propter DEUM contemnit propriam voluntatem quæ est præcipuum animæ bonum quàm cæteræ virtutes morales quæ propter DEUM bona fortunæ seu corporis abijciunt*. Figurabile aurum est & quod omnem imaginem nitente artificis scalpro recipere possit. Et obedientia quodcunq; jusseris quodcunq; scalpro mandati expresseris faciet atq; omnem commissi operis arduitatem superabit. Legimus enim quosdam è nutu superioris ad Crocodilos accessisse alios ad leænam ducendam intrepide perexisse. illos super fluidum aquæ elementum cucurisse, alios arida & emortua virgulta spatio duorum milliarium distantia apportata quotidie aqua rigasse, ut taceam cæcam Eupraxiæ Virginis obedientiam quæ grandem acervum lapidum ex area Monasterij ad furnum iussa transportare iterumq; in locum suum reportare supplici & simplici animo obsecuta est impensis baiulationi illi 30. diebus neq; interea communibus ministerijs atq; officijs intermissis. Quid hîc dicetis non auro sed saxo duriora pectora quæ mandato superioris nihil proficiente in

Obedientia convenit cum auro quia hoc inter metalla præstãtissimũ

Vide Eggerer in anathemate.

Cur obedientia laudabilior cæteris virtutibus moralibus?

Tria genera bonorum humanorum.

quia figurabile est.

In vita eiusdem.

Inobedientes objurgantur.

ente in vestra insensibilitate perduratis. Levia iniungit superioris authoritas non ardua non vires vestras excedentia, illud vel illud operis facere, munditiem procurare, calamum vel librum ad manus accipere; vos nihil horum intelligitis nec vultis intelligere ut bene agatis. Facta est vobis vox Superioris tanquam carmen musicum quod ut primum in aures illabitur, perit, tenuesq; discedit in auras. Fac hoc, ait Præpositus, illa & illa ordine digesto commendo facienda: interea ab ignavis & spontaneè obliviosis dum nihil fit, Prælatus fructum inobedientiæ reportat excandescentiam, suæ dispositionis confusionem, suæ authoritatis vilipensionem. Truncos inanimes & idola deaurata tales vocavero. qui quidem auream professi sunt obedientiam & tamen os habent & non loquuntur dum ex obedientia loquendum, manus habent & tamen non palpant seu librum seu quodcunq; imperatum obiectũ dum hic vel hoc ex obedientia palpandum, pedes habent & tamen dum ex obedientia ambulandum restitant & passum pedis facere cunctantur, ubi nummi vel alicuius solatioli spes affulserit, veloces. Ductile aurum seu in tenues, lentescat virgas seu in crassiores extendatur laminas seu confletur in numismata. Ductilis & obedientia. verus namque obediens juxta mellifluum Bernardũ mandata non procrastinat sed parat aures auditui linguam voci manus operi, pedes itineri totumq; se ita colligit ut mandata peragat imperantis. Si nimis dura sit materies in qua artifex formã mente præconceptam effigiare intendit etiam malleo utitur: si nec sic proficiat, increpat ac maledicit laboris improbi impatiens sculptor. Maledictioni obnoxij sunt & illi qui duras surdasq; se cautes exhibent sublimiori potestati. Josuè legatos à Gabaonitis expeditos postquam exploratores esse rescivit, servitio templi addixit perpetuam ijsdem imprecando maledictionem. At quid est? Servitus tam sancta maledictione plectitur? Optimè id factum. Servitus namq; coacta maledicta est. Extorta obedientia odibilis Deo. Quod ille vel ille Religiosus coactè matutinum frequentet quod non nisi ex obligatione non nisi pro stipendio sacra operetur quod invitus & averso plenus animo mortificationem faciat quod obmurmurans & cum indignatione ad obsequium iniunctum pergat, lucri spiritualis nihil præter maledictionem reportat. Displicet Deo eiusmodi obedire. Aurum dum sculpitur sivè in eo Castrorum, sivè musarum sivè animalium sivè quarumcunq; species imprimatur formarum non dicit artifici, Cur hoc facis? Et vera obedientia ait S. Gregorius, nec Præpositorum intentionem nec præcepta discernit. Nescit enim judicare qui perfecte didicerit obedire. vera obedientia est præpositorum intentionem non judicare: Falsa igitur erit jussa Superioris ad tribunal examinis vocare, quo sine qua deliberatione edita sint, discutere. Credas tibi salutare monet Hieronymus quidquid præpositus præceperit nec de majorum sententia judices tu cuius officij est obedire & jussa implere dicente Moyse: Audi Israel & tace. Sed Superior inquis malus est & ignobilis. Quantum ad ignobilitatem, *nescio cui meliore luto finxit præcordia Titan.* quantum ad bonitatem non ago pugna-

quia ductile est.

Quia non dicit artifici: cur hoc facis?

Iuvenalis.

pugnaciter. At nunquid jussa Pharisæorum quia ipsi mali, mala erant? nunquid Achitopel nequam prava consilia suggerebat? nunquid quia corvus avis sordida sordidum quoq; panem Patri nostro afferebat. Verendum sane ne nostra protervia & inobedientia illum accipiat finem quem capitositas sui judicij suæ voluntatis tenacissima in illo accepit de quo Berovius ad Annum. 1566. testatur quod quia mandata excusando ac varijs coloribus interpretando negligebat, in articulo mortis constitutus monitusq; ut sacramenta perciperet nil opus est inquit, damnatus sum. Non feci quàm quod volui. Hæc est causa meæ ruinæ. Sic miser efflavit animam.

Eggerer in anathem:

Paupertatem jam aliàs auri nomine & symbolo designari docui. Addo hîc quòd ait quidam Magister spiritus. *Paupertas aureus nummus est quo æterna merces à Religiosis comparatur dicente Domino: Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Et Abbas Hyperichius pro thesauro Monachi paupertatem colendam asseruit. Nec abs re. Convenit enim cum auri proprietatibus. *Aurum per medios iræ satellites & perumpere amat saxa potentius ictu fulmineo.* Potens & paupertas. Hæc namq; etiam saxeos etiam adamantinos animos emollire valet ad succurrendum alienæ miseriæ. Auri raritas magna. Quid rarius paupertate spiritus! *Beatus vir, qui post aurum non abijt. quis est hic? & laudabimus eum?* quasi diceret eiusmodi vir qui auro congregando non inhiat, si potest inveniri non modo summis in Cælum usque laudibus extollendus sed apotheosi adhuc dum vivit donandus. Jnter Religiosos ipsos esto Diogenis lucernam adhibeas vix paupertatem veram reperias. Quotus quisq; enim est qui proprio non studet compendio ad quod velocior pes, citus sermo, auris attentior? quotus quisq; est qui prætextu necessitatis non foveat cupiditatem? quàm frequens est qui *immoritur studijs & amore senescit habendi.* Detestando diffidentiæ erga Deum imò infidelitatis vitio dum famem quàm vera fides non timet aut infirmitatem quam resignatio Christiana non exhorrescit metuimus, peculium servamus imo undecunq; obvenire possit, latenter & furtivè augemus furti judicio si non hic certe tribunali Divino condemnandi. Jam illa verissima juris regula per abominabilem morum nostrorum corruptelam planè abrogata: Monachus quidquid acquirit, Monasterio acquirit, quando vel quæ conferuntur vel quæ offeruntur clam recipimus nostris usibus servitura, benedictionem petere verecundamur aut contemnimus multominus in potestate præpositi ad communem usum collocamus. At oppones cum Cassiano. non dantur sufficientia. quid si valetudo mala emerserit & reconditum aliquid peculiare non fuerit quo sustentetur infirmitas? Præstatio Monasterij pertenuis est & negligentia erga ægrotos maxima si proprium aliquid non fuerit quo cura corpori valeat adhiberi moriendum est. Hi sunt hi maledicti proprietariorum prætextus quos ad excusandas excusationes in peccatis adducunt! Auribus nostris sæpius audivimus complures dicentes se quidquid habent pro ultima siti reconditum servare At quando hæc ultima sitis erit?

Paupertas cō. federatio auro

Horatius. in potentia.

& raritate.

Horatius.

Oppositiones proprietariorum.

 Pateti-

Pateticè contra hanc phrasim è scholis Religiosis exterminandam detonabat quidam è nostris Prælatus in publico sermone. Quando, inquiebat ille, erit hæc sitis ultima? Jam tot annos in religione explevisti. victus vestis tectum nunquam deerat. Num aliquando famelicus non habebas quo rugienti stomacho os obturares. num per diem aliquam non invenisti quo sitim tuam reficeres si tamen aliquando sitivisti. Jnfirmus nunquid non fovebaris qualiter vix in sæculo fotus fuisses. Quid ergo dubitas quid ergo desperas in posterum? aut si anteactis annis sitim ultimam non es passus quo tandem tempore illam superventuram formidas? Credo ego, aiebat, quod sitis hæc ultima tunc demum erit quando in inferno cum divite Epullone, rabida inter horrendos flammarum globos siti vexatus petes nec obtinebis ut vel modico aquæ pugillo lingua tua refrigeretur. Jta ille & bene & sancte. Lamentatur D. Hieronymus quòd suo ævo quidam ex Monachis repertus fuerit post mortem proprietarius: *vidimus nuper & planximus Cræsi opes unius morte deprehensas, urbisq; stipes quasi in usus pauperum congregatas stirpi & posteris derelictas. Tunc ferrum quod latebat in profundo supernatavit aquæ & inter palmarum arbores myrrhæ amaritudo monstrata est.* O quot funera eiusmodi planctu hodie digna essent dum post non unius fata cum radianti metallo varioq; peculio coruscantes deprehenduntur sarcinæ. Utinam nos salubri metu concutiat exemplum Ananiæ & Saphiræ utinam terreat districta juris Canonici dispositio mandans proprietarios non alibi quam in sterquilino cum ipsa pecunia sepeliri, quod etiam apud nos practicatum Annales testantur? Utinam redeat illa viridis aureæ paupertatis observantia quando etiam pro minutis rebus intertenendis petebatur benedictio, sine qua quia non nullus frater in Monasterio nostro Ungariensi geminas chordas missali compingendo destinatas stramentis lecticæ suæ supposuerat metuenda visione correctus. Concionator enim pone cellam fratris illius habitans de media nocte dum cæteri matutinis interessent precibus ipse verò Concioni mane dicendæ invigilaret audivit à parte ambitus ternos progredi sermonem inter se miscentes & ut fert curiositas humana prospexit viditq; cellam proximam ingressos fænum in lectisternio evolvere & quasi repertum aliquid chirographo annotare. De mane vocato ad se fratri nuntiat quales sub noctis medium habuerit hospites simulq; obtestatur ediceret si quid forte absconditum inconsultis Superioribus retineret. Quid multis? profert ille geminas chordas quas prædicator in ignem coniecit adiuncta obiurgatione: Tu ipse sic combureris si quidpiam absq; benedictione occultaveris. Sanctus equidem religiosæ paupertatis rigor! Quæ tunc in graviori materia proprietas si tantæ minutiæ tam rigidè mulctabantur! *Non est paupertas Nestor habere nihil*, cecinit Martialis damnans inopiam nullius sortis nulliusq; supellectilis suffultam beneficio: Nobis Religiosis illa demum vera paupertas est esseq; debet si nihil penitus absq; superioris habeamus consensu, si nihil penitus meum dicamus, si meum ac tuum frigidum illud verbum & omnia mala in vitam nostram in-

Sitis ultima quando?

Ad Rusticum.

Lib: X. Epigr:

Qualis in Religiosis paupertas requiritur.

Ad Fabiolam.

ſtram invehens locum apud nos non inveniat niſi in ſolis culpis ubi dicendum *mea culpa. Si quid igitur habemus de Ægypto quod Princeps huius mundi ſuum poſſit agnoſcere, tenenti Ægyptiæ cum pallio relinquamus. Nudos amat Eremus. affatim dives eſt qui cum Chriſto pauper eſt. Victus & veſtitus divitiæ Chriſtianorum ſunt.* Hæc ſi ſuppetunt quid plura requirimus? Monachi ſumus non inſtitutores. Virtutibus non nummis congregandis noſtra famulatur profeſſio. *Ad Heliodorũ ad Paulinum*

Deſcendo ad caſtitatis cum auro analogias. Pretioſum aurum eſt. *ideoq; quidquid pretioſiſſimum eſt in auro deſignatur.* Quid porro pretioſius caſtitate? Omnis ponderatio non eſt digna continentis animæ. Quia ut habet D. Angelicus non reſpicit æſtimationem auri neq; argenti quæ commutantur ad pondus. Quomodo non pretioſa caſtitas quando quæcunq; mala pati quàm ipſam perdere elegebant Sancti. D. Benedictus in vepres, Franciſcus in nives, Bernardus in aquas gelidas, Martinianus in ignes elegerunt præcipites ſe agere quàm jacturam huius virtutis ſubirè. Quin tot Sancti ſanctæq; ſanguinem potius profundere quàm eam amittere non dubitarunt. Quò rubicundius aurum eo pretioſius. Et caſtitas quò magis purpureo verecundiæ colore tingitur eo carior eo gratioſior. Puriſſimum inter metalla omnia aurum. Quid caſtitate purius quæ puritatis virtus à Gregorio, pulchritudo animæ ab Auguſtino, imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini ab Ambroſio, virtus munditiem corporis & ſpiritus conſervans à D. Angelico nuncupatur. Quid purius caſtitate quæ omnem mentis & corporis impuritatem reſecat. Tota namq; in eo ut refrenet concupiſcentiam delectationum carnalium quæ extra ordinatiſſimam honorabilis cõiugij legem vel maximè inquinare & ſuis ſordibus commaculare natæ ſunt. Tandem quomodo non puriſſima caſtitas quæ nos Angelis aſſimilat teſtante ipſo Domino. Non nubent neq; nubentur ſed erunt ſicut Angeli Dei quaſi diceret: ideo beati poſt reſurrectionem erunt pares Angelis non naturæ communione ſed puritatis ſimilitudine quia ſexuum licet diverſitatem habentes nuptiarum omniumq; carnis illecebrarum non agnoſcent incentiva. Malach: 2. dicitur. *labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam quia Angelus Domini exercituum eſt.* Quare Sacerdos vocatur Angelus? non dubium quod propter caſtitatem quà Sacerdotes ob continuum altaris miniſterium continuaſuè orationes fulgere debent & candoris eburnei nitorem æmulari Conſonat viſio Joannis Apoſtoli. vidit hic (Apocalip: 1.) ſimilem filio hominis Angelum ſcilicet, veſtitum podere id eſt Sacerdotalibus indutum, præcinctum ad mamillas Zona aurea. Jdem hic mihi Angelus videtur eſſe qui Danieli apparuit. (Danielis 10.) eo ſolo diſcrimine quod Daniel præcinctum ad renes conſpexit. Per Angelum hunc Sacerdos ſignatur, per Zonam Caſtitas quia ſicut per Zonam veſtimentum colligitur & ſtringitur ne fluat ac per terram tractum maculetur ita Caſtitatis merito ſenſus noſtri conſtringuntur ne ad carnis inquinamenta defluant. Lumbos præcingimus cum carnis luxuriam per continentiam coarctamus; pectus præcingimus, quando ad mentis

Pannonius in Cantica.

22. q. 188. Caſtitas aſſimilatur atro quia hoc pretioſum eſt.

Quia rubicũdum.

Quia inter metalla puriſsimum.

Sacerdotes caſti debent eſſe.

sedem post fædæ concupiscentiæ sensum non admittimus consensum. Verbo, lumbi præcinguntur ne in opere; pectus, ne in mente sordidemur. Jn gemmeo Henrici Galliæ Regis scypho visebatur Angelus aureus lilium adamantinum tenens. Ejusmodi Angelum Sacerdos quivis referre tenetur. Aureus sit propter micantem pudoris splendorem. Lilium teneat non quod mane floret, vesperi marcescit, sed adamantinum cui videlicet nec frigoris asperitas nec caloris vehementia nec ulla aeris nocere valeat intemperies. Adamantinum, quod in sua semper candoris illibati persistat integritate. Etiam Ethnicorum leges à Sacerdotibus omnimodam exigunt castitatem. *Ad Divos adeundo castè, pietatem adhibendo: qui secus fecerit DEUS ipse vindex erit.* Cic lib: 2dò: de legibus. Illud quoq; puritatem castitatis demonstrat quod per eam oculi interiores purissimi & ad videndam claritatem increatam idonei reddantur. *Beati mundo corde, quoniam ipsi DEUM videbunt.* Ægris oculis odiosa lux quæ sanis amabilis. Splendorem solis inflecti & in sanguine natantes oculi tueri nequeunt; multominus limpidissimam Divinam lucem mens conspurcata. Insidias patitur aurum ut enim hoc potiantur homines, quod non patiuntur? Etiam noctes integras insomnes ducere, etiam vitæ subire discrimen minimè illis spe potiundi auri tædiosum. *Quid non mortalia pectora cogis auri sacra fames?* Et quia maior corporum quam pecuniarum cupiditas, maiores quoq; castitati quàm auro struuntur insidiæ, ut nemo sit tutus nemo de hoc quem in vasis fictilibus gestamus thesauro securus. Sis licet Sanctus ut David, sapiens ut Salomon ut Samson fortis non es extra periculum uti nec illi fuerunt, quibus nimirum deceptrices illusere mulierculæ, forma, aspectu, consuetudine. Beati Augustini verba sunt: *Credite mihi Episcopus loquor. Cedros Libani ex hoc cecidisse reperi.* Quid Cedri Libani sunt exponit Pannonius (in explan Reg:) nisi excellentissimi quiq; in professione castitatis? Quis jam securus erit si tanta concutitur firmitas? D. Hieronymus sub insigni tempestuosi maris allegoria pudicitiæ pericula exaggerat. *In illo æstu charibdis luxuriæ salutem vorat, ibi ore virgineo ad pudicitiæ perpetranda naufragia Scylla ceu renidens libido blanditur. Hic barbarum lutus, hic diabolus pyrata cum socijs, portat vincula capiendis. Nolite credere nolite esse securi licet in modum stagni fusum æquor arrideat. licet vix summa jacentis elementi spiritu terga crispentur, magnos hic campus montes habet. intus inclusum est periculum, intus est hostis. Expedite rudentes, vela suspendite, Crux antennæ figatur in frontibus. Tranquillitas ista tempestas est.* Et alibi cautos nos reddere volens sic exhortatur. *Virgo es, religiosus es, quid te mulieris delectat societas? quid fragilem & subtilem ratem magnis committis fluctibus & periculum navigationis incerte securus ascendis?* Si insidijs careret castitas nunquam de sublimi integritatis culmine deiecti fuissent illi tot stupendi castimoniæ professores. Ut Jacobus Eremicola. qui initio tantopere coluit puritatem, ut cum pectus fæminæ infirmitatem mentientis dextra sua perungeret; sinistram interim ne libidine vinceretur per tres horas attonito in igne tenuerit, qui tamen

Quale lilium castitas?

Quia insidias patitur.

Ad Heliodorū.

Pericula castitatis.

Vide Egger: in anathemate.

tamen

tamen tanto gravius poſtmodum corruit quanto glorioſius ante triumphavit. Ut Ioannes Guarinus ferarum cicurator, Dæmonum ex arrepticijs expulſor, ſexcentorum patrator miraculorum qui tamen Godefridi Barcinonenſis comitis filiam quam nuper à dæmonio liberaverat, primum quidem fœdo amore in anima poſtmodum cultro jugulavit in corpore ſuaſu perſonati Dæmonis. Ut juvenis ille de quo in vitis Patrum, onagrorum domitor & magnæ columnæ encomio à Divo Antonio donatus. qui tamen brevi poſt patratum prodigium miſere & turpiter lapſus. Ut demum ille qui Palladio auctore poſt lætos perfecenis ſucceſſus diabolicæ ſuccubuit illuſioni, & quod deterius in deſperationem actus mundum immundum petiit, finaliter in reprobo ſenſu duraturus. Taceo innumera ſimilia exempla quæ generali complexus ſententia Divus Baſilius: ſæpe factum eſt inquit ut qui 30. aut 20. annis ſe in Caſtitate, jeiunijs, orationibus, in multis item lachrimis & Corporis macerationibus diſcrutiarunt tandem lapſi ſunt & in fine ut ajunt fecerunt naufragium miſerabili prorſus ſpectaculo. Fuge igitur niſi vis ſimiliter labi, fuge omnem mali ſpeciem, omne periculum, occaſionem omnem. *Si venerem vitare velis, loca tempora vita. Et locus & tempus pabula donat ei.* Reſpondebis: Hoc non eſt pugnare ſed fugere. Sta in acie adverſarijs armatus obſiſte ut poſtquam viceris, coroneris. Retundit S. Hieronymus hanc obiectionem: *Fateor* inquit, *imbecillitatem meam, nolo ſpe pugnare victoriæ ne perdam aliquando victoriam. ſi fugero, gladium devitavi. ſi ſtetero aut vincendum mihi eſt aut cadendum: quid autem neceſſe eſt certa dimittere, incerta ſectari. Tu qui pugnas & ſuperari potes & vincere. Ego cum fugero non vinco in eo quod fugio ſed ideo fugio ne vincar.* Et Auguſtiuus ruinam vaticinatur celerem illi qui ſe in prælio caſtitatis per fugam non ſalvat. *Sine ulla,* ait ille, *dubitatione qui familiaritatem mulierum non vult fugere, citò dabitur in ruinam.* Victoriam deſideras? viciſti, ſi fugiſti cæterum ſi confligere paras & manum cum caſtris venereis conſerere, jam es proſtratus. Purus in prælium exiviſti, impurus abibis ex arena. *Inter omnia Chriſtianorum certamina ſola dura ſunt prælia Caſtitatis ubi quotidiana pugna rara victoria.* Et verò ideò deſcendimus ad Eremum ut ſimus extra metum ut non audiamus, non videamus quod non licet, ut bella libidinis non patiamur, ne nos capiat oculus mulieris ne forma pulcherrima ad illicitos ducat amplexus. Quod ſi ita eſt ut eſt cur ergo nunc amemus periculum in quo perire ab initio timuimus. *Quid facit Monachus in cellulis fœminarum? quid ſibi volunt ſola & privata colloquia & arbitros fugientes oculi?* Cavè ne oculus deprædetur animam tuam. Ne locus ſecretior pertrahat te in ruinam. *Fugite loca conſcia veſtri.* Griphes aurum effodiunt & in effoſſi inſpectione oblectantur. Griphibus infernalibus nihil æquè jucundum eſt quàm caſtitatis theſaurum ex agro cordis noſtri eruere. Vigilandum igitur nobis ne qua parte fur dæmon ſubintret animas noſtras & ſpolio onuſtus ac jactabundus avernum repetat. Curemus ſemper ut profeſſio noſtra cum vita conveniat, veſtem concordet cum opere, pro-

Fuga ſuadetur in prælio caſtitatis.

Adverſus vigilantium.

De honeſtate mulierum.

S. Hieron: adverſus vigilātium,

missio Deo facta coronetur effectu, aliàs externè monachum, internè præferemus Sathanam. & ut accommodatiori ad rem præsentem utar similitudine, erimus sicut poma Gomorrhea quæ foris auro rubicunda intus non nisi putredine & favillis vitiata deprehenduntur aut sicut sepulchra dealbata quæ cælata foris auro, intus plena sunt ossibus mortuorum, vermibus & sanie putescentia.

Auri mystici veritatemq; tribus Religiosis inesse votis docui. superest ut pretiosam hanc gozam Domino Deo in grati animi tesseram ac beneficiorum Patri nostro religioniq; suæ præstitorum refusionem offeramus amplius eundem debitorem habituri. Danaën quidam depinxit in cuius sinum imber aureus deplueret. adiecit Epigraphen: *Omnia subiecta auro.* Ludicra hæc sunt. Certiori & sanctiori constat oraculo Cælum ipsum imo Deum ipsum auro triplici à me commendato subiectum esse, venalem esse. Cælum tibi patere desideras? Dei viscera vis tibi aperta? his clavibus aureis reserabis. Offeramus igitur ex Gasophilatio cordis nostri triplex munus quod offerre instituimus, aurum pro auro accepturi quale accepit juvenis in tyrocinio vitæ Religiosæ in Conventu nostro Chatkensi existens qui morti proximus dum in domo infirmaria cum cæteris infirmis jam professis decumberet videretq; virum statura procerum, forma venustum, veste fulgurantem singulis fratribus lethali detentis ægritudine aureum unum pro denario diurno offerre, se vero præteriri, lachrimis suffusus ac voce singultu prærupta petijt ac obtinuit, ut sibi quoq; si non pro labore saltem pro laboris studio præmium cæteris oblatum prorrigeret. Cuius evidens testimonium fuit forma aurei diductis manibus Superiori monstrata. Hoc auro donabit nos & nostra præmiabit vota ille cuius manus aureæ tornatiles seu juxta hebraicam versionem, *rotæ auri* semper veloces, semper amabili currentes gyro ad aureum æternæ beatitudinis largiendum annulum.

Typotius.

Annales lib: 2. cap: 33.

Novitius eandem mercedem Professis accipit.

QUATUOR ACTUS

SPIRITVALES

Ante Nativitatem Christi Domini inter principaliores Iudeæ regionis Urbes non postremo computabatur loco Bethleem non tam propter ædificiorum splendorem domusq; miserorum pænis & labore vestitas quam propter nasciturum in ea Messiam juxta oracula Prophetarum. Nato Salvatore augustius inclarescere cæpit & magnitudine famæ per universum Orbem coruscare ut mox ob Christi solemnes institutæ sint ad eam peregrinationes dum & pastores de prope & Reges de longe ad cunas Christi accurrerent. Crescente ævo temporum crevit quoq; populi ad eum devotio. Longum inquit S. Hieronymus ab ascensu Domini usq; ad præsentem diem per singulas ætates currere qui Episcoporum qui Martyrum qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica

In pervigilio Nativitatis Domini.

Ad Marcellā.

virorum

virorum venerint Jerosolimam (& Bethleem) putantes se minus religionis minus habere scientiæ, nec summam ut dicitur manum accepisse virtutis, nisi in illis Christum adorassent locis. Et post pauca: quicunq; in Gallia fuerit primus huc properat. Divisus ab Orbe nostro Britannus si in religione processerit, occiduo Sole dimisso quærit locum fama sibi tantum & scripturarum relatione cognitum. Nimirm beatos se arbitrabantur homines si locum ortu Christi consecratum salutassent. Quid vero nos? nunquid extorres beatitudinis qui ex solo auditu & lectione de Bethleem contraximus notitiam. Minimè certè: Beati qui non viderunt & crediderunt. Non Ierosolimis fuisse sed Ierosolimis bene vixisse laudandum est. Singuli quiq; credentium non locorum diversitate & celebritate sed fidei merito ponderantur. Paulus Antonius & cuncta Ægypti Monachorum examina non viderunt Ierosolimam cum suo territorio & tamen illis absq; hac Urbe patuit Paradisi janua. Ne quidquam putemus deesse fidei & devotioni nostræ quod testem Nativitatis Christi Civitatem non viderimus. Jmo verò quia Deus semper deuota exaudit suspiria; potimur voto nostro, & mysticam Bethleem ubivis gentium habemus. Bethleem ex vi nominis est domus panis; templum autem quodlibet quid aliud est quàm domus panis ubi scilicet panis de cælo descendens continuò asservatur. Quodvis item Monasterium nonne domus panis est, domus videlicet meditationis & contemplationis quæ panis animæ nostræ quotidianus convenientissimo appellatur vocabulo. Panis equidem cor nostrum confirmans, & usq; adeò corroborans ut eo confortati ad montem Sion robusti pervenire possimus. Deo eo memoratus Doctor ad Florentium. Nosti ait hoc esse Christianæ animæ pabulum si in lege Domini meditetur die ac nocte. Quo ut fructuosius alamur, naturam eius modumq; vescendi præscribo. *Ad Paulinum*

Sanctus Augustinus labore manuali quodam tempore occupatus cum de animi exercitio cogitaret cogitanti subito se quatuor gradus spirituales obtulerunt. lectio, Meditatio, Oratio, Contemplatio. Singulos *in scala Paradisi* congruentibus edisserit definitionibus. Lectio inquit est sedula scripturarum cum animi intentione inspectio. Meditatio est studiosa mentis actio occultæ veritatis notitiam ductu propriæ rationis investigans. Oratio est devota mentis in Deum intentio pro malis amovendis & bonis adipiscendis. Contemplatio est mentis in Deum suspensæ quædam elevatio æterna gaudia degustans. Si explicatam recensitorum actuum naturam clariorem notioremq; reddit apposita ad rem nostram similitudine: lectio quasi solidum ori apponit cibum, meditatio masticat & frangit, Oratio saporem acquirit, Contemplatio est ipsa dulcedo quæ reficit ac delectat. Gradus proinde istos quatuor portiones spirituales aut quatuor missus convivij interni rectissime dixeris. De quibus illud notandum quod concatenati sint & vicaria ope sibi invicem deserviant, prioresq; sine posterioribus aut modicum aut nihil prosint posteriores vero sine prioribus aut raro aut nunquam reperiantur. Quid enim prodest lectio sine meditatio-

Lectio. *Meditatio.* *Oratio.* *Cōtemplatio.* *Connexi sunt ad invicem debentq; esse actus isti.*

ne quid meditatio ſine Oratione? nihil profectò juvat tranſcurrere myſteria vitæ Salvatoris noſtri aut geſta Sanctorum legendo niſi ea maſticentur & in interiora cordis traijciantur. Nihil item confert meditari & per meditationis diſcurſum diſcere hæc facienda illa omittenda niſi orationis beneficio ad bonum agendum & malum declinandum à DEO poſtuletur auxilium. Lectio ſine meditatione arida eſt, meditatio ſine lectione erronea, Oratio ſine meditatione tepida, meditatio ſine Oratione infructuoſa, Oratio cum devotione contemplationis eſt adeptiva, contemplationis adeptio ſine Oratione aut rara aut miraculoſa. Et quia brevius iter per exempla, inducit præfatus D. Pater doctrinæ ſuæ confirmandæ Samaritanam. Venit hæc aliquando ad puteum Iacob hauſtura aquam ſedente penes cum Chriſto Domino ex itineris labore fatigato. Alloquitur ergo eam Dominus: Mulier da mihi bibere. Recuſat illa aut verius in ſpeciem videtur recuſare. Urget Chriſtus: O mulier ſi ſcires donum DEI & quis eſt qui tecum loquitur tu forſitan petiſſes ab eo ut daret tibi aquam qua guſtatâ non ſitires in æternum. Audita hac quaſi lectione mulier, cæpit illico meditari quis ſit iſte cum quo miſcet ſermonem, quod iſtud donum DEI quænam aqua hæc ſitim uſq; adeo reſtinguens? recogitabat bonum ſibi fore petere hanc aquam ideoq; accenſa hauſtus eiuſmodi deſiderio prorupit in Orationem. *Domine da mihi hanc aquam ut non ſitiam in æternum.* Ecce auditus Verbi Divini & ſequens ſuper eo meditatio incitaverunt eam ad orandum. Orationem è veſtigio ſecuta eſt contemplationis gratia. Perfuſa enim feliciſſima Oratrix dulcedine Spiritus S. aqua ſcilicet ſupernaturali, in tantum exultavit ut præ gaudio moras omnes excutiens lætabunda ad Civitatem ſuam cucurrerit ibiq; nomen & adventum Meſſiæ mira cum voluptate animi divulgarit.

A Samaritana uſurpãtur.

Eodem Ordine & paſſu Sponſa cæleſtis in veteris teſtamenti ſignata Patribus myſterium Incarnationis recolebat & ſic recolens ſpiritum ſuum ſaginabat. Lecto namq; in ſacris literis futuro Meſſiæ adventu, lectis adventus eiuſdem in Iſaia appenditijs ſeu circũſtantijs meditabatur quando, quo in loco, qua ex muliere naſcetur Salvator, perpendebat naſciturum de Virgine in ſpelæo Bethleemitico, abq; famulitio abſq; ſplẽdoribus aulicis non in palatio, non in Baſilica in qua ebur atq; aureum renideret lacunar, ſed foris extra Civitatem, in Ephrata, in Campis ſilvæ. Naſciturum noviſſimis temporibus ijſq; in quibus non eſſet qui faceret bonum non eſſet uſq; ad unum. Neq; in ſola perſiſtebat meditatione verum ad ardentem tranſibat Orationem. *Oſculetur me oſculo oris ſui. Dicebat perfectus quiſq;* S. Bernardus, *quo mihi hæc ſemi verba Prophetarum ipſe potius ſpecioſus forma præ filijs hominum loquatur mihi, ipſe me oſculetur oſculo oris ſui. Non audio jam Moyſen, impeditioris ſiquidem linguæ factus eſt mihi. Iſaiæ labia immunda ſunt. Ieremias neſcit loqui quia puer eſt, & omnes Prophetæ elingues ſunt, ipſe, ipſe quem iſti loquuntur loquatur mihi. Cuius utiq; ſermo vivus & efficax, dulcis inſtar oſculi mihi erit.* Calentiſſima ſane poſtulatio? poſt quam confeſtim rapta in contemplationem interioriq; delibuta ſuavi-

A Sponſa in Patribus veteris teſtamenti

ta ſuavitate: *Meliora ſunt* inquit *ubera tua vino.* Jn hebræo textu legitur: *meliores ſunt amores tui quam vinum*, id eſt quam omnes terrenæ delectationes quæ plus aloes quam mellis habent. acredinis & amaritudinis plurimum, jucunditatis paululum afferunt. Huc ſpectat illa alia ejuſdem Sponſæ ſupplex petitio: *quis mihi det te fratrem meum ſuggentem ubera Matris meæ ut inveniam te ſolum foris & deoſculer.* ac ſi diceret: Lego te per aſſumptionem carnis humanæ fore fratrem meum, lego & meditor ubera materna libaturum. O quis mihi det te ad ubera genitricis dulce pondus pendentem videre quis mihi det te natum foris in ſolitudine invenire, inventumq; non jam reali labiorum attactu, quod non mereor, ſed per contemplationem deoſculari? Et ecce feſtinus ad vota dilectæ adeſt Sponſus & ultra eius deſideria levam capiti ſupponit dexteram verò de qua illud: *delectationes in dextera tua ſemper*, in amplexus ſupernarum voluptatum expedit, ſicq; in Cæleſtibus blanditijs & conſolationibus ſoporat ſponſam, atq; ne à quopiam è ſuaviſſimo ſopore excitetur jureiurando obſtringit: *adiuro vos filiæ Ieruſalem ne ſuſcitetis, neq; evigilare faciatis dilectam donec ipſa velit.*

Jpſi Paſtores in ſua ruſticitate ſapientiſſimi hoc eodem modo panem ſpiritualem maſticarunt & manducarunt. Prælegit illis materiam Angelus meditationis: *Annuntio vobis gaudium magnum natus eſt vobis Salvator in Civitate David & hoc vobis ſignum, invenietis infantem poſitum in præſepio.* Hoc audito protinus meditabantur quis iſte Salvator? ille ne promiſſus à ſæculo ille ne quem Prophetæ prædicarunt, cuius adventum univerſus Iſrael avidiſſimè præſtolatur? Eamus, mutuo ſe cohortabantur, curramus, videamus infantem hunc, intueamur Verbum hoc quod fecit Dominus & oſtendit nobis. Iverunt, venerunt in Bethleem, ſupplices orarunt ut quod conſpiciebant carne cognoſcerent intellectu & quod cognoſcerent per intellectum ſentirent per affectum, ſubitoq; illuminati mente, accenſi voluntate præmium ſuæ meditationis orationiſq; reportarunt dulcedinem Cæleſtem. O quis exprimat, quas ibi fuderunt lachrimas, quæ ſuſpiria in illa animi exultatione ediderunt. *Et reverſi ſunt Paſtores glorificantes & laudantes* DEUM. *à Paſtoribus.*

In particulari ſanctos varios eiuſmodi pabulo ſpiritum ſuum impinguantes recenſere velle inane ſi non temerarium. Præterire tamen nequeo Divum Hieronymum qui quoties myſterium Nativitatis Chriſti in templo Bethleem meditaretur, poſt interpoſitas Orationes extra ſe raptus præſentem ſibi videre videbatur Ieſulum infantem. Hinc illæ eius voces: *Ecce in hoc parvo terræ foramine Cælorum Conditor natus eſt, hic involutus pannis, hic viſus à Paſtoribus, hic demonſtratus à ſtella hic adoratus à Magis. Et hic puto locus ſanctior eſt Tarpeia rupe quæ de Cælo ſæpius fulminata oſtendit quod Domino diſpliceret.* Eundem guſtum in Cælico obſoniò probavit nobiliſſima & ſanctiſſima matrona Paula quæ cum inviſeret Bethleem ſuis ſtipata comitibus: *me audiente* inquit idem B. Hieronymus *jurabat ſe oculis fidei cernere infantem pannis involutum, vagientem in præſepi Dominum, Magos adorantes ſtellam fulgentem* *à SS. varijs.* *Ad Marcellam*

gentem desuper, Matrem Virginem, nutritium sedulum, Pastores nocte venientes parvulos interfectos Herodem sævientem Ioseph & Mariam fugientes in Ægyptum, mixtisq; gaudio lachrimis loquebatur: Salve Bethleem domus panis in qua ille natus est panis, qui de Cælo descendit. Salve Ephrata regio uberrima, cuius fertilitas DEUS *est.* Taceo ut proposui innumeros sanctos qui quotiescunq; Nativitatem Christi Domini meditatione orationeq; præmissa attoniti contemplarentur in uberes resolvebantur lachrymas quæ sunt nuntij & testes Divinæ consolationis; si tamen stillæ ex oculis inter contemplandum expressæ lachrymæ dicendæ sunt & non potius roris interioris superinfusi gemma. *In lachrimis agnoscit anima sponsum suum, amplectitur desideratum suum.*

Lachrymæ signum præsentiæ specialis in corde nostro Spiritus S.

Non ad solos quos in medium adduxi & quos veridicæ Historiæ celebrant gratia Divina derivata est sanctis. Etiam nobis spiritualis offeretur gustus, si exposito ordine & modo Cælestem quæramus refectionem. Christi monitum est: *quærite & invenietis pulsate & aperietur vobis. Quærite legendo* exponit D. Augustinus & *invenietis meditando, pulsate orando, & aperietur vobis contemplando.* Utq; libertatem arbitrij nostri factor eiusdem adstruat, se vicissim ad ostium cordis nostri stare & ingressum petere ostendit Apocal: 3. *Ego sto ad ostium & pulso si quis audierit vocem meam & aperuerit mihi januam intrabo ad illum & cænabo cum illo & ipse mecum.* Ubi in quatuor incisis quatuor de quibus ago gradus subaudiuntur. Si quis inquit audierit vocem meam in lectione; quia dum sancta legimus loquitur nobis Christus & aperuerit januam in meditatione; meditando enim pessulum cæcitatis vel carnalium affectum à nostro pectore amovemus liberum Sponso introitum facientes. intrabo ad illum in oratione; neq; etenim sufficit januam aperire sed restat convenienti humanitatis officio hospitem invitare. Et cænabo cum illo & ipse mecum in contemplatione. Quid putas hanc Cænam esse quærit Pãnonius respondetq; spiritus consolationem gaudium, pacem, delicias Cælestes quæ DEus his quorum mentes inhabitat, communia facit. Ad nos specialius directum credamus sermonem quibus legere, meditari, orare, contemplari, quarto modo proprium esse debet, ideoq; Præsul Hipponensis memoratos actus scalam Claustralium appellat. Et rectè quidem, quia per eos ascendimus ad Divinæ claritatis intuitum, cumque mentis nostræ acies infirma veri luminis illustrationem diutius sustinere non potest, per eos item ad humanas redimus actiones leviter atq; ordinate ex cacumine contemplationis ad aliquem trium graduum descendendo. Jsta est scala Iacob verba usurpo quem sæpius honoris causa memoro D. Hieronymi perquam Angeli ascendunt & descendunt, cui Dominus inititur lapsis porrigens manum & fessos ascendentium gradus sui contemplatione sustentans. Cænacula olim in superiori domus contignatione construi solebant ad quæ per scalas seu cochleas ire necessum fuit. Unde & tota Superior domus authore Festo Cænaculum vocabatur. Cænaculum spirituale ubi Christus cum anima nostra convivatur in supernis est, nec aliter nisi per gradus scalæ præfatæ, ad illud conscenditur. Multi sunt

In scala Paradisi.

In Apocalyp.

Quatuor actus præfati Religiosis proprij debent esse.

Vocantur Scala claustraliũ

Scala Iacob.

ti ſunt qui quaſi per Cochlidem nituntur ad Cænæ Chriſti accubitum aſcẽdere, tortuoſas & difficiles quibus ad contemplationem pertingant ineundo vias: at ſi facilem exoptas aſcenſum, ſcalam ingredere propoſitam. Hic tamen etiam cavendum, ne poſt contemplationem perquam elevabaris uſq; ad Cælos, ſubito lapſu uſq; ad abyſſos proruas & qui ex menſa Cæleſti veſcebaris voluptuosè, ad porcorum alveos ſiliquis repletos prolabaris.

Facilè per eos aſcenditur ad perfectionem.

Monſtravi quomodo panem myſticum ſalubriter manducare valeamus accommodata ad circumſtantiam temporis exempla propoſui, Chriſti monitum oſtendi, quid reſtat niſi ut ſecuturis diebus imò dum vita ſuperſtes in Bethleem ad cunas Salvatoris commoremur legentes meditantes Orantes contemplantes. Pingveſcent brevi ſpecioſa deſerti hoc eſt nos ipſi deſerti cultores qui ſpecioſi coram Domino eſſe tenemur, pingueſcemus ſpiritu, ſicut adipe & pinguedine conſolationibus Divinis replebimur dummodo per meditationem lectione ac oratione conditam noſtrum ſtudeamus inpinguare animum. Panis, quod prætermiſi, ideo à pàn græco quod ſignificat *omne*, ſuam trahit appellationem, quia omnibus pulmentis & ciborum generibus adhiberi ſolet. Si ſapimus ſi curam ſalutis habemus univerſis exercitijs noſtris actus explicatos jungamus in brevi ſpatio temporis probaturi, quàm bene cor hominis panis iſte confirmet. Botro quidam adſcripſit Epigraphen: *paſcit & inebriat.* Huic Cæleſti de quo loquor pabulo convenientius id appingere poſſis cum interiorem hominem miro modo corroberet & lætificet atq; ſancta quadam ebrietate ſoporet. Beatus cui panis iſtè ſapuerit maledictioni proximus qui ſuper cibo iſto nauſeaverit. Sed quid ego ſermonibus linguam occupo ubi experientia magiſterium aſſumere valet & efficacius docere. Novi, novi, quia nec lingua valet dicere nec litera deſcribere expertus ſolus poteſt credere quid ſit in contemplationis dulcedinem pertingere.

EXERCITIA
SPIRITUALIA.

NUllibi frequentius quam in deſerto commorantem Chriſtum proponunt nobis hoc Quadrageſimæ tempore ſancta quæ diebus Dominicis leguntur Evangelia. Audivimus eum in deſertum à Spiritu Sancto ductum ibiq; diaboli artes & tentationes elidentem & victi proſtratiq; dæmonis naribus circulum imponentem ut ei quivis imbellis & imbecillis homo illudere inpoſterum valeat. Audivimus in deſerto montis Thabor transfiguratum gloriam ſuam diſcipulis manifeſtaſſe. Sequens Dominica confertiſſimas populorum in Eremo turbas paſcentem inducit. Nimirum dulciſſima ipſi fuerat in deſerto manſio in quo ſibi parari viam præceperat, in quo à Sanctis Patribus veteris teſtamenti Prophetico

Ante Dominicam Lætare.

conſpiciebatur oculo: *invenimus in Campis ſylæ.* Unde verò hic amor ſolitudinis? Ubi illa amoroſa coram Angelis proteſtatio? deliciæ meæ eſſe cum filijs hominum, quandoquidem à conventu hominum ab Urbibus Civitatibus & caſtellis ſe in vaſtas elongat ſolitudines? Aptior videlicet locus eſt in deſerto benefaciendi hominibus. Hic orandi, hic gratias impertiendi, hic Divina arcana revelandi, hic ad cor loquendi commodiſſima opportunitas. Jam quis oro eſt quem pigeat aliquid beneficij de aperta manu DEI accipere? quem pigeat ex ore Divino neceſſaria ſaluti cognoſcere, addiſcere artem ſuperandi ſpiritualia nequitiæ, videre gloriam Domini, pabulum conſolationis internæ deguſtare? Hoc qui deſiderat ad deſertum vadat, ad deſertum non aliud quàm ſolitudinis decumanæ in qua ſpiritualia exercitia juxta receptiſſimum morem & regulas in Magiſtris ſpiritualibus præſcriptas peraguntur. Et quia in Eremo erratur facile, præcurram in nomine Domini & quam viam primùm arripere, quibus poſtmodum procedere debeamus, modumq; procedendi demonſtrabo.

PerfectioChriſtiana quid.

De doctrina Chriſtiana.

Teretius in Idiota.

2. 2. 9. 184. art: 2.

Tres ſtatus charitatis.

Generalis finis exercitiorum ſpiritualium perfectio Chriſtiana quoad rem nihil eſt aliud quàm Charitas Divina quæ eſt motus animi ad fruendum DEO propter ſe & ſe atq; proximo propter DEUM uti definit S. Auguſtinus. Charitas enim perficit & conſummatum reddit hominem in lege DEI juxta Apoſtolum: Plenitudo legis eſt dilectio. perficit inquam quia cum DEO fine noſtro ultimo, arctiſſimo unitatis coniungit nodo. Abſq; charitate homo fide licet ſpeq; inſtructus initium duntaxat Creaturæ DEI eſt, at cum charitate, perfecta DEI Creatura. abſq; charitate, ſemen tantum habet juſtitiæ DEI ſi fidem ſpemq; habeat; cum charitate conſummatam juſtitiam. Tres porro ſunt charitatis Divinæ ſtatus ut notat Doctor Angelicus. Primus eminens in quo etiamſi homo frequentiore actu res ſuas non referat ad DEUM ita tamen adhæret DEO ut à ſuo affectu excludat omne id quidquid contrariatur amicitiæ Divinæ quale eſt peccatum mortiferum. Charitatis huius meminit D. Ioannes. *Qui ſervat mandata eius in hoc charitas DEI eſt perfecta.* Secundus ſtatus eſt eminentior in quo non modo quis excludit à ſuo affectu peccata mortalia ad illaq; diſpoſitiones proximas verum etiam impedimenta quæcunq; ipſum retardare in ſervitio DEI & profectu ſpirituali poſſent amovet media verò ſtabiliendi ſe in amore DEI magis magiſq; aſſumit. Tertius eminentiſſimus in quo affectus ſecundum totum ſuum ſuum poſſe ſine omni macula & formidine peccati continuò fertur in DEUM, hic ſolorum eſt beatorum. Primus omnium Chriſtianorum. Secundus Religioſorum. Omnes ergo Chriſtiani obligantur ad perfectionem primi ſtatus Religioſi etiam ad ſecundi. Et è Chriſtianis & è Religioſis ad ſuam quilibet urgetur vi præcepti perfectionem juxta illud: *non erit inconſummatus in filijs Iſrael.* Et illud 1. ad Corinth: 13. *de cætero fratres gaudete, perfecti eſtote.* Ad ſecundum qui Religioſis competit charitatis ſtatum conſequendum per tres vias quæ non ſunt locorum ſed affectuum proceditur, purgativam in qua per charitatem excluduntur omnia peccata mortalia, vitia purgantur, paſſiones mortificantur & alia removentur

quæ ad

quæ ad peccatum diſponunt. In hac via etiam virtutes exercentur ſed cum difficultate; actus quoq; unionis cum DEO fiunt non tamen perfecti nec ſtabiles. Illuminativam, in qua homo magna ex parte purgatus manens à peccatis & vitijs ideoq; ſupernè illuminatus exercet ſe in virtutibus eaſq; cum facilitate perficit: actus quoq; unionis cum DEO puriores & ſtabiliores elicit. Unitivam. in qua quis planè vacuus vitijs, amore proprio deſtitutus, formatus firmatuſq; virtutibus, puriſſima & ſtabili charitate DEO adhærens heroicarum virtutum actus non tantum cum facilitate ſed etiam cum gaudio & invicta conſtantia producit quàmvis non ſine aliquibus maculis & imperfectionibus ac formidine peccati mortalis. Triplex hic perfectionis ſpiritualis gradus reſpondet triplici actioni Angelicæ quæ eſt juxta D. Dionyſium de Cæleſti hierarchia Purgatio, illuminatio, perfectio. Tribus acceptionibus voluntatis Divinæ, bonæ, beneplacentis & perfectæ. Triplici vocabulo quod Chriſtus aſſumere dignatus inquiens. Ego ſum via, veritas, & vita. Tribus generibus boni utilis, honeſti, delectabilis. Ad hos igitur ternos charitatis gradus architectandos adinventum eſt medium convenientiſſimum atq; efficaciſſimum ſpiritualium exercitiorum hoc eſt Orationum, lectionum, meditationum, examinum conſcientiæ, per octo vel decem dies in ſolitudine ductu Magiſtri ſpiritualis peragendorum; ubi ſcilicet unicuiq; præfatorum graduum proportionatæ materiæ ex ſacris ſcripturis deſumptæ recogitentur ruminentur & ſtudioſo mentis diſcurſu tractentur, hinc affectus varij eliciantur, propoſita concipiantur, rariora lumina accendendo ſpiritui dum in teporem reſolvetur valitura connotentur. *Tres viæ quibo proceditur ad ſdùm: charitatis ſtatū.*

Praxim huius ſacri ſeceſſus diſcere licet ex ſcriptura. Cant: 7. evocat Sponſa dilectum ſuum à convictu hominum ad Campeſtrem ſolitudinem. *veni dilecte mi egrediamur in agrum.* Hebraica verſio habet in *Campum.* ſtatimq; diſpoſitionem temporis & operis ſub dio faciendi præſcribit: *Mane ſurgamus ad vineas videamus ſi floruit vinea, ſeu ex hebræo vitis, ſi flores fructus parturiunt, ſi floruerunt mala punica.* quaſi diceret, non animi cauſa ſpaciabimur ſed neceſſitatis & utilitatis impulſu ut quo in ſtatu ſit vinea noſtra videamus, an floreat an fructificet, an mala punica in ſuis germinet arboribus. Myſtyca hæc ſunt omnia. Egreſſio, ſolitudo, flores, fructus, mala punica. Egreſſio eſt animi à terrenis averſio, ſolitudo ſignificat mentis una cum corporali ſequeſtratione quietem. flos denotat externam compoſitionem & primum in via vitaq; ſpirituali germen *flos eſt,* ait Pannonius, *formula recens emendationis vitæ, flos diſciplinata facies, flos bona totius corporis habitudo, cultûs corporum negligentia veſtiumq; ſermo rarior vultus hilarior, aſpectus verecundior, inceſſus maturior. Hæc flores cenſenda ſunt & ſpes fructuum magis quam ipſi fructus;* ideoq; eiuſmodi externè compoſitos bonæ ſpei vocitamus. Fructus porro virtutes & bona opera ſunt. Mala punica actus ferventes charitatis. In ſolitudine igitur decem dierum ad quam nos ut filios dilectos Sponſa DEI Religio noſtra cohortatur, idem nobis progreſſus obſervandus, Quando vinea floret fugantur odore foliorum omnia venenata inſecta; ſed vulpecu- *in Cantica.*

læ vel maximè tunc insidiantur erumpentes florum gemmas excutiendo. Primo itaq; videndum est per meditationes & conscientiæ examina an vitis vitæ nostræ floreat an det odorem bonæ famæ an serpentes infernales è sinu conscientiæ nostræ profugerint omnesq; vitiorum & peccatorum virulentæ bestiæ; an & quæ tentationes vulpecularum nomine signatæ insidientur nobis quibus eijciendis opportuna conquiramus media? Pergendum deinde non motu locali sed mentis extensione ad intuendum num flores fructus parturiunt? num per exercitium virtutum & bonorum operum fructificemus DEO; an simus plantatio quàm plantavit Pater Cælestis? Ex fructibus id cognoscemus. Arbor bona fructum bonum facit; malà è contra malum. Fructus malæ arboris peccata, vitia, inolitæ pravæ consuetudines, frequens & facilis statutorum ac observantiarum Regularium transgressio. Fructus bonæ arboris virtutes sunt, humilitas, mansuetudo, patientia, cæteraq; religiosi ne dicam Christiani hominis ornamenta. Demum procedamus ad studioso mentis intuitu considerandum an mala punica, actus charitatis Divinæ, ferveant in nobis an igneo charitatis rubeamus ardore, an radijs solis æterni expositi inardescamus? Malum punicum idem est quod malum granatum. dicitur granatum quia multitudinem granorum habet rubedine tinctorum. Multa hæc grana sunt multa bona opera per charitatem rubea. Aspirans quidam è Clero ad Cardinalatum obtulit Patrono cujus suffragijs promoveri petebat fructus immaturos & virides in disco pretioso, breve adijciens Epistolium: *Te sole rubescere gaudent.* Nostri immaturi operum & exercitiorum quorumvis fructus non nisi ad solem Divinæ justitiæ rubescere nonnisi ex consideratione Divinæ bonitatis amabilitatis pulchritudinis divinorumq; beneficiorum & præstitorum & præparatorum nobis flavescere imò ignoscere possunt. Jgitur ad conspectum lucis increatæ statuenda opera nostra ut ex viridibus rubea ex frigidis flagrantia ex obscuris & tenebrosis reddantur lucida. Sed dulcius ex ipso fonte bibuntur aquæ. Jpse qui est exemplar perfectionis doceat nos quid in sacra decem dierum solitudine agere debeamus. Ex eo qui se fontem aquæ salientis in vitam æternam in hodierno nominavit Evangelio doctrinæ aquam cum Samaritana hauriamus.

Typotius.

Joannis 9. Factum prodigiosum Christi Domini commemoratur: Vidit Cæcum à nativitate & propter manifestanda DEI opera decrevit eum sanare fecitq; quod voluit. subest enim ipsi cum voluerit posse. At videte quibus eum sanavit gradibus. Lutum fecit ex sputo linivit oculos cæci, misit ad natatoriam Siloe quod interpretatur missus, ivit ille, lavit oculos, nec mora perfectum visum obtinuit. Nos omnes in persona huius Cæci indigitamur. Cæci sumus quos cæcavit malitia spargente DEO lege infatigabili pænales cæcitates super illicitas cupiditates. Deest nobis lumen supernaturale, lumen ad videnda bona & mala, hæc vt caveamus illa ut faciamus. Quo igitur artificio illud consequemur? præscripsit nobis collijrium Christus. Luto oportet liniamus oculos interiores, cognitione vilitatis nostræ, lutosæ, materiæ nostræ lutosæ voluntatis nostræ, peccatorumq; in quibus velut in Cæno immunda

munda volutabamur animalia. Post eamus ad natatoriam Siloe. Per hanc ex ipsa Evangelistæ expositione devenimus intelligi vitam passionemq; Christi missi in hunc mundum à Patre æterno. Hanc accedamus huic intellectu & affectu immergamur hanc meditemur & fiet nobis lavacrum oculorum ut qui antea in tenebris ambulantes lædebamus sæpius pedes affectuum nostrorum, lumine recepto inoffenso deinceps pede in odorem suavitatis divinæ curramus. Narratur fons quidam esse in quo si facem merseris protinus lucere incipit. Fabula ne sit an veritas non discutio. illud indubitatum, vitam passionemq; Salvatoris nostri aquam esse illuminantem & accendentem. Tandem sic abluti sic illuminati ad heroicos perfectorum assurgemus actus cum felicissimo cæco illo. Hic namq; post purgationem illuminationemq; suam mira audacia stupenda animi præsentia Concilio aut verius conciliabulo Iudæorum blasphemanti Christum resistebat, sermones impios retundebat, elegitq; Apostolica planè fortitudine eijci ex Sinagoga quam Christi honorem amoremq; deserere ut taceam alios fidei confessionis, adorationis, resignationis, heroicos actus in Evangelio accuratè descriptos ab eodem in cæcitate nato homine elicitos. Ad eosdem nos pari gratiæ Divinæ dono elevabimur in meditationibus viæ unitivæ post considerationem lutosæ conditionis nostræ lutosorumq; morum nec non post luminis receptionem ex vitæ mortisq; Christi rememoratione. Is modus etiam in rebus naturalibus conspicitur quod non statim ad summa quidpiam perveniat sed ab imis incipiendo paulatim ascendit donec ad complementum sui motus pertingat. A minoribus ad maiora pedetentim fit progressus. In quovis opere principium inchoat, medium prosequitur, finis perficit. Architectonica ars primò fundamentum ponit deinde parietes ædificat. tandem tectum cum suggrundijs superstruit. Chirurgica vulnus ante omnia purgat, post emplastrum apponit, demùm aptè alligat. OEconomica agrum à sentibus & frutetis inutilibus evacuat exercendo eum vomere & in glebas vertendo occandoq; postea seminat, ultimò cum expectata in patientia messis venerit, collectas fruges ad horrea reponit. Ea namq; est Divinæ providentiæ circa nos dispositio ut quia imbecilles vires habemus, à minimis in operando incipientes gradatim proficiamus donec ad operis exitum attingere & rudem accipere liceat.

In Epiro.

Simile à rebꝰ naturalibꝰ in quibus paulatim fit à minoribus ad altiora progressus.

Sacra hæc exercitatio quàm sit nobilis quàm ad perfectionem cōpendiosè ducat & præconia Sanctorum Patrum declarant & statuta Ordinum quibus præscribitur & ipsum locupletissimum indulgentiæ plenariæ exercitatoribus à sede Apostolica concessum præmium. *Maximum* inquit unus ex Magistris spiritûs *ad justitiam auxilium est implere Divinis eloquijs animum & quod opere exequi cupias semper corde meditari.* D. Hieronymus in Epistola ad Rufinum excurrit in copiosas Bonosi laudes qui desertam quandam insulam ubi Divina meditaretur insederat. *Solus ibi* (inquit S. Doctor) *imo jam Christo comitante non solus videt gloriam* DEI *quam etiam Apostoli nisi in deserto non viderant. non quidem conspicit turritas Urbes sed in novæ Civitatis censu dedit nomen suum. Abruptæ rupes quasi quendam horroris carcerem claudunt: ille securus intrepidus & totus de Apostolo armatus*

Laus Exercitiorum.

S. Paulinus ad Celantiam.

matus nunc DEUM *audit dum Divina relegit & meditatur, nunc cum* DEO *loquitur cum Dominum rogat. & fortaſſe ad exemplum Ioannis aliquid videt dum in inſula commoratur.* Laudi meditationum ſacrarum accedit quod in vitis Patrum libro 6. refertur. Senex quidam probatus & viſionibus crebris à DEO honoratus vidit aliquando fratrem quempiam meditari ad cuius cellam dæmon interea ſupervenien dum ingredi vellet, quaſi vi quadam reiectus, foris ſtare coactus eſt, nec prævalebat intrare quouſq; Religioſus ille vacabat meditationi. poſtquam vero ceſſavit à meditatione, diabolus libere & quaſi nullo prohibente intravit cubiculum. Virtus hæc orationis mentalis uti & vocalis atq; aliorum ſpiritualium exercitiorum non latuit Patres noſtros antiquos Eremicolas. Hi enim potiſſimum in Monaſterijs circa Iordanem degentes laudabilem eam obſervabant conſuetudinem. Dominica prima Quadrageſimæ peracta devotione ſumptoq; prandio conveniebant omnes ad Oratorium ibiq; flexo poplite oratione præmiſſa invocata gratia Divina ſuperioris benedictione ſuppliciter implorata & accepta, omnes proceſſionaliter è Monaſterio per portam regiam ſic dictam quod ſemel duntaxat in Anno aperiretur exibant, Pſalmum *Dominus illuminatio mea* intonantes. ſicq; annonam quam unusquiſq; ſecum è Clauſtro acceperat ille dactilos, hic caricas; hic ſiccum panem, iſti penitus nihil portantes ad Iordanem uſq; pergebant. Tranſvadato amne ſeparabantur ab invicem, atq; in deſertum ſe recipiebant, meditationibus, orationibus, mortificationibus, ſoli DEO notis vacaturi. quod ſi ſors tuliſſet unum ab alio etiam à longe videri ſtatim declinabant & mutuum fugiebant conſpectum. Tandem pro Dominica palmarum celebraturi feſtum Reſurrectionis Domini omnes in Clauſtrum redibant. Laudatiſſimo huic mori ſucceſſit in ſacris Religionibus uſus peragendi exercitia ſpiritualia quibus perficiendis deſertum profundius ingredimur dum in ſolitudine extraordinaria ponimur ut ſoli cum ſolo DEO commoremur.

Meditatio Dæmonis retinaculum.

In vitis Patrū.

Mos antiquorum. Monachorum peragendi exercitia ſpiritualia ante Paſcha.

His ergo & nos quouſq; ſacrum tempus Quadrageſimale currit more inſtitutoq; maiorum, imo noſtra devotione & profectus ſpiritualis amore benedictionem ſuperioris ac ducem ſpiritualem aſſumēdo accingamur ſervaturi Ordinem in ſtatutis præſcriptum, habituri ante oculos temporis diſtributionem necnon digeſtionem meditationum, lectionum, mortificationum & tandem per memoratam triplicem viam ordinate progreſſuri in hunc exempli gratia modum. In principio otij huius negotioſi conſiderabimus quàm vilis ſit conditio noſtra quàm brevis vita noſtra quàm via lubrica, quàm mors certa, hora mortis incerta, recogitabimus quantis amaritudinibus admixtum ſit ſi quid dulce aut jucundum in medio huius vitæ occurſu nobis alludit, quam fallax & ſuſpectum quam inſtabile & tranſitorium eſt quidquid ſpecies pulchritudinis temporalis promittit! Recogitabimus quomodo peccata faciles aditus habent ſed difficiles exitus. dum ſuadent ungunt ſed poſtquam ſuaſerint uſq; ad mortem animæ plus dicam plerumq; etiam uſq; ad mortem corporis pungunt. Multi enim lanienam malæ conſcientiæ ferre non valentes mortem ſibi ipſis conſciſcunt finem temporalis, principium æterni tormenti hoc pacto invenien-

Norma viæ purgativæ.

S. Auguſtinus de vera falſa pænitentia.

Idem de cordis contritione.

invenientes. O verè malum & amarum eſt relinquere Dominum DEUM aut enim continui dolores cruciabunt pænitentem vitam noſtrã aut etiam cruciatus æterni vexabunt puniendam animam noſtram. Perpendemus quia judex terribiliter diſtrictus, inæqualiter ſeverus, immoderatè offenſus vehementer iratus. Sententia immutabilis. carcer irremediabilis. tormenta ſine intervallo & ſine temperamento. tortores horribiles qui nunquam laſſantur, nunquam miſerentur. Hiſq; meditationibus exardeſcet unusquiſq; in odium peccati eiuſdemque deteſtationem & perfectam cordis compunctionem. Dicet unuſquiſq; in mente ſua, ſeq; redarguet velut in quodam tribunali cordis: *volutare miſer in gurgite amaritudinis qui volutatus es in volutabro turpitudinis. Terror terribilis horror horribilis mæror inconſolabilis aggregate vos ſuper me. irruite, obruite, juſtum eſt. poſſidete me juſtum eſt. perturbate, obvoluite, torquete reum, vindicate DEUM. Perſentiat peccator inferni tormenta quæ meruit, prægustet quod præparavit, bibat quod nutrivit aſſueſcat quod perpetuo paſſurus eſt. Heu me peccavi? DEUM meum exhonoravi, omnipotentem provocavi? quid feci quando mala feci? væ mala agenti ve bona negligenti væ væ iræ omnipotentis DEI ne irruas ſuper me!* In medio progreſſu vitam virtuteſq; Chriſti Domini ſtudioſe contemplabimur; ſic certè in anima noſtra illuminandi. Ipſe enim eſt lux quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ipſe eſt via ex eo diſcemus quid ſit invium & quid ſit error ad perditionem ducens. Ipſe eſt veritas. ex eo cognoſcemus quid ſit vanitas. Ipſe vita. ex eo quid ſit mors & quid ſit quod mortem animæ infert intelligemus. Quòdſi denſiſſimæ vitiorum & ignorantiarum tenebræ impediant oculos mentis noſtræ ne lumen recipiant rogabimus ſupplices: Revela oculos meos ut cuſtodiam mandata tua. *O lux quam videbat Tobias quando oculis clauſis docebat filium ſuum viam vitæ. lux quam videbat Iſaac interiùs quando caligantibus oculis exteriùs filio futura narrabat. lux quam videbat Iacob interius quando ſicut tu intus docebas, filijs exteriùs ventura prædicebat. Ecce tenebræ ſunt ſuper faciem abyſſi mentis meæ, tu es lumen? Ecce caligo tenebroſa ſuper aquas cordis mei, tu es veritas? Dic verbum Domine,* fiat, LUX, *ut videam lucem, & vitem tenebras. Videam viam & vitem invium videam veritatem & vitem vanitatem. Ne quæſo accreſcant umbræ ignorantiæ meæ & multiplicentur peccata mea.* In fine tandem excitabimus noſtras, erigemus totum intellectum & cogitabimus quantum & quale ſit illud bonum quod DEUS eſt. *Si enim ſingula bona delectabilia ſunt* cogitabimus *quantum bonum illud quod continet jucunditatem bonorum omnium, & non qualem in rebus creatis experti ſumus ſed tanto differentem quanto differt Creatura à Creatore. Si namq; bona eſt vita Creata quam bona eſt vita Creatrix ſi jucunda ſalus facta quam jucunda quæ fecit omnem ſalutem. Si amabilis ſapientia in cogitatione ac cognitione rerum creatarum, quam amabilis illa quæ omnia edidit ex nihilo. Deniq; ſi multæ & magnæ ſunt delectationes in rebus delectabilibus qualis & quanta delectatio in eo, qui ipſa delectabilia fecit? O qui hoc bono fruetur quid illi erit? quid illi non erit?* Licet hic mentali greſſu diſcurrere per plateas cæleſtis Ieruſalem, videre pulchritudinem

S. Auguſt: de cordis contri.

Viæ illuminativæ.

Soli loqui c. 3 & 4.

[...] unitivæ

Manual: c.33

huius Civitatis, gloriam Civium illius, faciem Creatoris, magnificentiam ædificiorum, divitias palatij & commune illius Patriæ gaudium, devotis interea sursum aspirando affectibus. *Quam dilecta tabernacula tua Domine virtutum Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini. Heu mihi quia incolatus meus prolongatus est. Cupio dissolvi & esse cum Christo.* Viam aperui modum procedendi demonstravi quid restat nisi ut sacrum hoc desertum ingrediamur quò inter speciosa deserti adipe & pinguedine Spiritus repleamur.

LABOR MANVALIS
ET STUDIUM SACRUM.

SAbbatho hodiernæ diei qua Octidualem festivitatem Pentecostes & tempus Paschale concludimus in Evangelio sacro legimus quod Christus Dominus socrum Simonis in sabbatho curaverit magnis febribus æstuantem. Quid est quod idem ille qui post universi Creationem requievit die septimo seu sabbathivo ab omni opere quod patrarat idem inquam factus mortalis homo in sabbatho operatur? Dat rationem S. Ambrosius: Bene sabbatho curare cæpit ut se ostenderet Creatorem qui opera operibus intexeret & prosequeretur opus quod jam ab initio cæperat. Nobis imitandi speciem exhibuit Salvator. Vita Religiosa quid aliud est quam sabbathum quam quies ad peculiare servitium DEI ordinata. Ne ergo quispiam putaret in Religione vacandum non nisi & feriandum esse non modo divinissimos vitæ contemplativæ actus sed etiam heroica & ferventissima vitæ activæ opera ad nostram eruditionem die sabbathi exercebat nos facto exemploque suo commonens quatenus pestilentissimam otiositatem omnis mali sementem fugiamus duplicis memoratæ vitæ exercitijs insistentes.

In Caput 4. Lucæ.

Duplicem vitam hanc proponit nobis Evangelium de Martha & Magdalena. In duabus fæminis ait S. Augustinus sermone de verbis Domini duæ signantur vitæ, ambæ innocentes, ambæ laudabiles, una laboriosa, altera otiosa; nulla facinorosa, nulla desidiosa. Jn Martha hoc est vita activa alia ex alia cura fatigat, labor ex labore, nascitur, actio excipit actionem. Jn MARIA Orationi lectio, lectioni succedit oratio. Primi doctrinæ Christi prædicatores & executores Apostoli utriusq; vitæ huius exactissimè observabant officia. Ex eorum numero unum produco Doctorem gentium qui in tanto prædicandi onere inter tantas Apostolatus sui curas laborem manuum non intermittebat testatus de se ipso: *Ea quæ mihi opus erant & his qui mecum sunt ministraverunt manus istæ.* Quod expendens D. Hieronymus ad monasticos mores informandos digressionem facit. *Si Apostoli habentes potestatem vivere de Evangelio laborabant manibus suis ne quem gravarent & alijs tribuebant refrigeria quorum pro spiritualibus debebant metere carnalia; cur tu in usus tuos cessura non præpares? vel fiscellam texe junco, vel canistrum lentis plecte viminibus.*

Martha typus vitæ activæ, Magdalena contemplativæ.

Apostoli utriusq; vitæ cultores.

Ad Rusticum.

Exercitia laboris manualis.

sarriatur

Sarriatur humus, areolæ æquo limite dividuntur. aliaq; onera laboris manualis enumerat quibus sese Religiosus occupet. Quodsi cuipiam servilia hæc & ordini Sacerdotali minus honesta videantur, propter delicatulos hos laboris osores adijcit demum S. Pater præfatus: *Scribantur libri ut & manus operetur cibum & animus lectione satu- retur.* Nemo est qui convenientem sibi non valeat si velit adinvenire exercitationem. Exemplis firmat adhortationem suam D. Doctor *Ægyptiorum*, inquit, *Monasteria hunc morem tenent ut nullum absq; operis labore suscipiant non tam propter victus necessitatem quam propter salutem animæ.* Jdem Hylarionis vitam texens recenset laboris manualis specimina ab Antonio Magno relicta & Hylarioni hospiti per discipulos Antonianos monstrata: *Hic* aiebant, *psallere hic orare hic operari hic fessus residere solitus erat. has vites has arbuscu- las ipse plantavit. illam areolam manibus suis ipse composuit. hanc piscinam ad irrigandum hortulum multo sudore ipse fabricatus est, istum sarculum ad fodiendam terram pluribus annis habuit.* Aborigines pariter nostri ut in annalibus lego tam in Eremo quàm in primævis Cænobijs, secuti consuetitudinem Ægyptiorum Monachorum laboriosæ Marthæ officium exhibuerunt & tamen pedibus JESU cum Magdalena assidere & contemplationi rerum Cælestium vacare minime intermiserunt. *Viderint illi* (subijcit Historiographus Ordinis) *viderint illi qua ratione prædecessorum calcaneo inhæreant, qui hodie in cænobijs tantummodo nati abdomini suo, labore manuum sibi violentiam imponi conqueruntur.* Arare, serere, metere, hortos & vineas excolere, lina capiendis piscibus texere, alvearia fabricare, lavare vestes, libros describere & alia facere quæ etiamnum apud quosdam Religiosos honestæ exercitationis titulum sortiuntur, laudabile & decentissimum erat apud priscos Eremicolas: nunc aquam suo usui apportare dedecus putatur, scopis cellam aut dormitorium verrere, campanas ad pulsum trahere, probrum & pudor creditur. Servitium quodcunq; nostrum nonnisi famulatu alieno perficimus, specioso prætextu decentiæ status nostram velantes superbiam & honestatis prætensæ mantello nostram philauciam & socordiam contegentes. Doctor Angelicus ubi quærit *an Religiosi teneantur operari manibus* docet, laborem manualem ad quatuor ordinari: ad victum quærendum, ad otium tollendum, ad concupiscentiæ refrænationem, ad eleemosynas faciendas. Nobilissimi certè fines. Fateor quidem posse vitari otium per meditationes sacrarum scripturarum & laudes Divinas, ut idem ibidem asserit attexendo glossam super illud: defecerunt oculi mei in eloquium tuum quæ sic habet. *Non est otiosus qui verbo DEI tantùm studet nec pluris est qui extra operatur quàm qui studium cognoscendæ veritatis exercet.* fateor inquam ita esse; sed dum intensio animi exercitijs mentalibus vacantis exterioris interpolatione laboris remittitur; tunc & tædium depellitur, & pulchra negotiorum alternatione animus pariter corpusq; exercentur. Jam quæ & quanta sit obligatio ad operandum trutinemus velim attentè. Jn verba illa Apostoli Qui non laborat, non manducet, ita ait Aquinas: Eadem necessitate aliquis tenetur ad operandum manibus quâ tenetur ad manducandum. Unde si quis absq; manducatione posset vitam transige-

Lex in Ægypti Monasterijs circa laborem manualem.

In vita S. Hylarionis.

Lib: 2. cap: 2.

Ignavia carpitur alieno ministerio utentium Religiosorum.

22. q. 187. art: 3.

Quatuor fines laboris manualis.

Necessitas operandi manibus eadem quæ manducandi.

transfigere, non teneretur manibus operari. O pudor! o præposteri in nobis mores! qui necessitatem ad manducandum nobis appingimus, necessitatem ad laborandum non agnoscimus. Superiores nostros legibus & arctis obligationibus credimus circumscriptos ad providendum nobis unde vivamus, ad subministrandum victum, amictum, commoditates; ipsi verò nolumus nobis necessitatem operandi sine qua victus nequit esse, imaginari alacres ad mensam pigri & quasi compediti ad officium: ac si verò soli superiori incumbat provincia laborandi, cæteris verò feriandi. Unum corpus sumus sed singuli membra divisa. Capitis est consulere, spiritus vivificantes in membra influere sed membrorum facere quod caput jusserit. pedes currant, manus laborent, dorsum portet onera. alias si totum corpus oculus ubi aditus? si totum auditus ubi odoratus? si totum odoratus ubi tactus?

1. Corinth: 12.

Quodsi vilia & aliena à proposito monastico putas quæcunq; exercitia citra studium literarium, laudo magnanimum spiritum & erectam ad altiora mentem. Jmo in favorem huius magnanimitatis illud pronuntio, nihil convenientius nihil æquè necessarium Religioso instituto quàm studium literarium. Status namq; Religiosi ad utramque vitam activam, & contemplativam ordinati atq; Sacerdotio ornati præcipuæ partes sunt: contemplari, prædicare, Confessiones jurisdictione accepta excipere, Carnem macerare. His porro implendis medium convenientius non video quàm exercitationes literarias. Hæ siquidem directe adiuvant ad contemplandum illuminando intellectum, adiuvant ad prædicandum suggerendo sententias, rationes, exempla ex sacra sciptura. Neq; dixeris te non fungi officio prædicatoris. Quis quis enim schemate monastico & Sacerdotali insignitus est, eo ipso prædicator est debetq; in promptu habere sententias scripturisticas ad colloquia spiritualia ad solvendas sæcularium quæstiones ad exhortandos in doctrina sana fideles & ad contradictores redarguendos. Adiuvant ad reprimendam carnis lasciviam juxta Ecclesiast: 31. *vigilia honestatis tabefacit carnes.* & S. Hieronymum; *Ama scientiam scripturarum & carnis vitia non amabis.* Expertus protulit hanc sententiam Hieronymus: Fatetur namq; de se ipso quod dum esset juvenis & in solitudine vallaretur incentivis vitiorum nec ferre posset ardorem naturæ, nihil proficientibus jejunijs cuidam fratri qui ex hebræis crediderat se tardidit in disciplinam & post Quinctiliani acumina ut ait ipsemet, post Ciceronis fluvios, post Frontonis gravitatem; & lenitatem Plini; cæpit Alphabetum hebraicum discere ac stridentia anhelantiaq; verba meditari nec destitit ab inceptis esto toties propter laborem improbum & difficultatem ingentem desperaverit. Sine adminiculo studij literarij non percipio quomodo Religiosus absq; periculo erroris contemplari quomodo suam alienasq; dirigere conscientias quomodo salutari verbo cæteros possit ædificare nisi forte ad instar Apostolorum illapsu Spiritus Sancti illuminatus sit. Dolenter ad hebræos scribit Apostolus: *Cum deberetis esse Magistri rursum indigetis ut doceamini quæ sint elementa exordij sermonum* DEI. Religiosos hæc tangit scriptura. Hi enim, Magistri aliorum debent esse, cum Patres spirituales vocitentur & tamen quanti sunt qui indigent do-

Officia Religiosi quatuor.

Nulli absq; studio literario satis fieri potest.

gent doceri quæ ſunt elementa ſermonum Dei, quæ ſint rudimenta fidei? non norunt peccatorum diſcrimina, non differentiam circumſtantiarum, neſciunt naturam numerumq; cenſurarum Eccleſiæ. Caſus Bullæ Cænæ alioſq; reſervatos penitus ignorant. in hac nihilominus ſtoliditate ſua, omni pigro ad librum pigriores omni trunco inſenſibiliores. Ad menſam nuper lectum audivimus: *Non videtur intelligibile quomodo tutâ conſcientiâ audeat ille ad ſacerdotium aſpirare, qui ſaltem Cathechiſmum Romanum ex integro non percepit; vel ad Coſeſſiones audiendas ſe conferre qui unum ſaltem ſummuliſtam caſiſticum integrum intelligibiliter non percurrit.* Scriptum eſt enim Oſeæ 4to: *Quia tu ſcientiam repuliſti repellam te ne Sacerdotio fungaris mihi.* Doctè, piè, ſanctè. Et quomodo illi ſecuri ac impavidi ad tribunal ſacrum ſe collocant, in quorum manibus frequentior lagena quam liber; frequentiores luſoriæ quàm literariæ chartæ; frequentior ſomnus quàm vigilia honeſtatis. Sane verendum eſt, ne impleatur in nobis illud D. Pauli ad Corinth: *Qui ignorat ignorabitur* hoc eſt ut exponit Pannonius in Apoc: ſcribens, repudiabitur: dicetur illi cum fatuis virginibus: *Neſcio vos.*

Teretius in Idiota.

Perſtringit ſæpe memoratus Hieronymus idiotas Religioſos eoſq; aptiſſimo ſanè Epitheto vocat aſellos bipedes & ruſticiſſimos homines. *Quidam*, inquit, ille *ſolam craſſam ruſticitatem pro ſanctitate habent quaſi idcirco ſancti ſint, ſi nihil norint.* Et alibi poſtquam D. Ambroſium ex continua lectione dilaudaſſet dignam aliorum in ſua perſona ſubtexuit reprehenſionē: *Quid nos*, verba ipſius ſunt, *quid nos ventris animalia tale unquam fecimus quos ſi vel ſecunda hora legentes invenerit, oſcitamus & manu faciem confricantes ſtomachum continemus.* Martialis in favorem puerorum luſit. *Æſtate pueri ſi valent ſatis diſcunt.* Pudeat morè puerorum blandiri nobis & cuticulæ curandæ indulgere in meris nugis confabulationibus luſibus tempus pretioſum atterendo & ad opus laboris cuiuſpiam niſi ferula Magiſtri videatur pigritando.

Idiotarum Elogia.

En viam duplicem fugiendi otij laborem ſcilicet manualem & ſtudium literarum potiſſimum ſacrarum. Hanc utramq; ſupernè edoctus Antonius Magnus ſub initium converſionis ſuæ. Dum enim quadam vice tædio in ſpiritualibus exercitijs angeretur cum profundo in Cælum ſuſpirio oravit. Domine volo ſalvus eſſe & non ſinunt me cogitationes meæ. Et paulo poſt egreſſus foras vidit in ſpecie hominis Angelum ſtrenuè manibus operantem; poſtea procumbentem in genua ad Orationem, iterum reſumentem manuale opus, à manuali opere ad legendum ſe componentem audivitq; directam ad ſe vocem: Antoni ſic fac & vives. Sic & nos facere expedit ſi vitam ſanctam, Religioſam, fructuoſam vivere volumus. Otium pulvinar diaboli eſt, eſca vitiorum, Carnalium peccatorum Mater, virtutum noverca, temporis perditio. & ne longus ſim, occaſio omnis mali eſt. Unde enimverò in Religioſis ſcandala, converſationes illicitæ, compotationes, ſilentij & aliarum obſervantiarum fractiones, niſi ex mero, meriſſimo otio? Unde colloquia prava & inutlia, detractiones, oblocutiones, ſugillationes aliorum, taxationes vitæ morumq; alienorum niſi ex otio? unde murmur, unde querulationes irrationabiles, appetitus ſtulti

Otij deſcriptio.

& desideria brutalia ad commoditates ad exspatiationes & res quascunq; ludicras nisi ex mero otio testante sacra pagina. *In desideriys est omnis otiosus*. Auceps non iaculatur contra avem volantem sed exspectat donec à volatu cessando pedem suum alicubi ponat: Sic & Diabolus non impugnat aut certè inaniter impugnat Religiosum honestis immorantem exercitijs; otiantem verò impetuosè aggreditur facileq; prosternit. Aqua profluens salubris est & pisces profert salubres; at stagnans fætet soloq; serpentes & ranas producit. *Et vitium capiunt ni moveantur aquæ*. Jta & Religiosus in otio stertens totus fætidus est, totus virulentus est. fætum fætidum ranarum & serpentum hoc est vitiorum progerminans: qui scilicet nihil efficiat nisi quod nocet alteri, nihil effutiat nisi virus alienæ famæ honorisq; conspurcativum. Avertat Dominus à nobis pernitiosissimam hanc labem. In quiete Religiosa constituti imitemur Christum Dominum qui etiam in sabbatho opera operibus intexebat. Jam agendo, jam contemplando, jam manibus laborando, jam lectione animum pascendo, semper negotiosos nunquam otiosos nos exhibeamus si ad sabbatum æternæ quietis cupimus pervenire.

ORATIO.

DUm in hodierno Evangelio Salvatorem nostrum audio adversum templi profanatores acriter & vehementer commoveri, ipse quoq; licet flagella non sentio, perhorresco. Similis nimirum reatus, similem reformidat vindictam. Zelo zelatus est Dominus super domo DEI: non patitur ei fieri dedecus, non sustinet actus forenses, negotiationes, actusq; ullos sæculi exerceri, ubi locus Orationis est. Ab hoc furore Domini procul nos vult esse B. Augustinus dum illud monitum intra quamvis septimanam nobis inculcat: In Oratorio nemo aliquid agat nisi ad quod factum est unde & nomen accepit. Planè assidui in Oratorio sumus vix non æqua aut maiori diei parte Oratorium nos detinet. Ut igitur ad quod factum est solummodo agamus in ipso, dignitatem ac necessitatem orationis, eiusdemq; ad impetrandum conditiones proponam. Discamus orare ut convenit Christianis monet S. Chrysostomus. Si enim orare nesciverimus quod facillimum est, quid nos scire putemus?

1. Ad Timoth: cap: 2.

Oratio secundum Cassiodorum dicitur quasi oris ratio. Definitur à S. Damasceno. Petitio decentium à DEO. sed per hanc descriptionem solum species orationis exprimitur. Doctor Angelicus vult esse ascensum intellectûs ad DEUM. Dividitur in obsecrationes, postulationes, orationes, & gratiarum actiones secundum Apostolum 1. ad Timoth: 2. Obsecratio est, per sacra contestatio. Postulatio est petitio qua certum quodpiam beneficium flagitamus; sicut supplicatio sub postulatione comprehensa est Divinæ opis imploratio nihil determinando quod nobis à DEO velimus concedi. Gratiarum actio est beneficiorum acceptorum recognitio. Omnes istas partes Oratio generaliter accepta

Apud S. Thom: 2. 2. q. 84.

Oratio quid? quotuplex?

accepta complectitur. at si specialiter eam sumas, à cæteris secernitur. Glossa in 1mæ: ad Thimotheum caput 2dum: dicit in Missa obsecrationes præcedere consecrationem ubi sacra quædam commemorantur, Orationes fieri in consecratione in qua mens maximè debet elevari ad DEUM, postulationes in sequentibus petitionibus, Gratiarum actiones in fine.

Dignitas Orationis ex sacris literis innotescit. Apocalyp: 8. narrat D. Ioannes vidisse se Angelos 7. qui steterunt in conspectu DEI & datæ sunt illis septem tubæ. *Et alius Angelus venit & stetit ante altare habens thuribulum aureum in manu sua & data sunt ei incensa multa ut adoleret de Orationibus Sanctorum super altare aureum quod est ante thronum DEI.* Apocalypsis est liber ille signatus sigillis septem quem si dederis homini scienti literas ut legat, respondebit tibi: non possum, signatus est enim. Certè eum nemo aperire nemo legere ac intelligere valet nisi aperuerit ille qui habet clavem David qui aperit & nemo claudit, claudit & nemo aperit. Reseravit Sanctis viris scripturæ sacræ studiosis, ex quorum scriptis excerpimus interpretationem. Angeli septem, sunt universi prædicatores quibus datæ sunt septem tubæ hoc est universalis potestas prædicandi verbum DEI. Angelus alius qui venit & stetit ante altare non est aliquis è Spiritibus creatis sed Dominus noster JESUS Christus quem Malachias Angelum testamenti, Isaias magni consilij Angelum nominant. Rectè Angelus: quia nuntius Paternæ voluntatis. Altare est Ecclesia ex Iudæis & gentibus conflata. stat ante hoc altare Christus tanquam caput ante membra, membris ipsis coniunctum ut dividi non possit. Stat autem cum thuribulo ut ostendat se esse Pontificem futurorum bonorum. In manu illud habere dicitur quia cor nostrum quod pulchrè per thuribulum significatur in potestate sua tenet. Aureum est ob pretiositatem fulget namq; charitate cor nostrum ut belle aureum thuribulum sit. Incensa quid sint lateret nisi ipse qui scripsit exposuisset. Sunt ignitæ sanctorum Orationes quas fideles fundunt per Christum offerendas DEO. Data sunt ergo Christo incensa multa de Orationibus sanctorum quia cum sit mediator & advocatus noster, jugiter offert Orationes nostras maiestati Divinæ ex officio in quo posuit eum Pater suus æternus. Est etiam altare aureum Christus ipse super quem omnia sacrificia nostra oblata placita sunt DEO, quatenus idem sit & altare aureum & Angelus offerens sacrificium: quod & si impossibile videtur philosophiæ, non est tamen impossibile virtuti Divinæ. Sanam intelligentiam hanc nemo negabit qui perspectam habet consuetudinem scripturarum Capiti quod membris convenit plerumq; appingentium. Jam vide quanta orationis excellentia si ipsum filium DEI portitorem & oblatorem sui nacta est! Si ipse Christus in semetipso velut in ara divinissima offert eam & quidem ex officio! Quo major & ponderosior legationis causa eo nobilior assumitur persona quæ autem dignior persona quàm Christus? Tubas id est officium prædicandi verbum DEI commisit alijs. officium orationes offerendi reservavit sibi. Prædicare, sacramenta dispensare Apostolorum est: incensum Orationum adolere, Christi. Unde Ecclesia omnes collectas illa claudit terminatione Per Christum Dominum nostrum.

Dignitas Orationis ex Scriptura.

Difficultas.

Apocalypsis.

Vide Pannon: in Cap: 8. Apocalyp.

ſtrum. Hinc perſpicis quàm ſanctæ debeant eſſe orationes quæ tali portitore ante thronum DEI deferuntur, ideoq; petitiones noſtras, *ſanctorum Orationes* vocat Ioannes. Auguſtinus in Regula tanto ſanctiores nos eſſe debere hortatur quanto crebriùs ad orationem convenimus. Ne ergo credas à Chriſto acceptari preces & in odorem ſuavitatis offerri Patri quæ è corde oreq; non ſancto procedunt. *Quid agis imprudens & miſer quid te peccatorum majorum onere gravas quid DEO præter contemptum injurias irrogas quid ad provocandum celerius eius iram in teſtimonium pœnæ tuæ ſceleratas ad DEUM porrigis manus ad quas ille non reſpicit qui non niſi ſanctas & immaculatas juſſit offerri quid ore illo illum rogas quo paulo ante locutus es male?* Exclamat Auguſtinus.

Oratores Sācti debent eſſe

S. Auguſtinus de vita Chriſtiana.

Ex SS. PP.

Poſt ſcripturarum Sacramenta videamus ſanctorum Patrum de oratione teſtimonia. Præſul Hipponenſis Clavem Cæli appellat S. Damaſcenus coniunctionem hominis cum DEO, Angelorum opus, ac futuræ præludium beatitudinis. Pannonius fuſus eſt in eius laudibus. *Oratio,* inquit, *eſt animæ ſanctæ præſidium, Angelis ſolatium, Dæmonibus ſupplicium, DEO gratum obſequium, vitiorum extinctio, virtutum Mater, huius peregrinationis ſolamen, animæ ſpeculum, conſcientiæ robur, cognitionis via, confidentiæ nutrix, charitatis incentivum, laborum quies, compunctionis cauſa, Cœli porta, cogitationum malarum interemptrix, diſperſæ mentis in ſe recollectrix, cæleſtium affectionum excitatrix, Angelorum imitatrix & omnium ſpiritualium bonorum optima conciliatrix. quàm qui perſeveranter tenuerit perire non poterit.* Quid poterat poteſtq; luculentius dici in commendationem Orationis? Eam Poetæ quoq; ſuis efferunt carminibus. Ex eis venuſinus canit. *Impetrat & pacem & locupletem fructibus annum. Avertit morbos metuenda pericula pellit. Poſcit opem chorus & præſentia numina ſentit. Carmine DEI Superi placantur, carmine manes.*

In vita Barlaam.

In Apocalyp:

Neceſſitas Orationis ex ſcriptura.

Neceſſitatem ipſius ſalvator noſter expreſſit dicens: *oportet ſemper orare & nunquam deficere* Lucæ 18. Oportet inquit, quo verbo & neceſſitas & utilitas orationis indicatur. Cur autem uſq; adeo oportet orare & ſemper orare? quia continuò egemus miſeratione Divina ad hoc ut nobis inſtrumenta atq; apparatum quo æterna obtinetur beatitudo tribuat; nec non gratias impertiat ad ſuperandos eiuſdem obices qui ſunt peccatum, tentatio, pænalitas vitæ præſentis. Continuum peccatum continua tentatio, pænalitas ubiq; præſentiſſima; ideo ſemper cordis oriſq; ſono fatigandum cælum ut dimittantur nobis debita noſtra; ut quando ſuggeſtionum pravarum quatimur ariete, nunquam in delectationem aut conſenſum prolabamur, omniſq; tentatio diabolica à foris ſit, ad interiora cordis non pervadat; demum ut è malis quibuſcunq; & undecunq; nobis impendentibus aut nos gravantibus afferamur. Et verò ſi loqui velimus de beneficijs Divinis, hæc nobis inceſſanter erogantur ut non toties ſpiret homo quoties agere obligetur gratias. *Quot diebus ſingulis blaſphemijs impetitur DEUS, quot iniurias ſuſtinet & à fidelibus & infidelibus, verbis atq; operibus? quid igitur? num idcirco ſolis extinxit radios, num ideo lunam ſolito curſu coercuit, num diſrupit Cælum & terræ fundamenta concuſſit num aera & cætera elementa permiſcuit? nequaquam. Sed contra penitus & ſolem oriri facit & pluvias imbreſq; largitur*

2. 2. q. 83. art:

Tres obices beatitudinis quos amoveri in Oratione Dominica flagitamus.

Ad agen: gratias pro benefic: Divinis.

S. Chryſoſt: in 1. ad Timo: 2.

largitur, atq; ex humo annua alimenta ministrat, insensatis, blasphemis, sceleratis persecutoribus, non uno tantum die vel duobus aut tribus sed per omnem prorsus vitam. Quid unquam nobis defuit sive ad vitam spiritualem sive ad naturalem? Sane abundanter omnia unicuiq; à Divina providentia ministrata sunt. Necesse igitur est semper gratificari ut de perceptis beneficijs gratias exhibentes accipere mereamur potiora. Peccatis autem quod quantisvè scateamus unusquisq; suam appellet conscientiam. Certè qui dicit peccatum se non habere mendax est. in multis omnes offendimus. septiesq; in diem cadit justus. Tentationes quibus impetimur quis describat? *Sivè enim dormiamus, sivè vigilemus, sivè comedamus, sivè bibamus, sivè quodcunq; opus operemur omnibus modis instat die ac nocte fraudibus & artibus nunc palam nunc occultè sagittas venenatas contra nos dirigens adversarius noster. Omnes vias nostras replevit decipulis. Laqueos posuit in divitijs, laqueos in paupertate, laqueos tetendit in cibo & potu & voluptate, in somno, in vigilia, laqueos posuit in verbo & in opere & in omni via nostra.* Diserte ut solet B. Hieronymus tentationes stylo percurrens cautos nos vult & præmonitos ne male fida decipiamur securitate. *Adversarius noster* inquit ille *tanquam leo rugiens aliquem devorare quærens circumit & tu pacem putas? insidiatur in occulto insidiatur ut rapiat pauperem & tu frondosæ arboris tectus umbraculo molles somnos futurus præda carpis? inde me persequitur luxuria, inde avaritia conatur irrumpere, inde venter vult mihi esse Deus pro Christo: impellit libido ut inhabitantem in me spiritum sanctum fugem ut templum eius violem. persequitur inquam me hostis cui nomina mille mille nocendi artes & ego infelix victorem me putabo dum capior.* Pœnalitas præsens & frequentissima & plurima, hinc timor, hinc tremor, hinc fames, hinc sitis, hinc calor, hinc frigus, hinc languor inde dolor exuberat. *Audax Iapeti genus ignem fraude nova gentibus intulit, post ignem æthereà domo subductum macies & nova febrium terris incubuit cohors.* Sub fabulæ cortice medulla veritatis latet; Nimirum post peccatum hominis sese contra DEUM erigentis & honores Divinos usurpantis invectas esse in mundum morborum & reiectaneorum variorum infinitas miserias. Quæ jam spes salutis in tantis malis? quæ fiducia beatitudinis in tantis impedimentis? Nisi Dominus reliquisset nobis semen Orationis facti fuissemus sicut Sodoma & Gomora quæ perierunt in momento & non ceperunt in ea manus. Nisi reliquisset nobis anchoram deprecationis prima statim tempestate naufragium passi perijssemus. Nisi scuto precum Divinarum nos circumdedisset, à timore hostium persequentium contabuissemus. O sane oportet orare nec unquam in oratione deficere! Rectissimè Augustinus: *Nullum credimus,* ait *ad salutem nisi DEO invitante venire, nullum invitatum salutem suam nisi DEO auxiliante operari, nullum nisi orantem auxilium invenire.* Hieronymus: *nec cibi, inquit, sumantur nisi oratione præmissa: nec recedatur à mensa nisi referatur Creatori gratia. Egredientes de hospitio armet Oratio, regredientibus de platea Oratio occurrat antequam sessio. Ad omnem actum, ad omnem incessum manus pingat Crucem.* Ambrosius: *omnibus,* inquit, *momentis non solum diebus, sed etiam noctibus Oratio deferatur.*

Ad impetram obstaculorum æternæ beatitudinis amotionem.

S. Augu: in soliloqui cap: 16.

Ad Heliodorū.

Horatiꝰ Ode 3

De Eccle: dogmat: cap: 16. Nectas eiusdem ex authr: SS. Patrum. Oratio in egressu & regressu faciēda Signū S. Crucis sæpè fronti imprimendū.

 At ipsi

Prolepsis una At ipsi etiam muti literarum apices sentiunt te velle in verba prorumpere obijcereque: quomodo fieri potest ut semper oremus? ergò jam neq; edendi, neq; dormiendi, neq; opus ad aliquod æconomicum aut Civile faciendi libertas erit & cum necessitatibus corporis subiaceamus, illis neglectis dum vitam vivere Angelicam curamus, carnem emaciabimus imo spiritum ex corpore excludemus contra Dei præceptum? *Quomodo possumus orare continuo.* Non ita intelligendum est Salvatoris nostri monitum quasi semper aut in choro psallere aut missas cantare aut rosarium persolvere aut quodcunq; aliud precationis pensum perficere teneamur. Sufficit si continuemus orationem vel in Causa, vel in effectu vel in tempore suo. *2.2. q.83. art: 14. ad 4tum: Varij modi semper orandi.* Causa Orationis est desiderium charitatis ex quo procedere debet oratio. nec est necesse ut eiusmodi desiderium semper in seipso duret satisfaceret si in virtute sua perseveret; manet enim virtus desiderij huius in omnibus quæ ex charitate facimus. Propter eiusdem desiderij fomentum suadentur à Sanctis Patribus eiaculatoriæ tesseræ per quas etiam, dum crebro fiunt, dicitur quis continuè orare. Effectus orationis in ipso oratore est quòd post Orationem remaneat magis devotus, in alio autem cum quis beneficijs alterius provocatus precatur pro ipso tunc quando hic ab orando quiescit, ut in vitis Patrum legitur de Lucio Abbate quod qualibet die pauperibus *Libro 5.* duos nummos reposuerit quatenus illi eo tempore quo ipse ab oratione vacabat pro se orarent. Secundum tempus quoq; semper orat ille qui nunquam statis temporibus precationem seu publicam seu privatam intermittit.

Altera. Respondebis & dices: petimus instanter nec tamen à Deo exaudimur. Audi quid Iacobus Apostolus in sua Canonica replicet: *petitis & non accipitis eò quod male petatis.* Male petit qui temporalia solummodo propter bonum suum non propter gloriam Dei poscit. Hoc licet orare quod licet desiderare: temporalia autem fas est desiderare duntaxat sicut quædam adminicula quibus adiuvamur ad tendendum in beatitudinem prout scilicet per ea vita corporalis sustentatur & prout nobis organicè deserviunt ad actus virtutum. Male igitur petit quisquis à Deo temporalia non tanquam media beatitudinis sed tanquam suam beatitudinem postulat fatuo judicio lutum auro, vitrum margarito, floccum purpuræ, fæcem mero purissimo, lutulentā aquam, fonti limpidissimo & ut apertius loquar sensuum lenocinia solidis æternisq; gaudijs, honores ac opes mundi vix affluentes & jam effluentes regnis bonisq; cælestibus præeligens ac præpostero ordine felicitatem ultimam in eo quòd solum umbra felicitatis est constituens. *Conditiones Orandi.* Etiam ille male petit qui spiritualia petit sed languidè, sed remissè, distractè. Ut porro Oratio efficax sit conditiones orandi præscribo. Quatuor hæ ponuntur à D. Angelico nimirum ut quis per se petat, necessaria ad salutem, pie, & perseveranter. *Per se* hoc est in *q. eadem art: 15.* persona sua. Unde non omnes quas justi pro peccatoribus fundunt, exaudiuntur preces. *Necessaria ad salutem.* Male enim petitur quid*Pie. quomodo intelligendum.* quid petitur contra rationem salutis. Si etenim roges ea quæ non pertinent ad salutem verendum ne in vindictam concedantur tibi; quia Deus quædam negat propitius, quæ concedit iratus. *Pie* tam *2.2. q. 101. ar: 2. 4. 3.* respectivè ad Deum quàm respectivè ad homines. Cultus Dei per excellen-

excellentiam pietas nominatur ſicut etiam Deus antonomaſticè vocatur Pater noſter quia nobis eſt eſſendi & gubernationis primum principium. Cum proinde pietas inclinet ad præſtandam illis reverentiam qui ſunt principia noſtri eſſe, ſi piè jubemur orare, jubemur cum ſumma orare reverentia. Hæc autem nequit eſſe abſq; attentione ad eum quem reveremur & abſq; humilitate, cum ipſa reverentia ſit humilitatis actus. Quantum itaq; ad Deum pia debet eſſe oratio, ut ſit attenta & humilis. Huc ſpectat ut preces noſtras per Chriſtum offeramus æterno Patri; neq; enim maiorem cultum aut honorem reverentiorem Deo poſſumus deferre quam per Chriſtum. Et hoc ipſum eſt humilitatis. nam dum per mediatorem noſtrum obſecramus, profitemur nos indignos eſſe quorum preces intra ſacrarium Divinæ exauditionis admittantur. Chriſtus verò pro ſua reverentia meretur ſemper exaudiri. In peculiari acceptione pietas eſt quædam proteſtatio charitatis quam quis habet ad Parentes & ad Patriam. in Parentibus includuntur conſanguinei. in Patria omnes concives & amici, ideo autem his debetur cultus ex pietate quia ſunt vitæ noſtræ authores. Parentes quidem & conſanguinei qui ex Parentibus proceſſerunt, quia nos genuerunt & gubernant. Patria quia in ipſa nati & nutriti ſumus. Jam dic amabò qui ſunt ſpirituales Parentes noſtri? abſq; dubio Superiores, Confeſſarij & id genus. quæ Spiritualis Patria? ſine dubio Eccleſia in qua per baptiſmum renati, alimonia Divini verbi ac Sacramentorum nutriti educatiq; ſumus. Concives ſunt omnes fideles. Si ergo piè orare volumus pietate in proprio ſenſu accepta, charitatem ad omnes homines potiſſimum domeſticos fidei habere debemus eamq; proteſtari coram Deo. Piè igitur orandum. hoc eſt attente, humiliter & reverenter animo erga proximum pacato & ut ait Apoſtolus abſq; ira & diſceptatione. Attentam vult eſſe Baſilius dum ait: *Divinum auxilium eſt implorandum non remiſſe vel mente huc & illud evagante eo quod talis non ſolum non impetrabit quod petit ſed etiam magis Deum irritabit.* attentam vult S. Auguſtinus: *dum oratis hoc verſetur in corde quod profertur in ore.* D. Thomas cenſet juxta triplicem fructum Orationis quorum primus eſt merendi ſi in gratia oretur. Secundus impetrandi. Tertius quædam ſpiritualis refectio mentis. cenſet inquam non eſſe neceſſariam ad priores duos fructus conſequendos per totum orationis curſum attentionem ſed ſufficere vim primæ intentionis qua quis ad orandum acceſſit. niſi forte quiſpiam ex propoſito evagetur mente; tunc enim evagatio omnem impediret fructum. Dat rationem, quia mens humana propter infirmitatem naturæ diu ſtare in alto non poteſt; pondere namq; infirmitatis humanæ deprimitur anima ad inferiora & ideo contingit quod quando mens aſcendit in Deum per contemplationem, ſubitò evagetur ex quadam infirmitate atq; idcirco primo ac ſecundo orationis fructu non privatur. Humilem debere eſſe oſtendunt ſcripturæ. *Oratio humiliantis ſe penetrat nubes. Et reſpexit in orationem humilium.* S. Thomas *humilitas* inquit *neceſſaria eſt ex parte petentis qui ſuam indigentiam recognoſcit. Oratio ſine attentione & affectione ſupplici perinde eſt atq; lampas ſine oleo. fumigare poteſt non lucere*, ait Pannonius in explanatione Regulæ. Manſuetam item ideoq; ſacrifici-

Pietas erga Deum reverentiam dicit

Reverentia autem attentionem & humilitatem requirit?

Pietas ad homines dicit charitatem erga propinquos & patriam.

Quæ patria noſtra & qui parentes.

Oratio debet eſſe attenta.

Triplex fructus orationis

Debet eſſe humilis.

Debet in charitate & mansuetudine erga proximum fieri. In vita Barlaam.

crificium ad altare relinquendum & ante orationem componendas cum fratre inimicitias monet Christus. Damascenus ad orationem opus esse ait animæ ab omni iniuriarum recordatione atq; ira quæ maiori quàm alia omnia impedimento est quo minus preces nostræ ad DEUM sublimes ferantur procul se removere cunctisq; ex animo offensionem remittere. Ultima Orationis conditio ut fiat *perseveranter*. Quòd perseverans in oratione, desiderata impetrabit argumento: est parabola Evangelica de eo qui ab amico tres panes petijt. hoc negante, illo urgente, improbitas hoc est importunitas seu ut explicat Tostatus perseverantia supplicis vicit ut acciperet non solum tres panes sed quot quot habebat necessarios. S. Chrysosthomus Hom: 49. in Genesim *si* inquit *permaneas postulando etiamsi non continuo accipias, accipies tamen. Propterea quippè ostium clausum est ut tu pulsare cogaris. idcirco non celeriter annuit ut tu diutius inquiras.* Basilius *si* inquit *non audiamur intelligendum est opus esse perseverantia aut contentione maiori.* Has orandi circumstantias qui ex aliquo vivo exemplari discere voluerit, mendicum stipi petendæ intentum attendat. Hic enim per se cum summa diligentia petit & petit non divitias non honores non voluptates. aliàs rideretur ut stulta eius petitio sed tantum necessaria sustentando & fovendo corpori refrigeria. affectus gestusq; omnes humiles exhibet cum verbis pariter humilibus. Detegit suas infirmitates & defectus, bona verò reticet, loca opportuniora ad orandum quærit. perseverat mendicando patientissimè à mane usq; ad vesperum. sic instructa, sic fusa, si fuerit precatio certus esto non vacuam à throno Maiestatis Divinæ in sinum tuum redituram. Quodsi adhuc expeditiorem vis esse atq; ad impetrandum feliciorem ac faciliorem applica illi jejunij & eleemosynæ pennas. his nixa incunctanter ad DEUM subvolabit.

Apud Aponte in Matthæum

Mendicus observat orandi cōditiones.

Alæ orationis.

Exempla Oratorum spiritualium quæ te provocent ad Angelicum hoc opus desideras? innumera sunt. Christus ipse pernoctans erat sæpissimè in oratione DEI non ut pro se obsecraret sed ut pro me exoraret. Virgo Beatissima revelavit Sanctæ Brigittæ, se omnes gratias non nisi continuis orationibus & mortificationibus acquisivisse. Apostolos quid invictos totius orbis triumphatores reddidit nonne oratio? ex his Iacobus ob frequentissimam poplitis flexionem collum genibus obduxerat. Bartholomæus centies per diem centies per noctem orabat. S. Paulus Apostolorum novissimus ac simul Princeps non tantum ipse pro se assiduas fundebat preces ac pro mundo, sed etiam pro se orari obsecravit. Ex horum exemplo aliorum indicatur & iudicatur devotio. Frequentissima Eremitarum examina nihil magis studuerunt implere quàm illud Apostolicum: sine intermissione orate. Princeps propositi nostri Paulus Thæbeus ostendit in morte quibus integram vitam suam occuparit in solitudine actibus. Mors est finis tragædiæ. Quidquid per totam tragædiam in theatro fuerit, sistit se in fine, quod ergo in morte ipsa imo & post mortem prodigiosus hic cæli orator inventus sit genibus flexis extensisq; in altum manibus, perspicuum est eum per totam vitæ suæ scenam orationi cum eiusmodi institisse gestibus. Antonium sæpissimè in Divinis laudibus pernoctasse Athanasius testatur. Onufrius continuis & flagrantissimis

precibus

precibus meruit illud privilegium ut quicunq; in memoriam eius sacrificaverit vel eleemosynam dederit, vel orationem Dominicam recitaverit liber evadet ab omni tentatione diabolica & hæres Regni Cælestis fiat. Beatus Posthumius quinq; millium Monachorum Pater si aliquando infirmitate fractus debilia genua curvare nequivit & ad vigilias exurgere, orare & psallere non neglexit in strato suo. Apollonius imitatus D. Bartholomæum orationes suas ad numerum centenarium reducebat. Hoc idem de Christophoro anachorita veraces prodiderunt hystoriæ. Arsenium sol occiduus manus extendentem & officium Divinum aggredientem vespere Sabbathi relinquebat. Michael Battis priscos superasse Eremicolas videtur, cuius ea fuerat consuetudo ut quolibet die totius anni centum orationes dominicas totidemq; salutationes Angelicas ordinario precum debito superadderet. Secundo anno duplum, tertio triplum quousq; adveniente Anno sui transitus in tantum cæpta cum incremento pietas invaluit ut mille trecentas Orationes dominicas totidemq; Angelicas salutationes in cuiuslibet diei pensum numeraverit. Hoc devotionis genere cum Michaele decertavit Sebastianus Conversus ea tamen differentia quod hic ante, ille verò post matutinas preces noctem Divinis colloquijs sanctificabat ut testantur annales nostri. Quid memorem Franciscum in illa Oratione Deus meus & omnia integras absumentem noctes? quid alios recenseam quorum omnium indicem retexere non est possibile. *lib: 2. cap: 31. fol: 25.*

Neq; verò hi Sancti productiore Oratione sententiam Domini prætergrediebantur dicentis: *Orantes nolite multum loqui.* Salvator namq; non prolixas preces, verùm multam in orando loquelam damnat illis verbis. Unde Augustinus ad Probam ait: *non est hoc orare in multiloquio si diutius oretur; aliud est sermo multus aliud diuturnus affectus, nam & de ipso Domino scriptura est quod pernoctaverit in orando & prolixius oraverit ut nobis præberet exemplum.* Subdit deinceps: *absit ab Oratione multa locutio sed non desit multa precatio si fervens perseverat intentio. Multum enim loqui in orando est rem necessariam superfluis agere verbis. plerumq; autem hoc negotium plus gemitibus quàm sermonibus agitur.* Oportunissimam huic loco attexo Regulam ex D. Angelico. *quantitas rei* inquit ille *debet esse proportionata fini ut exempli gratia potionis mensura sanitati. Quare conveniens est quod Oratio tantum duret quantum est utile ad excitandum interioris desiderij fervorem. Cum verò hanc mensuram excedit, non est ulterius protendenda.* *Quousq; durare debet Oratio.*

Instemus igitur Orationi vigilantes in ea cum gratiarum actione. Ad quod dedicata domus Dei est illud jugiter in ea agamus. Mittamus perenniter preces nostras per Christum ad Thronum Maiestatis Divinæ. Et cum Apostolus non in solis Ecclesijs sed ubiq; orandum censeat dicens *volo autem viros orare in omni loco levantes manus sanctas,* etiam extra oratorium persistamus in oratione sive jam actu orando sive devotionem retinendo sive desiderium charitatis in nobis excitando & ex charitate opera varia peragendo seu eiaculatorias aspirationes identidem repetendo seu demum aliorum preces pro nobis implorando. Soli quidam Epigraphen appinxit: *non implorãtibus adsum;* id verius soli increato adscribas qui etiam non invo-

catus infinitis mundum cumulat beneficijs. quid si invocetur? exaudiet equidem orationes nostras & qui præstat devotionis affectum præbebit supplicantibus pium benignus auditum.

ROSARIVM.

IN Evangelio crastinæ festivitatis accuratè omnia adiuncta Annuntiatæ Incarnationis Dominicæ percensentur. Et locorum & personarum nomina describuntur exactè. Altissimo id factum consilio. ad pleniorem enim tanti mysterij cognitionem & fidem necessum erat ut circumstantiæ tanti mysterij, non modo res ipsa, in memoriam transiret posterorum literis mandatæ Divinis. Sed cur quæso ipsa etiam Oratio qua caduceator Cælestis Virginem salutavit stylo Evangelistæ de verbo ad verbum exarata? nimirum ut formam salutandæ Virginis haberemus atq; ut ijsdem verbis terra veneretur Mariam quo Cælum veneratum est. Et feliciter quidem hanc Archangelus è cælo apportavit Orationem, cum hæc totum jam Orbem impleverit. Certant nimirum fideles in cultu Mariano officium ex salutationibus Angelicis confectum, quod Rosarium vocamus, in honorem Virginis MARIÆ sancta inter se æmulatione persolvendo. quod ego quoq; sterili quidem at erga MARIAM devoto sermone commendare in animo præconcepi devotionem erga MARIAM propagare gestiens.

ROSARIUM est orandi formula ad DEUM & Virginem Beatissimam continens certas salutationum Angelicarum decades singulis subnexas orationibus Dominicis Symbolo Apostolico conclusa. Philippus Bosquier ita definit. Est sertum quoddam spirituale mysticis vocibus ex Evangelio depromptis tanquam rosis contextum Virgini Virginũ Matri DEI Religionis ergo à Catholicis oblatum. Miechoviensis est inquit sacra quædam precandi DEUM formula in honorem MARIÆ qua centies & quinquagesies recitata salutatione Angelica instar Davidici psalterij & cuilibet decadi interiecta Oratione Dominica per quindecim decades præcipua humanæ restaurationis mysteria pijs meditationibus percensentur. Prior, hoc est media descriptio generalibus proposita terminis claritate & explicatione indiget. postrema illam solam rosarij edisserit speciem quæ quindecem numerat decades cum tamen plures sint species eiusdem ut est illa usitatissima quæ ex senis decadibus constituitur in memoriam & honorem ætatis Marianæ.

MATERIA ipsius est Oratio Dominica, salutatio Angelica, Symbolũ Apostolorum. Cuiuscunq; operis & artificij dignitas ex materiæ æstimatur nobilitate. Videamus igitur quàm pretiosis Rosarium nectatur segminibus, quàm splendidis fulguret gemmis, ex quam gratiosis componatur ornamentis. Oratio Dominica omnem superat laudem. S. Ambrosius lib: 4. de Sacramentis mirari eam potuit non laudare. *O quam brevis Oratio & omnium plena virtutum?* S. Cyprianus pariter ad Maiestatem orationis Dominicæ stupens ait: *quam multa quam*

Oratio Dominica.

magna

magna Sacramenta breviter in sermone collecta sed in virtute spiritualiter copiosa ut nihil omnino intermissum sit quod non in precibus nostris doctrinæ compendio comprehendatur! Similia habet Augustinus ad Probam. *Si rectè & congruenter oramus nihil aliud dicere possumus quàm quod in oratione Dominica positum est.* quia enim oratio est quodammodo desiderij nostri interpres apud DEUM: illa rectè solùm orando petimus quæ rectè desiderare valemus. In oratione autem Dominica non solum petuntur omnia quæ rectè possumus exoptare sed etiam eo ordine digeruntur quo à nobis appetenda sunt. Primum namq; sub affectionem votumq; nostrum cadit finis, post ea quæ sunt ad finem. finis porro noster DEUS est ad quem affectus tendit dupliciter: volendo nimirum gloriam ipsius & volendo eadem gloria perfrui. ille voluntatis motus pertinet ad dilectionem DEI quâ ipsum in seipso diligimus; hic autem ad dilectionem qua diligimus nos in DEO. Qui duplex actus bina petitione comprehenditur dum sanctificari Nomen Domini & regnum cæleste nobis advenire postulamus. Ad finem præfatum deserviunt alia per se, alia per accidens ut scholis loqui placet; per se quidem, quæ nos quasi manu ducunt ad æternam beatitudinem sive principaliter, ipsius assecutionem influendo uti est executio voluntatis Divinæ per quam nimirum meremur felicitatem perennem; sivè instrumentaliter & quasi coadiuvando nos ad meritum uti sunt Sacramenta, potissimum verò Eucharistia quæ panis supersubstantialis juxta Matthæi Evangelium significatur nomine; uti etiam est omnis sufficientia victus sub panis vocabulo signata. Duo hæc ad finem nostrum nos dirigentia media duplici imploramus precatiuncula. Per accidens autem ordinamur in beatitudinem per remotionem obstaculorum quæ sunt peccatum, tentatio, pœnalitas præsens. quæ distinctis partibus petimus amoveri à nobis. Hinc manifestum est Orationem Dominicam esse omnium quæ rite & rectè desiderare petereque à DEO possumus & debemus epitomen.

Ea solùm rectè possumus in oratione petere quæ rectè possumus desiderare.

Quæ & quo ordine rectè desiderare possumus.

Vide S. Thomã 2. 2. q. 83.

Salutationem Angelicam non meæ infantiæ est prædicare, efferat illam linguæ Angelicæ: quæ à Sanctissima Trinitate est dictata, à Gabriele Archangelo perorata, Virgini MARIÆ Matri DEI mox futuræ recitata. *Ridet Cælum* inquit Marianus Orator, *terra lætatur, Angelus gaudet, infernus contremiscit, dæmones fugiunt, cum dico Ave MARIA.* Bernardi panegyrim pia prosequitur meditatione B. Alanus de Rupe: *Mundus vilescit, cor in amore liquescit, cum dico Ave MARIA. timor evanescit, caro marescit cum dico Ave MARIA. Crescit devotio, oritur compunctio cum dico Ave MARIA. spes proficit, augetur consolatio cum dico Ave MARIA. recreatur animus & in bono confortatur æger affectus cum dico Aue MARIA.* Pergit idemmet. *tanta* inquiens est *suavitas huius benedictæ salutationis ut humanis non possit verbis explicari sed semper altior manet & profundior quàm omnis creatura indagare sufficiat. Hæc oratio parva verbis, alta mysterijs; brevis sermone, alta virtute; super mel dulcis, super aurum pretiosa. Ore cordis est jugiter ruminanda labijsq; puris frequentissime repetenda.* Alter Marianarum laudum præco; *hæc salutatio,* ait, *clavus ille est quo cælestis Iachel Sisaræ infernalis tempora perterebrat. Gladius est quo formosa Iudith maledictum Holofernem capite truncat. Lapis est quo mulier hæc Divina Abi-*

Salutatio Angelica eiusq; elogia quorũ sequũtur authores.

S. Bernar: in speculo Virg.

Alanus & Thom: à Kem.

Eggerer in anathem.

vina Abimelechi illius Principis tenebrarum ſuperbum caput conterit. Funis eſt quo Dalila amabilis gigantea teterrimi Samſonis brachia conſtringit. Verum quid ego Encomiſtas ſalutationis Angelicæ homines adduco cum ipſamet Virgo Bęatiſſima facta ſit luculentiſſima eius laudatrix. Cuidam enim ſacræ Virgini apparens, in pectore ſuo hęc aureis literis inarata verba monſtravit: *Ave gratia plena Dominus tecum*, cnm dicto: *ſupra hanc ſalutationem nunquam homo pervenit nec alius me dulcius ſalutare poterit.* Virginem cui hæc facta viſio alij volũt eſſe Mechtildem alij Gertrudem. Nihil impedit quominus ambabus facta credatur. Nec ſermone tantum ſed & re ipſa dulciſſimam ſibi teſtata eſt quando tantis beneficijs devotos ipſius recitatores cumulavit ut qui ea legit: in ſtuporem pium & affectus teneros abripi ſe perſentiſcat. *O quoties aliquis à malo genio corripiendus erat? alius propter flagitia horrendam nimis & mille ſupplicijs infamem mortem ſubire debuiſſet. Non nemo jam tartarorum faucibus adjudicandus: nihilominus virtute roſarij & ſalutationis Angelicæ inverſum judicij ordinem & benigniorem ſententiam experti ſunt.* Legatur ſpeculum exemplorum, legantur ſuſpicione omni carentes hiſtoriæ miraculorum Marianorũ & vera eſſe cognoſcentur quæ adſtruo. Cedant huic veritati tam gręco quàm romano ſtylo mendacijs ficta miracula: ad preces Marianas plus DEUM tribuere quàm rogatur & ea ſępe concedere quæ nec oculus vidit nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt credendum eſt. Etiam irrationalia & inanimata ſalutationi Angelicæ teſtimonium perhibent. Avem quandam narrant edoctam garrulo ore formare prima verba ſalutationis à falcone raptam dum ab ungue rapaci penderet, protuliſſe ſanctiſſimas voces: Ave MARIA Ave MARIA. Quo factum ut prędam rapax ales dimitteret illęſam, ipſe verò delapſus extinctusvè pęnas daret. In Africa quoq; fonte quodam inveniuntur lapilli per quos natura ipſa ſalutatores voces diſpertita eſt in quorum alijs *Ave MARIA*, in alijs *gratia plena*, in alijs *Dominus tecum*, impreſſi leguntur characteres. Nimirum etiam in rebus ratione & ſenſu carentibus honoris ſui erga MARIAM Matrem ſuam expreſſa haberi voluit veſtigia æternus DEI Filius.

Virgo Beatiſſima.

Eggerer in Anathem: ſermone 7.

Aves.

Saxa.

Symbolum Apoſtolorum, eſt collectio in unum, articulorum fidei ad ſalutem neceſſariorum. Articuli autem partes ſunt inter ſe quidem diſtinctæ, ſibi tamen coaptatæ: ut particulæ corporis invicem ſibi connexæ dicuntur articuli membrorum & partes orationis ſibi adaptatæ articuli rethoricæ vocantur. Arthros enim in gręco, in latino ſignificat coaptationem aliquarũ diverſarum partium. Duplex partitio credendorum in memorata ponitur collectione. Ea namq; pertinent ad fidem quorum viſione æterna perfruemur & per quæ ducimur ad vitam æternam: hęc autem ſunt, Divinitas cuius clara intuitio nos beatos efficiet, & humanitas Salvatoris noſtri DEI per quam in gloriam cęleſtem acceſſum habemus: Unde dicitur Ioan: 17. *hæc eſt vita æterna ut cognoſcant Te DEUM verum & quem miſiſti IESUM Chriſtum.* Atque ideo una quidem credibilium claſſis in Symbolo eſt de ijs quæ ſpectant ad Maieſtatem Divinitatis; altera de ijs quæ ſpectant ad myſterium humanitatis. Circa maieſtatem Divinitatis tria ponuntur credenda. Primo unitas Divinitatis & de hac primus articulus. Secundò

Symbolum Apoſtolorum.

Verſatur circa Divinam Maieſtatẽ & humanitatẽ Chriſti.

cundò, tripersonalitas & de hac secundùm tres personas, tres ponuntur articuli. Tertiò opera Divinitatis quorum primum spectat ad esse naturæ, qualis est creatio de qua specialis articulus. Secundum ad esse gratiæ, & quantum adhoc proponuntur nobis sub uno articulo omnia pertinentia ad sanctificationem humanam. Tertium spectat ad esse gloriæ ut resurrectio carnis & vita æterna quæ duo Symbolum concludunt sub uno articulo. atq; ita septem numerantur articuli ad Divinitatem relati. totidem de humanitate Christi supputantur. Primus est de Incarnatione & conceptione Christi. Secundus de Nativitate ipsius ex Virgine. Tertius de Passione, morte & sepultura. Quartus de descensu ad inferos. Quintus de resurrectione. Sextus de ascensione. Septimus de adventu ad judicium. Hîc ne erroris libera cuipiam tribuatur facultas observandum quòd ubi multa non habent difficultatem sed secundum eandem rationem & facilitatem cognoscuntur, non sint in diversos secanda articulos. Hinc est quod unus sit de resurrectione & vita æterna, unus item de passione morte & sepultura, quia ex his uno cognito admissoq; facilè aliud cognoscitur & admittitur; de Passione autem alius & de resurrectione alius statuitur, quia alia est difficultas ad credendum quod Christus sit passus, alia ad credendum quod resurrexit. Ex his dignitas utilitasq; Rosarij lumine meridiano clarius elucet. Attamen scripturarum quoq; mysteria ad nostri confirmationem assumpti scrutemur.

De Divinitate 7. articulos de humanitate Christi totidem continet.

Canticorum I mo *Murenulas*, inquit sacer textus *aureas faciemus tibi vermiculatas argento.* In grȩca editione habetur: *similitudines auri faciemus tibi cum punctis argenti.* In hȩbrea: *Ordines auri faciemus tibi cum punctis argenti.* Murenulæ flexuosa sunt colli ornamenta instar murȩnarum id est piscium flexibilium similium anguillis. Lampetras vocant à lambendis petris quibus ore spongioso tenaciter adhȩrent. De hoc colli ornamento Hieronymus ad Marcellam scribens meminit: *Murenulam vulgus vocat quum metallo in virgulas lentescente quȩdam ordinis flexuosi catena contexitur.* Vermiculatũ verò opus dicitur quod parvis tessellis, vermiculorum instar, variegatum est ac distinctum: quale est quod Musaicum vocatur. Musea enim appellantur opera ex pumicibus constructa quæ in ædificijs ita dependent ut imaginem specus reddant. *Cum ergò promittit Sponsus* (verba sunt Pannonij) *murȩnulas vermiculatas argento promittit secundum literam catenulas aureas lentescentibus aureis virgulis flexibiles quæ punctulis argenteis consertæ sunt.* Cui autem promittit? absq; dubio Ecclesiæ cuius videlicet nuptiarum cum Christo dulce in Cantico Canticorum epithalamium canitur. Ad quid promittit supervacaneum est quȩrere, cum ipsa ornamenti natura respondeat collo se deservire ornando. Ut collum suum exornet Ecclesia murȩnulæ ipsi à Deo prȩparantur. Collum porro ipsius Virgo Beatissima est quia ipsa proximè cohæret Christo qui est Ecclesiæ caput & quia per eam in corpus Ecclesiæ ex Capite Christo vitalia cȩlestium derivantur dona gratiarum. Tam sanctum, tam Divinum collum non vulgari equidem murȩnula, non è terra effosso auro argentoq; decoratum. Mysticos igitur perquiramus cantici sensus. Per aurum in scripturis designatur sapientia: *Thesaurus desiderabilis requiescit in ore sapientis.*

Ex Cantico Salomonis deducitur Rosarij dignitas.

item charitas: *Suadeo tibi emere aurum ignitum.* Necnon Divinitas: *Caput eius*, id est Christi *aurum optimum.* Caput autem Christi Divinitas est juxta Apostolum. Flexus auri huius, est humiliatio Divinitatis hoc est formæ servilis assumptio. Argentum, sunt eloquia Domini: *Eloquia Domini, eloquia casta argentum igne examinatum probatum terræ purgatum septuplum.* Pollicetur itaq; quoddam decoramentum MARIÆ ex sapientia charitate & Deitate sua simulque eloquijs Divinis confectum seu ut expressius loquar, ornamentum ex vocibus sacris compositum quæ sint Divinæ sapientiæ charitatis ac Deitatis speciali quadam nomine manifestativæ. Hoc autem non aliud esse reor quàm salutationem Angelicam in qua sapientia Divina charitas Divinitasque ipsa sub minutis vocibus velut tessellis aut punctis quibusdam argenteis interlucet. Quid minus vocula Ave! Et tamen hęc, intima sapientiæ Divinæ arcana complectitur, circa quam per tot sęcula tantorum ingenia sudarunt & tamen rationem ipsius magis opinati sunt quàm expresserunt. Quot paraphrases, quot conceptus imò quot integras conciones Marianæ gloriæ buccinatores supra vocabulum hoc formarunt, neq; tamen mysterium ipsius perfecte valuerunt exponere? Minuta dictio est *gratia plena* & tamen charitatis Divinæ exuberantiam erga MARIAM exprimit totque abundat sensibus ut ad explicandos eos & Tulliani fluvius siccaretur ingenij & contortæ Demosthenis vibratęque sententiæ tardius languidiusque ferrentur. Parum dixi, nec ipsa Angelica lingua nisi specialiter fuisset à Deitate ędocta tot mysteria binis voculis inclusisset. Quid compendiosius quid pressius dictum quàm *Dominus tecum*, ubi adest MARIÆ signatur Divinitas. super quo nihilominus dicto si prolixos concionum confice-res tomos, vix stillam è flumine hausisti. Verè itaque sub minusculis vocibus tanquam sub quibusdam vermiculis aut notis argenteis aurũ Divinæ sapientiæ charitatis ipsiusque Divinitatis & latet & lucet. Etiam in hoc arcanum subest quod non murenulam sed murenulas promittit sponsæ suæ ut nimirum intelligas tale quoddam ornamentum promitti in cultum MARIÆ quod non ex una verùm ex multis concinnetur salutationibus Angelicis ad instar monilium in quibus ansula ansulæ inseritur & annulus annulum excipit. In hoc monili pretiosissimo, Rosarium intelligo, Orationes Dominicæ habent se veluti *gemmulæ carbunculi in ornamento auri;* Symbolum Apostolorum est velut annulus aureus quo ligantur atque clauduntur extremæ murenularum partes. seu est instar adamantinæ fibulæ mordentis oras inęstimabiles. Proh quantæ dignitatis quanti valoris rosarium si in decus Sponsæ Divinæ ab æterno paratum! si ex talibus metallis compactum, si æstimationem eius necdum sęcula omnia assecuta! Inde est quòd qui hanc precandi formulam familiarem habuerit probabile electionis suæ ad gloriam signum tenet. *Scias & securè intelligas* (verba recito B. Alani) *quod signum probabile est & proximum æternæ damnationis horrere attędiari & negligere salutationem Angelicam totius mundi reparativam. habentibus verò devotionem ad hanc, signum est ordinationis & prædestinationis permagnum ad gloriam.*

Rosarij devota recitatio est signũ electionis ad gloriã

Alterius quoq; pientissimi MARIÆ cultoris sententia est: *Esto quis vir mortis sit, certo tamen sibi persuadeat se à Iudice Christo Salomone verò haud*

Eggerer in. Anathem:

ro haud interficiendum si Virgineam arcam Domini portaverit in corde suo imò cum Bethsamitis servandum si eandem arcam Beatissimam DEI Parentem coluerit & honoraverit. Honorabit porro illam si Religiosus sit quotidiano officio & Rosario. Rex Ægypti Parthamis cum in vere diem natalem celebraret, Amasis coronam è lectissimis floribus textam illi munus obtulit. Rex pulchritudine serti delectatus, donatorem ad cænam vocatum inter primos amicorum adlegit, qui tandem à Parthami deficientibus Ægyptijs regnum Ægypti adeptus dignitatis regiæ culmen uni se debere coronæ referebat teste Athæneo libro 15. Si tanti vitrum quanti margaritum. si una corolla ex flosculis citò pereuntibus conserta, præmio regni opulentissimi compensata, putas minoris erit meriti corona ex immarcescibilibus rosis imò rutilantibus gemmis Divinarum contexta gratiarum, auroq; atq; argento mystico bracteolata, ut non sit digna in mercedem sui reportare cæleste regnum? Et hoc dico non ut laqueum injiciam audientibus & spe vitæ æternæ ex Rosario lucrandæ animosos ad peccandum reddam sed ut ostendam quanti apud DEUM sit valoris cultus MARIÆ frequenti penso salutationum Angelicarum exhibitus, penes tamen curam salutis propriæ & letiferi fugam peccati.

Prosperitas in rebus sæculi ex devota oratione Rosarij.

Etiam in sæculi rebus prosperi ab eiusmodi devotione pendent successus. Devotissima olim ad Dominam Patronamq; suam Pannonia quousq; hoc cultu venerabatur eandem, lacte & melle in pacis serenitate manabat. *Ungaria Ungaria* (apostrophe est eximij cuiusdam è Religione nostra Oratoris Patriam suam alloquentis) *quamdiu magnam tuorum Civium Dominam spirasti Virginem, quamdiu testata es voce, quamdiu scripsisti sanguine, quamdiu manu altera precariam illius globulorum corollam, altera gladium in hostem strinxisti, jugiter prosperos habuisti ultra vota successus, quod erat in desiderio adfuit in manibus. lætos duxisti dies, ignorasti fulminum mortes. manum vix aptasti ad arma & in mare confusionis deijciebatur hostis; per aërem tela non volabant & inimicorum apparatus corruit.* Pandens deinde orationi suæ vela infelicitates omnes & calamitates tam beatæ quondam Patriæ in illam refert culpam, quòd inclytas laudum coronas magnæ Dominæ amplius non intexit. Agnoscit profecto non regnum unum sed mundus integer salutaris huius precationum sacrarum reduplicationis virtutem atq; utilitatem, ideoq; in frequentatione ipsius studiosus. Totus se cultorem MARIÆ exultat. Maternitatis Divinæ adorans celsitudinem in laudes ab Archangelo & Elisabetha MARIÆ decantatas effunditur universus ut vix sit inter orthodoxos qui non precarios gestet globulos ad salutandam Deiparam commonitores simulq; precum illi fusarum calculatores. Neq; verò est ista recens nec nostri gloria cæli. Pridem Rosarij Mariani inter fideles ferbuit devotio, quamvis eâ formâ cæpisse à D. Dominico qua definit Miechovien: non abnuam. Paulus Eremita qui in monte Phene habitabat, trecentas preces præstitutas, totidem habens in sinu calculos & ad singulas preces unum jaciens calculum, orabat quotidie, ex quo exemplo antiquitatem Rosarij monstrat Rosueidus in suo Onomastico super vitas Patrum. Nec hic solus preces suas tali ratione annumerabat DEO. Multi enim à multis sæculis centies, trecenties, sexcenties, leguntur precationes suas repe-

Kery in Ferocia Martis Turcici.

Antiquitas Rosarij

N

as repetijsse, quod absq; granorum precariorum usu facere nequibant. Ordo hic orandi Apostolorum temporibus referre originem suam credendus, in Oriente primum crevit. Unde etiam apud Turcas in religione & usu habentur calculi precatorij filo inserti. diabolus namq; velut simia quidquid videt boni in Ecclesia hoc in perversum in membris suis imitatur. A tanta retro æternitate ad nos usq; traducta eiusmodi ratio orandi & successu temporis ordinatior facta brevibusque rememorationibus vitæ mortis & gloriæ Salvatoris nostri distincta universum per Orbem increbruit. Memorat Martialis aliquando Romæ omnes vias stratas fuisse fragrantibus rosis imò coronis è purpureo rosarum flore compositis. *Textilibus sertis omne rubebat iter.* Festivior quia sacratior nunc non in una duntaxat Urbe sed in toto Christiano Orbe gratia refulget Floræ cælestis quando ubiq; textiles coronæ è rosis cernuntur mysticis.

Obiectiones Hæreticorum contra Rosarium retunduntur. Sibilent quantumvis excetræ infernales & suis evomant venena pectoribus, non cessat pietas Christiana MARIAM salutare. *Ne iteres verbum in Oratione tua* opponunt hæretici ignorantes aut ignorare se simulantes, trisagium in cælo ab Angelis repeti: & à publicano unicam usurpatam totiesq; resumptam esse orationem: & in psalmo 135. unum carmen per totum iterari: & si fides verissimis hystorijs, à Thaide meretrice unicam precatiunculam tota vita replicatam, *qui plasmasti me miserere mei.* Sententia illa scripturæ hoc solum vult ne ex incredulitate aut superflua anxietate verba resumamus in oratione quia dum per volubilitatem mentis nostræ paulisper evagati sumus, si orata iteremus quod faciunt scrupulosi, ægrè finietur Oratio sicut & ab illis qui ex incredulitate iterant, vix ad umbilicum orationis pervenitur. Quodsi prophanæ magis quàm sacræ placet eruditionis pondus, etiam Plato quod pulchrum est bis ac ter repeti volebat in dicendo, denotans in pulcherrimi alicuius dicti repetitione nullum nasci tædium. Lucianus quoq; ait: *Nulla satietas est rerum honestarum.* Venusinus item vates orationem decies repetitam placere canit, si spiritum DEI habuisset, nostras eum decades salutationum Angelicarum hoc loco commendare crederem.

Quodsi quispiam cultus Mariani osor adhuc sufficientiam Orationis Dominicæ producat utpote in qua exacta omnium petibilium series includitur ideoq; non esse orationum entia absq; necessitate multiplicanda, huic satisfacit Doctor Angelicus dicendo, dupliciter orationem alicui porrigi, uno quidem modo quasi per ipsum implendam: alio quasi per ipsum impetrandam. primo oramus DEUM qui solus potest nobis dare gratiam & gloriam, ad quæ duo omne nostrum collimat desiderium ac postulatum. secundò sanctos, ut eorum suffragijs nostræ supplicationes adiutæ suum sortiantur effectum. DEUS oratur tanquam author & largitor omnium bonorum; sancti orantur tanquam interpellatores nostri apud DEUM. Voluit porro DEUS sicq; abyssali suo sancivit decreto, desideratam nobis propitiationis suæ abundantiam multiplicatis intercessoribus impertire.

2. 2. q. 83.

Jam quod nominibus titulisvè ad devotionem commendatam adstringimur unusquisq; intra se penset. Vladislaus IV. Pijssimus ille ideoq; fortunatissimus Rex Româ redux jam jam regno suo ex ora Si-

lesiæ

Iesiæ pedem illaturus subito languore correptus imò nihil proficientibus medendi curis quas inter se aula diviserat in extremo vitæ constitutus discrimine ad Comitum versus Claromontanam Basilicam è longinquo adgeniculatorum vota pristino vigori restituitur pro tantoq; favore auream coronam gemmis lapidibusq; pretiosis compactam MARIÆ offert ad cuius limbum adamantibus inarari curavit Epigraphen. *Tibi MARIA* uti & ad coronam JESU *Tibi* JESU. O quoties unumquemq; nostrum letalis languor morti traditurus erat! quoties victima libitinæ cadere debuimus nisi MARIA succurrisset; nisi MARIA adiuvisset paulominus non semel non bis sed millies forsitan anima nostra in inferno habitasset. Jn morbis corporis in corruptionibus animæ adstitem habuimus & sanatricem, vix in vota vocare cæpimus quinimo ante vota precesq; nostras. Ergò coronemns eam non unionibus non pretiosis è rubro mari granis verùm Angelicis quarum pretium in terra non invenitur salutationibus, orationi nostræ identidem affigendo melle dulciores auro & piropis pretiosiores thesseras. *Tibi IESU Tibi MARIA.* ut non ad alium vanum finem sinistra præcationes nostras torqueat intentio sed ad solius JESU Matrisq; suæ gloriam recta dirigat devotio. Erit, quando coram filio suo in totius cæli theatro nostras ostentabit devotiones dicetq; hic tot corollas Capiti meo imposuit, hic tot murenulis collum meum cinxit, hic toties fragrantissimum mihi obtulit sertum. Rogo quis iste honor in facie totius Cæli sic laudari à Matre DEI, quis inde cordi jubilus quæ exultatio quæ gloria? Quam tunc vellemus ferventissimos nos in laudibus fuisse Marianis? Quod ergò tunc vellemus nunc faciamus & cum Archangelo cum Elisabetha imò cum Ecclesia universa crebris Deiparam salutationibus veneremur.



CONTEMPLATIO
GAUDIORUM CÆLESTIUM.

CRastina, & sequentibus ad Octavam diebus sub una solemnitatis lætitia Omnium Sanctorum celebrabimus festivitatem quorum societate cælum exultat quorum patrocinijs terra lætatur, triumphis Ecclesia sancta coronatur. In hac certè festivitate excitat nos ultra quam alias sancta Mater Ecclesia ad contemplationem gaudiorum cælestium, quando Sanctorum omnium choros eorumq; triumphos oculis nostris subijcit & nostræ proponit venerationi, quando illo Bedæ venerabilis sermone nos alloquitur. *Consideremus inclytam Urbis illius felicitatem in quantum considerare possibile est, ut enim verè est, comprehendere nullus sermo sufficit.* Omnes quidem fideles in hoc exercitio frequentes, at Religiosi assidui tenentur esse ut pote quorum conversatio tota in cælis, & qui quamvis corpore in terra positi multa sustineant corde tamen in Cælo fixi manere debent. Ad quod peragendum, & stimulum & lumen addam, umbratili elo-

quio magnitudinem & jucunditatem Cæleſtis beatitudinis ex ſcripturis & conjecturis velut ex aliquo exemplari depingendo.

Jneffabilitas æternæ gloriæ vel exinde perſpicua eſt quòd in ſacris literis nonniſi per negationes deſcribatur. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis ad futuram gloriam. Nec oculus vidit nec auris audivit, nec in cor hominis aſcendit quanta DEUS præparavit diligentibus ſe. Abſterget DEUS omnem lachrymam ab oculis Sanctorum & mors ultra non erit neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultra.* Apoſtolus tamen & Propheta Ioannes cuius modo verba ultima prætexui, per ſimilitudines & figuras quaſdam conatus eſt eam ſub oculos noſtros ponere. *Vidi* inquit, *Civitatem magnam Hieruſalem deſcendentem de Cælo à DEO habentem claritatem DEI & lumen eius ſimile lapidi pretioſo tanquam lapidi jaſpidi cryſtalliſanti; deſcriptaq; altitudine & magnitudine muri ac duodenario portarum numero* & æqualitate longitudinis latitudinis atq; altitudinis murorum ſubijcit ſtructuram mæniorum quadratam eſſe ex jaſpide, ipſam verò Civitatem aurum mundum ſimile vitro mundo & fundamenta muri Civitatis omni lapide pretioſo ornata, portas ex margaritis conſtantes non claudendas per diem ſuccedaneæ noctis expertem; ſolis loco ipſum lumen increatum, Divinam videlicet eſſentiam, radiaturum, loco templi DEUM Omnipotentem & Agnum futurum. In eadem Civitate conſpicatus fluvium aquæ vivæ ſplendidum tanquam cryſtallum & ex utraq; parte fluminis lignum vitæ afferens fructus 12. & folia ad ſanitatem gentium. Concludit in hoc, quòd incolæ videbunt faciem DEI & nomen eius in frontibus eorum & regnabunt in ſæcula ſæculorum. Hæc literaliter non poſſe intelligi docet S. Hieronymus ad Marcellam in hæc verba: Ubi quadrum eſt ibi nec longitudo nec latitudo appellari poteſt. Et quæ eſt iſta menſura ut tanta ſit longitudo & latitudo quanta altitudo & muri de lapide jaſpide & tota Civitas de auro mundo & fundamenta & plateæ eius de lapidibus pretioſis & duodecim portæ fulgentes margaritis? Cum ergò hæc non poſſint carnaliter accipi (abſurdum quippe eſt per duodecim millia ſtadiorum tantam Civitatis longitudinem & latitudinem quantam & altitudinem prædicari) ſpiritualiter intelligenda ſunt ſingula. Civitatis itaq; nomine congregatio Civium ſupernorum in cælis regnantium ſignificatur idq; non cuiusvis ſed Hieruſalem ad differentiam univerſitatis impiorum quæ Babylon id eſt confuſio in eodem Apocalypſis loco vocatur. Murus dictæ Civitatis non alius quam DEUS juxta illud Zachariæ 2do: Ego ero illi murus in circuitu. Et Iſaiæ 26. Salvator ponetur in ea murus. Portæ eius, 12. ſunt Patriarchæ. fundamenta 12. ſunt 12. Apoſtoli. In quadro quod 4tuor conſtat partibus eo myſterio dicitur poſita, ut hinc oſtendatur ex omnibus 4tuor mundi partibus homines acceſſuros ad cæleſtem Hieruſalem. In quadrata figura æqualiter diſtant latera & æquales partes ſunt ut ſcias tanti eſſe apud DEUM fideles qui ex oriente quanti qui ex alijs mundi plagis ad eam Civitatem aſſumentur. vel certè quia regnum illud eſt ſummæ pacis. ſummæ concordiæ utpotè in quo nihil diſſimile aut diſſonum ſit ſed ſumma æqualitas, ſumma convenientia & unitas ſumma. Licet enim in gradibus gloriæ ſecundum differentiam meritorum ſit diverſitas una tamen eſt

Apocalyp: 21.

men eſt & communis lætitia. Diſpar gloria ſingulorum ait Auguſtinus in meditationibus ſed communis lætitia omnium, unum volunt unum nolunt unitas eſt mentium. Licet cuiq; ſit diverſum pro labore meritum, charitas hæc ſuum facit quæ dum amat alterum, proprium ſic ſingulorum commune fit omnium. Quod verò longitudo latitudo & altitudo æquali menſurâ eſſe perhibentur, perpetuitas æternæ felicitatis deſignatur, quia nimirum omni ex parte cæleſtis beatitudo æterna eſt nec ullo fine terminatur. Structura & lumen muri ex lapide jaſpide eoq; Cryſtalliſante. Iaſpis viridi colore aſpectũ delectat imò & confirmat ut diſcamus Divinam eſſentiam quæ per jaſpidem ſignatur non modò immensè delectaturam ſed etiam confirmaturam electos ut ampliùs miſeri & peccaminoſi eſſe nequeant. Quia verò in ſanctis erit lumen clariſſimum nec ullam denſitatem habebit ideò illud gloriæ lumen aſſimilatur non jaſpidi denſo ſed qui inſtar Cryſtalli pellucidus ſit & tranſparens. Ipſa Civitas hoc eſt univerſitas beatorum vocatur aurum mundum propter Charitatis ſplendorem; ſimile vitro mundo propter puritatem & diaphanitatem conſcientiæ ſanctorum, quia nimirum ſicut in vitro totum manifeſtatur exterius quod continetur interius; ita in Cæleſti beatitudine cordis arcana & cogitationes ſanctorum invicem patebunt. Magna ſecuritas Hieruſalem ſupernæ in eo manifeſtatur quòd portæ eius non clauduntur per diem eamq; perpetuam quàm ſcilicet nulla nox interpolabit. Fluvius aquæ vivæ quid aliud quàm Dei omnipotentis natura in trium perſonarum maieſtate incomprehenſibilis quæ ſcilicet potat beatos omnes torrente voluptatis ſuæ. Fluminis huius impetus lætificat Civitatem Dei. Huius exuberantiam prædicebat & promittebat Iſaias: *Tunc videbis & afflues & mirabitur & dilatabitur cor tuum quando converſa fuerit in te multitudo maris.* Fontis aquæ vivæ ſortita eſt vocabulum eò quod det vitam electis nunquam intermorituram, quòd verò omnia ſua nota faciat amicis ſuis Symbolo cryſtalli lucidi deſignatur. Dionyſius Carthuſianus per flumen aquæ vivæ vult intelligi exuberantem effuſionem donorum gloriæ à Deo ſuperbenedicto in mentes beatorum quæ idcirco vocatur flumen aquæ vivæ quia poſt vitæ præſentis laborem dulciſſimè recreabit. Lignũ vitæ eſt Chriſtus Dominus ſecundum Divinitatem ubiq; præſens & ideo in utraq; viſus parte fluminis. Eius fructus 12. non aliud puto quàm magnam copiam mercedis Sanctorum ex Chriſti meritis profluentem ſeu omnes dotes aureolas omniaq; dona ad perfectam beatitudinem ſpectantia quæ licet ſint plurima & innumera tamen 12. cenſentur ob perfectionem numeri duodenarij & quia numero duodenario univerſitas determinatur. Per Menſes ſingulos fructus ſuos reddit lignum vitæ hoc eſt per totam æternitatem. Sicut enim apud nos totius anni curſus in duodecim completur menſibus ita perpetuitas ævi Cæleſtis opportunè per 12 Menſes figuratur. Incolæ Cæleſtes videbunt faciem Dei. In hoc enim ſumma beatitudinis eorum. *Hoc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum verum Deum & quem miſiſti Iesum Chriſtum.* Cuius quidem viſionis tanta vis ut transformet electos in ipſum quodammodo Deum. Revelatâ facie gloriam Domini ſpeculantes in eandem imaginem transformabimur à claritate in claritatem. Ma-

Apud Cælium Pannoniũ in Apocal:

2. Ad Corin: 3.

O gnum

gnum miraculum! magna merces! videbimus & transformabimur transformabimur in aliud quàm quod modo in faciem ſumus. Nam & Moyſi facies igne quodam Cæleſti fulgurans à conſuetudine colloquij Divini conſpiciebatur ut non poſſent filij Iſrael in eum figere obtutum. Tanta eſt, tanta eſt virtus viſionis Divinæ! Nomen DEI in frontibus eorum, quia apertiſſimè per dona gloriæ clarebit illos eſſe filios DEI ab æterno prædeſtinatos. Et regnabunt in ſæcula ſæculorum. O magnæ & feliciſſimæ ſecuritatis fiducia! ô admirabilis æternitatis duratio! quis tunc pavebit quis terminum vitæ exhorreſcet? Regnabunt quouſq; ? in ſæcula ſæculorum.

Hi ſunt tropi, hæc figurarum involucra, hæ umbræ quibus nobis Cæleſtis beatitudinis magnitudinem adumbravit D. Ioannes, ſed obſtruſa hæc ſunt nimis & arcana. Apocalypſis enim tot habet Sacramenta quot verba imò in verbis ſingulis multiplices latent intelligentiæ. Planius ergò eſto non plenius ex coniecturis quibuſdam Cæleſtis quoquomodo intelligetur beatitudo, ſicut ex duobus botris fertilitatem terræ promiſſæ intellexerunt. Hebræi ſicut ex ungue leo, ex veſtibulis domus, ex nigredine & vortice profunditas aquæ, cordis arcana ex ſignis exterioribus cognoſci conſueverunt.

...ima: Ex Ludovico Granat. in Duce peccatorũ.

Prima coniectura manuducens nos ad cognitionem æternæ beatitudinis eſt finis ad quem à DEO condita, hic autem non eſt alius quàm manifeſtatio gloriæ & potentiæ Divinæ. Aſveri convivium, quàm magnificum, quàm ſumptuoſum, quàm diuturnum, eò quod illud feciſſet ad oſtendendas divitias gloriæ Regni & magnitudinem atq; jactantiam potentiæ ſuæ. Quid verò fuit tota magnitudo potentiæ Aſueri reſpectu Divinæ? umbra, nihilum, & ſi nihilo quid minus eſſe poteſt. Tanta eſt DEI potentia ut uno ſolo verbo hunc talem tantumq; mundum crearit & mille alios meliores creare poſſit! Et quidem ſine labore produxit omnia, eadem facilitate Cherubim qua muſcam ex nihili abyſſo educendo. *Non enim poſſibilius eſt illi creare vermiculum quàm Angelum. nec impoſſibilius extendere Cælum quàm folium; nec leviùs formare capillum quàm corpus*, ait S. Auguſtinus in ſoliloqui: Si ergò tam potens eſt, quanta putas gloria illa, illud convivium, beatitudo illa quam tanta potentia ad oſtendendam excellentiam ſuam architectata? Quale putas opus illud quod ex hac prodijt officina in qua tales artifices & magiſtri concurrunt quales & qui ſunt Omnipotentia Patris, Sapientia Filij, Bonitas Spiritus Sancti.

...adà.

Alteram accipe inde quod DEUS ſit ſummè ſollicitus de honore Sanctorum etiam in hac vita quando & dominium peculiare confert illis in Creaturas & miris alijs eoſdem honorificat modis. Ad vocem Joſue *ſol* in occaſum currens immobilis ſtetit. Idem eodem modo Abbati Mutio fratrem moriturum longinqui itineris diſtantem intervallo properanti inviſere obſecutus legitur. Ad vocem Ezechiæ revertitur dum umbra illius decem gradibus in horologio reflectitur. Elias verbo ſuo ſuſpendit aquas & nubes cæli clauſit, poſtea laxavit eaſdem. Petrus inani quadam ſpecie vacuæ imaginis hoc eſt umbra Corporis ſui miracula patrabat, & ferrum illud ipſius pænalium vinculorum per omnes Chriſti Eccleſias auro pretioſius habetur. S. Franciſcus. S. Paulus pri-

In vitis PP. li: 2. Authore Rufino.

lus primus Eremita. S. Xaverius alijq; innumeri beſtijs imperantes prompta experiebantur obſequia, ut taceam de honore ſanctorum qui ipſorum nomini & ſacris reliquijs in feſtivitatibus, Tranſlationibus, Dedicationibus per totum mundum impenditur. *Martyrum ubiq;* ait S. Hieronymus ad Marcellam *ſepulchra veneramur & ſanctam favillam oculis apponentes ſi liceat etiam ore contingimus.* Si tam impenſus Deus ad honorandos ſanctos ſuos in loco non præmijs ſed meritis, non triumphis ſed certamini, non quieti & gaudio, ſed laboribus & afflictionibus conſtituto; qualis putas erit, in loco remunerationis, gaudij, & gloriæ æternæ. Si tanta facit electis ſuis in via, quanta in Patria, ſi tanta in carcere, quanta in palatio, ſi tanta in contumeliarum loco, quanta in honoris theatro? Sanè nimis honorificati ſunt amici tui Deus; nimis in hoc mundo ſed ultra nimium in Cælo.

Etiam ex pretio valor & dignitas rei conijcitur. Quod autem pretium quo comparata beatitudo noſtra? non aliud quàm ſanguis Jesu Chriſti Filij Dei. O qualis gloria illa pro qua Chriſtus ipſe tam dira pati debuit antequam in eandem intraret nobiſq; intrandam aperiret. Stephanus Bathoreus Rex Poloniæ pro Symbolo habuit aliquot papaveris culmos quorum capita corona regali cingebantur. Jnſcriptio aderat. *Per non dormire.* Jndicare voluit ſe ad regnum per in ſomnia curaſq; ſomni expertes perveniſſe. Chriſtus Dominus non tantum per non dormire quia fermè quavis nocte erat pernoctans in Oratione Dei, ſed etiam per pati & mori regnum cæleſte ſibi & nobis obtinuit. *3tiò.* *Typotius.*

Jnſuper magnitudo Cæli Empyrei magnitudinem nobis gloriæ Cæleſtis demonſtrat. Indubitatum eſt ex S. Thoma alijſq; Doctoribus quo quid ſublimius eſt eo quoq; maius eſſe in quantitate pulchrius & elegantius in qualitate. Terra quia inter elementa ordine ſituq; infima ideo minima & informis. Aqua quia altior quam terra ideo maior & ſuo cryſtallino ſplendore, gratioſo oculis illicio ſuavior. Aer major & ſubtilior quàm aqua & delectabili cærulei coloris ſpecie præſtantior. Ignis elementum maius ac amænius aereo. Cælum primum ſeu infimum igne. Secundùm Cælum primo. Tertium ſecundo maius, pulchrius, lucidius eſt, & ſic per omnes Cæleſtes ſphæras aſcendendo uſq; ad Empyreum cælum: quod quia altiſſimum, etiam vaſtiſſimum ac planè immenſum in magnitudine, in amænitate, in exuberantis lucis fulgore, in ſvaviſſimi odoris fragrantia omnem humani intellectus excedens capacitatem. Tria ſunt locorum genera corpori humano ſecundum diverſitatem temporum accommodata. Uterus Maternus poſt conceptionem. Mundus poſt nativitatem. Cælum poſt mortem. quorum tertium ita ſe habet reſpectu ſecundi ſicut ſecundum reſpectu primi. Uterus Maternus ſpatio exiguus uniuſq; ſolùm ordinarium attendendo curſum, infantuli capax, lucis expers, nec niſi ad annum 70. aut 80. durabilis. At verò mundus ab ortu ſolis ad occaſum uſq; in 4tuòr ſuis partibus quàm latè per terras jacentes ac maria hinc inde diffuſa protenditur! Tot hominibus ſuſtinendis alendiſq; ſufficit, imò poſt tot ſæcula poſt tot traductas ab Adam generationes multa hominibus inacceſſa incognita & necdum habitata loca continet. Quam pulcher, quàm gratioſus, per quaternas anni revolutiones

4tò. Magnitudo & puchritudo cæli empyrei mõſtratur ex altitudine eiusdem.

Item ex magnitudine & pulchritudine mundi utero materno comparati.

lutiones in varijs rerum generibus, ſpeciebus, individuis, in lucis quæ Regina Colorum eſt, amæna communione, in plantarum volucrum atq; animalium varietate ac multitudine, in camporum planitie, montium altitudine, vallium viriditate, fontium ſcaturigine, abundantia fluminũ quæ venarum inſtar per totum terræ corpus decurrunt. Quàm pretioſus in venis auri argenti aliorumq; metallorum ditiſſimis fodinis ut ſileam de candore margaritarum rubri maris profunda teſtantium, ſmaragdorum virore, cerauniorum flammis, hiacynthorum pelago, ad quæ ardent & inſaniunt ſtudia matronarum. Iungatur ſi placet naturæ pulchritudini lepor artis, & omnium rerum venuſtas duplicabitur. Ex arte ſiquidem tot vaſa Phidiaco formata Cælo, tot columnæ cum deauratis capitibus pretioſum ornatum non ſentientibus miro politæ ingenio, ſtatuæ Palladia arte vivum aliquid ſpirantes dolatæ, Pyramidum atq; obeliſcorum miracula, picturæ Apelleæ, horti penſiles, ædificia marmorum cruſtis veſtitos parietes, ebore atq; argento valvas diſtinctas habentia. Omnia hæc artis ſunt fæturæ præter innumera ex cryſtallo aliavè materie ad ſtuporem animorum ingenij humani fæcunditate elaborata opera. *Quid non ingenio voluit natura licere?* Jam ſi durationem mundi ſpectes, Ariſtoteli æternus Chriſtianis tamen Philoſophis non quidem æternus ſed 6. annorum millibus, ſuperſtes & uſq; ad extremum judicij diem victurus. quod ſpatium ſi cum uteri durabilitate conferre velis, guttam cum Oceano; ævum cum æternitate; punctum temporis cum annorum myriade comparabis. Si tanti vitrum, quanti margaritum? Si talis mundus reſpectu uteri, quale amabò cælum Empyreum reſpectu mundi! Prorſus inæſtimabilis magnitudinis, inexplicabilis pulchritudinis, indicibilis jucunditatis. Ex domus ergò qualitate conijce habitantium conditionem, qui erunt illi quâ facie quo lætitiæ & felicitatis ſtatu qui tantum ac tale palatium per totas æternitates inhabitabunt. O verè pulchrum Cælum obtutibus noſtris. ſed pulchriora latent! pulchri Orbes Cæleſtes, planetæ, ſidera, jucunda ſub noctis ſudum cælorum facies, ſed pulchriora latent!

Martialis lib: 8. Cap: 5. 4.

Jn huius igitur gloriæ cæleſtis frequenti contemplatione exercebant ſe Sancti, ut qui corpore gravabantur in terris animo verſarentur in cælis & perennem illam beatitatis manſionem temporali mentis indagine prævenirent. S. Auguſtinus ſuam conſiderandæ felicitatis æternæ proteſtatur aviditatem. *O vita vitalis! vita beata, vita ſine labe, ſine dolore, ſine anxitate, ſine corruptione, libet me tuæ intendere claritati, libet cordis oculos ad te attollere, ſtatum mentis erigere, affectum animi conformare, libet de te loqui, de te audire, de te ſcribere, de te conferre, de tua beatitudine & gloria, quotidie legere & lecta ſæpius ſub corde revolvere.* S. Hieronymus in perſona Helidiori quemvis Eremitici inſtituti profeſſorem hortatur ut ad depellenda ſolitudinis tædia Paradiſi gaudia contempletur. *Terret* inquit *Eremi vaſtitas? ſed tu Paradiſum mente deambula. quotieſcunq; illuc cogitatione conſcenderis toties in Eremo non eris.* Jpſe quoq; fecit quod docuit dum ſæpè ſæpius in conſideratione perennium gaudiorum abreptus affectu felicitatis æternæ, cupiebat cum Apoſtolo diſſolvi & eſſe cum Chriſto. *Libet,* inquiebat ille, *ſarcinâ corporis abiectâ ad purũ*

In Medit: c. 21.

Ad Heliodorũ.

ætheris

ætheris evolare fulgorem. Annales nostri Lib: 2. Cap: 28. referunt fratrem quendam suæ negligentiorem salutis morti proximum miserabili pressum agoniâ & varijs dæmonum terriculamentis jam jam pæne in desperationem actum jacuisse. Dum verò pro eo fratres Divinæ Maiestati supplices fierent quasi è letargo evigilans & præsentes circumspiciens aiebat: Omnino de mea salute actum fuisset nisi ad vestras orationes venerandus quidam senex habitu Eremitico indutus nivè candidior pulsis procul dæmonum spectris me confortatum ad radicem montis perduxisset cum dicto: *Suspice Montem* Suspexi & ecce, o gaudium! o pulchritudo! vidi fratres Ordinis nostri in supercilio montis cantica lætitiæ depromentes. Subiecit senex: *etiam te illuc oportet ascendere si sponte velis.* Quod uni, hoc nobis omnibꝰ credamus dictum. Sanctus Senecio Patriarcha noster sæpius nos commonet internè, *suspice montem,* montem in quo fundata est cælestis Hierusalem, montem æternæ gloriæ, contemplare Paradisi delicias, pererra mente auro fulgentes supernæ Civitatis plateas ut ferventer operans salutem tuam associeris eis quorum festiva gaudia meditaris. Jucundum igitur & frequentissimum sit nobis Angelorum choris per contemplationem interesse cum beatissimis spiritibus gloriæ conditoris assistere præsentem Dei vultum cernere incircumspectum lumen videre. Quis non desideret, quis non cupiat illas cælici convivij delicias nisi forte magis placeant misera necessitatibus vitæ servientia obsonia quàm Cælestes voluptates quod non credo. *Quærite qui malit fieri conviva Tonantis. Me meus in terris Iuppiter ecce tenet.* stulta adulatione Domitianum quidam demulserat Poeta Ethnicus. Christianum, spiritualem, Religiosum, neminem certè judico qui non præferat Cænam illam æviternæ beatitudinis omnibus terrenis simposys. Prægustemus igitur per contemplationem quo cupimus saturari. haustulum prius æterni poculi ruminemus per meditationem ut toto deinceps hauriamus gutture. Discamus in terris quorum scientia & fruitio perseveret nobis in cælis. *Mart: lib: 9. Epist: 72.*

PSALMODIA.

DIvus Joannes Apostolus volens aspectui nostro scenam sanctorum in cælis triumphantium subijcere: Vidi, ait, turbam magnam quam dinumerare nemo poterat ex omnibus gentibus & tribubus & linguis & populis stantes ante thronum Dei in conspectu Agni amicti stolis albis & palmæ in manibus eorum & clamabant voce magna salus Deo nostro sedenti super thronum & Agno. Graphicè hîc ornatum & operationem sanctorum depingit, ornatum in stolis albis & palmis triumphalibus: operationem in clamore vocis magnæ & decantatione huius cantici *salus Deo nostro & Agno.* Stola latinis indumentum, in sensu anagogico significat lumen gloriæ quo unusquisq; in cælis amictus est sicut vestimento. Alba dicitur ad similitudi-

militudinem lucis ſolaris quæ candida eſt. Pretium dignitatem, ſplẽdoremq; ſtolæ iſtius nemo ſcit niſi qui accipit. Palma teſte Plutartarcho ſola eſt quæ adverſus pondera ſurgit nec novit oneri cedere ideoque in Symbolum victoriæ aſſumpta. Hinc Imperatores devictis hoſtibus lauro redimiti palmamq; geſtantes ſua ingrediebantur capitolia. Eo proinde myſterio beati palmas geſtare viſi quo demonſtrarent ſe jam Chriſto adiutore & Præſule viciſſe mundum cum ſuis vanitatibus, carnem cum illecebris, dæmonem cum tentationibus; ut nihil ipſis ſuperſit niſi poſt reportata ex hoſtibus trophæa perenniter exultare. Hac ſpecie apparentium & refulgentium electorum DEI nulla alia inſinuatur actio niſi clamare voce magna & dicere *ſalus DEO noſtro & Agno.* Quorſum iſta? ſcilicet ut imitari non pigeat quod celebrare delectat. Ieruſalem cæleſtis & terreſtris ſorores ſunt ſtudio ſibi coniunctiſſimæ. ideoq; & in exercitio ſimiles eſſe neceſſum eſt. Exercitium porro per quod beatis aſſimilamur Pſalmodia eſt ad quam rite & recte obeundam Divino fretus auxilio adhortabor.

Pſalmodia quaſi Pſalmorum dictio officij Divini vel horarum Canonicarum nomine ſignata Orationes ſacras importat quæ certis horis juxta præſcriptum Eccleſiæ peragi à perſonis ſpiritualibus conſueverunt. Hæ porro ſunt ſeptem. Matutinum cum Laudibus, prima, tertia, ſexta, nona, veſperæ, completorium. Septenario cenſentur numero ut Eccleſia imitetur exemplum Davidis ſepties in die laudem DEO dicentis. Ut item ſeptiformem Spiritus ſancti gratiam imploret ſeq; ſeptemplici precatione obarmet contra vitia capitalia. Præterea, quæ potiſſima cauſa eſt, ut officio in ſeptem horas diſtincto, ſeptem inſigniora paſſionis Chriſti recolat myſteria.

Gloſſa ſupr: c. 1. de Celebrat: Miſſarum.

Hæc ſunt ſeptenas propter quæ dicimus horas.
Matutina ligat Chriſtum qui crimina purgat.
Prima replet ſputis. cauſam dat tertia mortis.
Sexta cruci nectit. latus eius nona bipertit.
Veſpera deponit. tumulo Completa reponit.

Alia quoq; Sacramenta vitæ & gloriæ Chriſti his publicarum Eccleſiæ Orationum intervallis rememorantur. In matutino quod media nocte peragitur, Nativitas Domini noſtri eiuſq; extremum judicium ad quod media nocte venturus eſt. In Prima Reſurrectio & apparitio facta primùm mulierculis. In tertia miſſio Spiritꝰ S. in Apoſtolos. In ſexta fatigatio Chriſti ad puteũ Iacob ſedentis. In nona Cornelij Cẽturionis atq; in eius perſona gentiũ exauditio & ad Baptiſmum vocatio. In veſperis, inſtitutio Sanctiſſimi SACRAMENTI. In Completorio, agonizatio Chriſti.

Partes officij Divini.

Partes ſeu articuli ex quibus coaptatis integrum pſalmodiæ nectitur corpus ſunt antiphonæ quaſi ante cantiones quas pſalmis præmittimus; Hymni id eſt DEI ac Sanctorum laudes metro illigatæ: Cantica ad gratiarum actionem pro peculiari quopiam beneficio Divino ex ſcripturis decerpta: Lectiones ſcripturarum veteris ac novi teſtamenti ad noſtram inſtitutionem: Reſponſoria ſeu mutua Oratorum hortamenta ad mores doctrinæ Divinæ conformandos: Capitula, textus nimirum ſcripturiſtici una alteravè periodo clauſi ad laudandum DEUM vel certe ad vitam recte ducendam invitantes: Orationes quibus aliquid ad ſalutem æternam attinens à DEO miſericordi poſcimus.

versus

verſus & verſiculi cum reſponſionibus; illi ad excitandam in nobis attentionem & devotionem, hi ad teſtimonium dilectionis tum erga nos ipſos, tum erga fideles dormientes ordinati. Terminatur officiũ aliqua ad Virginem Beatiſſimam cantilena, ut per illam velut noſtram advocatam fiducialius orationes filio ſuo & per hunc æterno Patri offeramus. Ex his principaliora ſunt pſalmodiæ conſtitutiva: Pſalmi, Hymni, Cantica. Tria hæc ſunt inſtar principiorum ex quibus Divinum compingitur officium. Ad huius ergò officij tali ſtructura conſtantis digne peragendum negotium ſtimulos addere propoſui. Quippe & equorum curſus favore pernicior fit & pugilum fortitudo clamoribus incitatur & paratas ad prælium acies ſtrictoſq; mucrones Imperatoris accendit ſermo. At nihil hîc juvat canina facundia, nihil proficit ſterilis ſermo à ſæcularibus fontibus mutuatus, nihil tinnula & emendicata apud Tullium verba faciunt. Apoſtolico igitur eloquio ad cuius fulgura omnis mortalium ſenſus hebetatur mihi utendum decrevi. *Impleamini Spiritu Sancto loquentes vobismetipſis in pſalmis & hymnis & canticis ſpiritualibus*, ad Epheſios 5. Idem eſſet dicere: Si vultis impleri Spiritu Sancto, alterno choro Pſalmos, Hymnos, cantica ſpiritualia modulemini. Fieri enim nequit ut non repleat vos Spiritus Sanctus author ſpiritualium cantionum ſi eas cantaveritis utpote cui opus ſuum non poteſt non placere. Implet porro pectora noſtra Spiritus Sanctus intra magnalia laudum Divinarum non modo generali Divininitatis ſuæ præſentia qua cælum terramq; ſe implere proteſtatur ſed donorum inſuper fructuumq́; ſuorum plenitudine. Sicut enim Princeps quiſpiam cum in caſam pauperis coloni hoſpitaturus deſcendit, divitiarum ac pretioſæ ſupellectilis apparatu domeſticos agricolæ locupletat lares; ita creator Spiritus quocunq; ingreditur copioſa Divini theſauri importat munera. Unde D. Angelicus in illa verba Ioannis 14. Paraclitus in vobis manebit & in vobis erit: *Spiritus* inquit, *Sanctus nunquam eſt in hominibus abſq; donis ſuis*. Primùm itaq; plenitudinem donorum ſacroſancti Pneumatis intra Pſalmodiam adipiſcimur quæ nihil ſunt aliud quàm habitus abſolventes ac perficientes hominem ad hoc ut promptè ſequatur inſtinctum DEI ſicut virtutes intellectuales ac morales ſunt qualitates quæ vires ſenſitivas expeditas faciunt ad obediendum rationi. Accipit igitur homo in ingreſſu tanti hoſpitis rationi perficiendæ & Divinis adaptandæ inclinationibus ſapientiam & intellectum ſcientiam & conſilium. Ut ratio ſpeculativa rectè apprehendat veritatem, intellectus præſtat. ut practica in eadem apprehenſione non exerret, conſilium efficit. Eadem ratio in altero actu ſuo hoc eſt in judicio de veritate ſpeculativè formando dirigitur per ſapientiam, in judicio practico regulatur per ſcientiam. Ad vim autem appetitivam Divino inſtinctui diſponendam accipit homo per Spiritum Sanctum pietatem qua voluntas hominis perficitur in his quæ ſunt ad alterum, fortitudinem quâ munitur in ſe ipſa contra metum periculorum, timorem quo itidem in ſeipſa contra concupiſcentias pravas inſtruitur.

Intra Pſalmodiã implemur donis Spiritus Sancti.

Quid ſint & quæ ſint dona Spiritus Sancti.

Hic eſt primus bonorum chorus quo Spiritus Sanctus ſtipatus in cor noſtrum dum officio Divino vacamus illabitur. Fructibus deinde quorum multitudo duodenarij numeri ſignatur univerſitate totam

Implemur deinde intra Pſalmodiam fructibus Spiritus Sancti.

quantam animæ noſtræ capacitatem occupat. Fructus dicitur quod ex aliquo principio tanquam ex ſemine aut radice procedit, eſtque ultimum & delectabile. Fructus ergò Spiritûs Sancti ex ipſo tanquam principio proveniunt. Proveniunt nihilominus ijdem etiam ex nobis quia ſunt actus noſtri at non per facultatem rationis verùm per altiorem virtutem quæ eſt virtus digiti Divini ex nobis proficiſcuntur, è Divino quaſi ſemine non è noſtræ poteſtatis conatu originem ducentes.

Quot & qui ſunt fructus SpiritûsSancti

Fructuum iſtorum cathalogus ab Apoſtolo texitur ad Galatas 5. eſtq; iſte: *Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.* Poſſeſſis his bene ſe habet homo in ſeipſo, bene ad ea quæ juxta ſunt, bene ad ea quæ infra. Tunc porro mens hominis recta & probè diſpoſita in ſeipſa eſt quando & ad bona & ad mala debitè ordinatur. Ad bona quidem debitè ordinatur ſi amet id quod verè bonum eſt. Amor proinde utpote prima affectio omniumq; affectionum radix, primitus in anima pululat erga bonum atq; idcirco principem inter fructus tenet locum. Amorem omnino & ex neceſſitate ſequitur gaudium, omnis enim amans gaudet ad præſentiam amati. lætitiæ ſpirituali adhæret pax per quam ſcilicet gaudium conſummatur, quia nimirum pax quietem à rebus exterioribus & ſedationem deſiderij fluctuantis præſtat ſine qua duplici appendice vera & abſoluta nequit conſiſtere jucunditas. In malis bene comparata mens dignoſcitur ſi non turbetur appetentibus adverſis, quod habet per patientiam; ſi item non turbetur dilatione bonorum quod habet per longanimitatem. Ad id quod eſt juxta hominem, ſcilicet ad proximum bene compoſitus eſt animus humanus per voluntatem in primis benefaciendi, deinde per beneficentiæ executionem, tandem per iræ compreſſionem, ultimo per ſinceritatem fraudiſq; ac doli proximis nocituri fugam. In primo bonitas. in ſecundo benignitas. benigni enim dicuntur, quos bonus ignis amoris fervere facit ad benefaciendum alteri. In tertio manſuetudo, in quarto fides hoc eſt fidelitas elucet. Ad id quod infra eſt, probè homo diſponitur quantum ad exteriores actiones per modeſtiam, quãtum ad interiores libidinis motus per continentiam & caſtitatem quarum prior à licitis, poſterior refrænat ab illicitis. Hæ ſunt ſpiritûs Diviniſſimi opes quibus animam noſtram intra ſacra pſalmorum hymnorum canticorum colloquia cumulat. hæc plenitudo cæleſtis quâ nos exuberare facit, hæc caſtarum ubertas deliciarum! Quis jam pigritabit in Divino Officio in quo tantorum chariſmatum participes reddimur in quo pleni almo ſpiritu efficimur, ut jam non noſtro amplius vivamus canamuſq; ſpiritu ſed Divino. O mira vis Pſalmodiæ! Et certè non narrante aliquo ſed experimento proprio diſcunt piæ animæ admirabilem concentûs Eccleſiaſtici virtutem.

Ex lib: gratiarum ſpiritualiũ S: Mecht:

Cantabat aliquando D. Mechtildis attenuatiſq; elatâ voce viribus videbatur ſibi omnem ſpiritum quem reddebat de corde DEI trahere. Cui Chriſtus: ſicut tu modo flamen ex meo corde ſorbere videris ſic omnis qui ex amore aut deſiderio mei (potiſſimùm intra Eccleſiaſticas preces) ſuſpiraverit, non de ſuo ſed de meo Divino pectore vim ſpirandi ducit ad inſtar follis qui in ſe nullum continet flatum niſi quantum ex aere attrahit. En teſtimonio ipſius æternæ veritatis, inter ſacros o-

rationum

rationum numeros sumus veluti canthes Divino repletæ spiramine.

Luculentum plenitudinis huius signum ex devotis percipitur lachrymis quas Spiritus Divinus velut pretiosas gemmas ex oculis psallentium elicit. E vase pleno liquor effluit ubi vel minimum illud truseris; sic & lachrymæ foris rorantes indicium sunt superabundantis gratiæ interioris. Ignis activitate sua de semiplena ollula plenam imò superplenam facit dum elementum aquæ aut quodpiam liquidum corpus rarefaciendo fervere & bullire cogit: Ignis increatus de vacuo corde abundans efficit, abundans gratijs, donis, fructibus, ut ob abũdantiam istam necesse sit plerumq; in pias exteriorem hominem resolvi lachrymas. Placet mihi illa cuiusdam tessera clibano stillaticio in tabula depicto apposita: *Est testis lachryma flammæ.* Creatricis flammæ interiora nostra replentis non aliud melius testimonium quàm stillæ ex oculis deciduæ. Divus Thomas probat & approbat cantus in laudibus Divinis debere assumi ad hoc ut affectus hominis provocetur in DEUM, est enim certum quòd secundum diversas melodias sonorum, animi hominum diversimode disponantur. Si hæc cantui qui est sonus formatus inest vis, quid dicemus de Spiritu Sancto, qui est sonus increatus Patris & Verbi æterni, quocirca etiam in sono vehementi in Apostolos supervenit. Profectò hic in devotis Ecclesiæ cantilenis ita hominis animum immutabit, ut vel foris appareat, Spiritum Sanctum Cælestis authorem musicæ intus in corde psallentis cum suorum ubertate donorum latere.

Devotæ lachrymæ inter psallendum signum sunt plenitudinis Spiritus Sancti.

Tuba hæc Apostolica quæ in auribus nostris insonuit, pigerrimas etiam mentes ad devote peragendas horas Canonicas suscitare valet; si tamen quis tam durus & insensibilis est ut clangore & clamore non permoveatur Apostolico, suscitent eum fines superiùs allegati ad quos singula orandi spatia in Ecclesia DEI instituta sunt. Permovebitur citra dubium & ad devotionem incalescet si ante oculos mentales proponat sibi Christum, hac, exempli gratia, horâ ligatum, hac ante tribunal stantem, hac crucifixum, hac mortuum. Excitet eum superna *sedes cælitum semper resultans laudibus Deumq; trinum & unicum jugi canore prædicans.* Excitet fervor primitivæ Ecclesiæ quæ velut castrorum acies ordinata, more militum excubias suas commutatis horis & personis agentium, totam & quamlibet noctem in tres partiebatur vigilias quibus diversi fideles ad orationem conveniebant, diluculo autem non jam capitatim sed universim laudes matutinas celebraturi ad sacras ædes confluebant. Successu temporis factum est, quod præfatæ vigiliæ noctis mutatæ sint in tres nocturnos quibus triplex status designatur, nimirum, legis naturæ, legis veteris, & legis gratiæ, seu Evangelij, omniaq; beneficia in hoc triplici statu mundo ex meritis Christi collata recoluntur & in acceptis referuntur. Unde post tertium nocturnum, Evangelium cum convenienti expositione legitur statimq; hymnus Ambrosianus decantatur in gratiarum actionem pro publicatione Evangelij pro gentilismi extinctione & nostri ad fidem vocatione. In ferijs loco trium nocturnorum, duodenario psalmorum Officio Divinæ litamus maiestati ut duodecim psalmi duodecim nocturnis horis respondeant sicq; totius quasi noctis pensum DEO offeratur. Porrò sub hoc numero psalmos persolvendi non humana ad inven-

Inductiva ad devotè peragendam psalmodiam.

Primum.

Secundum.

Tertium.

Tres vigiliæ noctis mutatæ ab Ecclesia in 3. nocturnos

Quid per tres nocturnos significatur.

Cur duodecim psalmi in matutino feriali dicuntur.

adinventio est sed Divina cælitus Angelico ministerio Patribus antiquis delata institutio. Nam authore Cassiano cum in primordijs fidei, probatissimi Monachi per Ægyptum & Thebaidam habitantes, conferrent capita de uniformi aliquo instituendo precum & psalmorum officio ne qua in quotidianis solemnitatibus inter viros eiusdem culturæ dissonantia vel varietas quandoq; noxij erroris germen emitteret; pia contentione inter eos diutius durante, repente unus psalmos cantaturus exurrexit cumq; admirantibus cunctis duodecim psalmos versuum ac orationum interiectione distinctos cecinisset, subito ab oculis evanuit. Ab hoc tempore Canon generalis constitutus duodecim psalmos in nocturnis decurrendi vigilijs. Quibus actutum laudes subijciuntur pro debellatis fidei hostibus ac superatis nocturnis tentationibus. Memoratus Ecclesiæ fervor viguit ad tempora Divi Hieronymi qui testatur ætate sua non modo vigilias nocturnas celebratas esse sed etiam de die inter quæcunq; opera psalterium Davidicum & spirituales cantiones à fideli populo usurpatas. *In Christi villula,* inquit ille Bethleem sibi dilectam hoc nomine vocitans, *extra psalmos silentium est. Arator stivam tenens alleluia decantat, sudans messor psalmis se avocat & curva attondens vitem falce vinitor aliquid Davidicum canit: hæc sunt in hac provincia carmina, hæ ut vulgo dicitur amatoriæ cantiones, hic pastorum sibilus, hæc arma culturæ.* Etiam Hunnos suo tempore psalterium didicisse idem memorat, hoc est juxta interpretationem nostri hystoriographi, Hungaros ab Eremitis, ut noscas à tantis retro sæculis Anachoritas huic uni officio & seipsos addixisse & alios idem docuisse. Ad huius complementum suadæ accedit quòd sicut in superna Ierusalem nemo ab officio cælestis hymnodiæ exemptus ita & in terrena, omnium Ecclesiasticorum examina ad horarũ Canonicarum, nunc cum cantu, nunc absq; cantu persolutionem adstringuntur, ut nec Patriarchæ, nec Episcopi, nec Prælati quicunq; ab hoc absolvantur onere. Ad extremum excitet torpentem animum perditionis metus, à qua, devota Divini officij recitatio nos liberat juxta illud Isaiæ 48. Laude mea infrenabo te ne intereas. Sicut è contra perfunctoria & distracta, æternæ maledictioni & damnationi subijcit secundum illud oraculum. Maledictus qui facit opus DEI negligenter & secundum revelationem Benedictæ mulieri Florentinæ factam cui Virgo Beatissima apparens edisseruit multos æternaliter damnatos qui minus quàm Benedicta peccassent. in cuius dicti confirmationem Virgo Beatissima adjecit, quatuor hac ipsa die in Civitate in qua moraris, morituros & damnandos in quorum numero quartus Sacerdos qui malè & cum mentis evagatione Divinum persolvebat officium.

Quartum. *Quintum.* *Apud Teretiũ in libello Arma lucis.*

Universa quæ recensui incitamenta in digitos referenda, imò menti, trabali, ut aiunt, clavo infigenda ut *si non prosunt singula, multa iuvent.* Occurrat hîc aliquis & properantem ad extremam lineam sermonem meum his interrumpat: Psalmodiæ fructus uberes te narrante didicimus at non sine formidine oppositi: quotus quisq; enim est qui intra psallendum impleri se spiritu Divino persentiscat? qui charitate, gaudio, pace, patientia, mansuetudine alijsq; imbuatur virtutibus? quotus quisq; est qui præ plenitudine consolationum donorumq; cælestium suavibus diffluat lachrymis? sane videmus & experimur a-

ridos

ridos nos & piæ affectionis inopes manere atq; ijsdem passionibus & vitijs ut ante ita intra psallendum & postliminio irretitos. Non sine dolore respondeo, sicut præfertur, rem se habere; at non vitio aut defectu psalmodiæ sed culpa nostrâ. Nimirum insipienter psallimus contra Davidicum monitum illud: Psallite sapienter. Insipienter psallit qui delectationem non devotionem ex suo cantu quærit. D. Hieronymus super illud ad Ephesios 5. Cantantes & psallentes in cordibus vestris, dicit: *Audiant hæc adolescentuli, audiant hi quibus in Ecclesia est psallendi officium, DEO non voce sed corde cantandum nec in Ecclesia in tragediarum morem guttur & fauces medicamine liniendæ sunt ut in Ecclesia theatrales moduli audiantur & Cantica.* Ubi juxta expositionem Divi Thomæ, non reijcitur nec reprobatur cantus Ecclesiasticus sed solum ij reprehenduntur qui more theatrico in templis cantant non propter devotionem in se populoq; excitandam sed propter ostentationem aut delectationem provocandam. Insipienter psallit qui non strenuè ast languide & flaccide & quasi nolens psallit, contra quod monet Divus Bernardus: *Vos moneo fratres charissimi purè semper ac strenuè Divinis interesse laudibus. Strenuè quidem ut sicut reverenter ita & alacriter Domino assistatis non pigri, non somnolenti, non oscitantes non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes non fractis & remissis vocibus muliebre quidpiam blanda de nare sonantes sed vivido ut dignum est & sonitu & affectu voces Spiritus Sancti depromentes.* Insipienter etiam canit qui secundum arbitrium suum non secundum ordinis præscriptum modulatur in præiudicium regulæ vetantis cantare aliud nisi quod legitur esse cantandum. quam præceptionem explanans Pannonius ait: *Psalmi etiam cum pronuntiantur aut lectiones, pro modo ordinis id fieri debet, maximè ut puncta observentur. & ne nimis in recitando celeres simus nec nimis tardi velut qui vinculis ab incessu regulato impediuntur, sed sicut Oratorum mos est verba medio modo tractare ut nec tardi simus nec præcipites.* Insipienter demum canit cuius mens in foro, corpus in choro: hoc est, qui ex proposito, mente evagatur immemor præcepti: *cum oratis DEUM hoc versetur in corde quod profertur in ore.* Et quanquam in continenti ac prolixa Oratione difficillimum sit fieri posse ut semper mens attendat ad id quod ore proferimus cum & in breviuscula oratione subinde rapiamur ad alia; attamen hac in re virtus primæ intentionis, jacturam hanc reparare poterit dummodo seria præparatio animi orationi anteponatur, nec contrario actu interrumpatur. Quocirca, subjicit idem Pannonius, cuius verba etiam nunc prætexui, primam intentionem ante orationem, & conatum attentionis in procursu illius videri sub præceptum cadere juxta illud Ecclesiastici 18. *Ante orationem præpara animam tuam & noli esse quasi homo qui tentat DEUM. Et ne temerè quid loquaris neq; cor tuum velox sit ad proferendum sermonem coram DEO.* Equidem quantum placeat dæmoni mens intra orandum distracta, sat liquet ex visione Divi Macarij. Vidit hic aliquando quòd cum fratres horas canonicas persolverent, dæmones tanquam Aethiopes parvuli ad singulos accurrebant & his quidem mulierem specie alludebant, ante illos ruta & cæsa, lapides & ligna velut ædificaturi componebant, coram alijs sarci-

Quinam insipienter psallunt.

nas portabant. illi cibos & potum, illi libros, alijs alia ad singulorum ingenium & gustum se adaptantes offerebant. Interrea verò quidquid Erebici ludiones fecissent, hoc orantes in cordis versabant cogitatione.

Etiam Divum Hilarionem lupus ululans & vulpecula ganniens transiliebat orantem, psallentiq; gladiatorum pugna spectaculum præbebat, hanc diabolo ante oculos sancti fingente pompam ut Orationis attentionem impediret. Et quia ut Natura fert hominum inter orandum abducta aliquando mens nescio quid aliud cogitabat, insiluit dorso eius festinus agitator lateraq; calcibus, cervicem flagello verberavit. Si indeliberatam animi distractionem per ministrum justitiæ suæ dæmonem ita in sancto punivit DEUS, quo putas rigore vindicabit eam quæ ultro & ex proposito fit. Mysta quidem pinxit Virginem quæ cytharam pulsat voceq; fixis in cælum oculis cantat. Adiecit Lemma: *sequitur cytharæ concordia vocem.* Virgo quemvis fidelem incorruptæ fidei denotat. Cythara cordis ab affectibus humanis vacui concentum significat. Ut ergò psallamus sapienter & fructuosè, necesse est, sequatur cytharæ concordia vocem.

Vespertinius.

Psallamus igitur sapienter & ut finem jungam principio, opus Angelicum Angelicè peragamus. Quomodo Angeli in cælo, sic & nos in terris canere decet imò expedit. Cantant illi voce magna & nos bene psallere in vociferatione necessum. in vociferatione hoc est magno affectu ac devotione eximia. Cantant illi alternis vocibus: sanctorum enim cantum excipiunt Angeli ut videre est in adducto Apocalypsis loco: & nos *alternis dicamus, amant alterna Camænæ*, etiam sacræ, etiam spirituales. Psallunt Sancti cum Angelis ordinatissimè, nullus alterum præpedit, nullus præcurrit, omnes consona voce servato cælesti ritu & ordine modulantur: nos pariter æquali concordiq; sono, sedatè, punctatim, pausis ubi asteriscus hoc est stella radiat servatis, non præcurrendo non retardando Divinas celebremus laudes. Deniq; psallamus non modo voce sed & spiritu & mente. Sic fiet quod sanctis in cælo regnantibus post cursum peregrinationis nostræ jungemur utpotè *almæ Sionis æmuli.* Sic fiet quòd & hìc lætitiâ spirituali exultabimus, & in consortium Sanctorum triumphantium admissi, mensuram bonam & confertam & coagitatam gaudiorum æternorum absq; radio accipiemus.



MEMORIA MORTIS.

NAturale est quod homines cadaveris horreant aspectum. Quousq; vivit homo eo usq; conspectus placet. Iucundum spectaculum dum decora rubet facies, dum totius corporis viget dignitas qua velut pulchro indumento pulchrior vestitur anima; at ubi flante austro marcuerit lilium & purpura violæ in pallorem migrarit, hoc est ubi vita cum morte fuerit commutata, oculos protinus clau-

nus claudimus, neq; ſolum intuitum ſed & recordationem mortui hominis perhorreſcimus. Suavis fuit & mellitulus matri ſuæ filius de quo ſequentis Dominicæ Evangelium. Suavis quia adoleſcens, quia unicus, unicumq; viduæ matris ſolatium: attamen poſtquam velut flos quidam falce mortis ſuccifus eſt, mox eum extra civitatem curavit exportari ipſa quæ genuerat. Et jam quidem efferebatur. Ecce verò non caſu aliquo ſed Divina diſpoſitione ſua obvius factus Salvator jubet ſtare funeris portitores: jubet ne baiuli funebres extra portam prodiantur. Alia nimirum Chriſti, alia hominum voluntas. Civitas in morali ſenſu unuſquiſq; homo eſt. Porta Civitatis huius, memoria: mortuus, mortis imago. Vult itaq; Chriſtus ne extra memoriam, mortem eijciamus quatenus nimirum ſemper eius memores ſimus. Cuius quidem memoriæ ſi emolumenta & inductiva didicerimus, forſitan non tantopere eam refugiemus.

Mors, quæ & privatio vitæ, pulchris apud Eccleſiaſten Cap: 12. pingitur ſimilitudinibus. ibi videat qui eius delectatur imagine. Mihi ſufficiat pro ulterioris ſermonis præambulo adducere ex Eccleſiaſtico neceſſitatem memoriæ mortis. Si multis annis vixerit homo, meminiſſe debet tenebroſi temporis & dierum multorum in quibus cuncta arguentur vanitatis. Senſus verborum eſt. Etiamſi longiſſimam vitam unuſquiſq; homo viveret, eſto illam longitudinem ævi & ſecundam quodammodo immortalitatem quæ in nongentos & amplius annos protendebatur, haberet: tamen deberet meminiſſe horæ illius ultimæ quæ corpus & animum ſeparabit; horæ illius, quæ offundet tenebras oculis cum primò caligabunt deinde & cæcutient, offundet tenebras intellectui & memoriæ ut neq; intellectus vivacem rerum cognitionem neq; memoria reminiſcentiam teneat; horæ inquam illius, quæ propter dictas tenebras, propter tædia, mærores, angoreſq; internos & dolores externos, inſtar anni dierumq; multorū videbitur; horæ demum illius in qua conturbatus licet & contenebratus homo videbit omnia quæ præterierunt præter amorem Dei vana fuiſſe. Quid verò nunc quando in lucis ſæpe exordio mors ſequitur naſcentem? quando in breve tempus vita hominum contracta eſt, ſceleribus noſtris in ſui damnationem terminum vivendi coarctantibus? quid inquam nunc? certè eò magis meminiſſe debemus caliginoſi illius temporis quo propius & planè in januis ſemper eſſe creditur.

Cap: 10. Hora mortis vocatur tempus tenebroſū. Quare id?

Vocatur item, dies multi.

Quæ verò tanta memoriæ huius neceſſitas? quæ utilitas in corruptionis noſtræ reminiſcentia? multa profectò. Quia ſicut in agone vitæ cuncta vanitatis arguentur, ita pariter in rememoratione mortis univerſa tanquam vana contemnentur. Facilè contemnit omnia, ait Hieronymus, qui ſe ſemper cogitat moriturum. Danielis 14. Poſtquam cinere conſperſum eſt templum, detecta ſunt furtiva veſtigia Sacerdotum Babyloniæ, fraudes eorum & fallaciæ manifeſtatæ ſunt. Idem & in te ipſo ſacratiori templo continget ſi memoriam tuam cinere in quem convertendus es reſperſeris. videbis equidem furta gravia in anima tua per ſacrificulos diaboli, mundum ſcilicet & carnem tibi irrogata: veſtigia prædonum animam tuam expilantium deprehendes & quos antea magni faciebas atque amabas, ſpernes atque abijcies.

Prima utilitas memoriæ mortis cōtemptus mundi.

Secunda, fuga peccati.

Cinis sustentat ignem; memoria verò cineris in quem resolvendus es conservat gratiam, ait Didacus Stella. Nimirum si recorderis novissima non peccabis in æternum; quodsi in peccato sis ad pœnitentiam te salutaris hæc recordatio pertrahet sicut pertraxit Ninivitas. Adamum exuviis mortuorum animalium vestivit DEUS ut mortis memoriam oculis subiectam habens caveret in posterum id propter quod irrefragabilem moriendi necessitatem incurrisset. Hieremias sub typo Hierosolimitanæ Urbis plangit congregationem impiorum vel certè quamvis animam peccatricem, quòd sordes peccatorum in pedibus affectuum haberet, quia non est recordata finis sui. Sanctorum Patrum præcipuè Augustini vox est: Nil sic revocat à peccato quàm frequens mortis cogitatio. Cui similis illa cuiusdam solitarij apud Climacum dicentis: Nemo qui revera mortis memoriam agnoverit, peccare unquam poterit. Nauta sedens in puppi dirigit optimè navem & ad portum inter tempestates ac discrimina deducit: sic & nos cymbam vitæ nostræ per procellosum mundi pelagus ad optatum felicis æternitatis littus fortunato navigio applicabimus si modo in puppi nos collocemus hoc est extremam peregrinationis nostræ partem, mortem scilicet contemplemur.

Tertia, præparatio viatici bonorum operum.

Meminisse tenebrosi temporis & ad illud conducit, ut bonorum operum viaticum quod longo itineri necessarium est paremus. Urbs quædam libera assumebat sibi in Regem hominem peregrinum penitus ignarum consuetudinum & legum loci. Huic licebat quidquid liberet. Diuturna tamen non erat sua felicitas. In delicijs enim vivens, dum minimè retur, repente ante expletum imperij sui annualem cursum de throno deijcitur, rebus omnibus imò & vestibus exuitur, & ad insulam desertam ac remotissimam relegatur fame ibidem extinnguedus. Hæc dum perdurat consuetudo, prudentior quidam felicitatè regia quæ ipsi obtigerat haud quaquam præceps abreptus, ab amico instituta moresq; patriæ discit, reputansq; propè diem futurum ut simili exilio mulctetur quo sui prædecessores, ingentem auri argenti lapidum pretiosorum copiam omniumq; divitiarum & victualium apparatum per fidelissimos famulos ad eam insulam transmittit. sicq; sibi consuluit ut exclusus è regno in perpetua rerum viveret abundantia. Nostræ fabella hæc composita cautioni. Reges sumus juxta illud Apocal: *Fecit nos IESUS Christus regnum DEO & Patri suo.* Ubi græci codices habent, *Reges*: sed hic regnandi honor adimetur nobis, cum animæ regendi corporis auferetur facultas, corpus verò in insulam desertam hoc est in speluncam terræ deportabitur. Felices nos, si prudentiâ usi dum tempus habemus, thesaurizemus nobis thesaurum in cælo! felices nos si bona opera auro argentoq; pretiosiora in domum æternitatis nostræ transmittamus. Ad id adhortabatur Patrem Furiæ Hieronymus in hæc verba: *Iam incanuit caput, tremunt genua dentes cadunt & fronte ob senium rugis arata vicina est mors in foribus. Designatur rogus prope. Velimus nolimus senescimus. Paret sibi viaticum quod longo itineri necessarium est. Secum portet quod invitus dimissurus est. Imò præmittat in cælum quod, si negaverit, terra sumptura est.* Nobis hæc dicta putemus. Si secundum Apostolum quædam peccata præcedunt ad judicium, etiam quædam opera bona præcedunt ad

dunt ad gloriam. Quò plura nos præcesserint eò cumulatiorem nobis beatitudinem merebuntur.

Inductiva ad memoriam mortis non opus est à longe & ex intimis scripturarum abditis petere: ultro oculos nostros incurrunt. Quid enim quotidiana funera nisi memoriam mortis nobis ingerunt? videmus enim verò quotidie mille modis miseros homines obire. Hunc necant febres, illum opprimunt dolores: hunc consumit fames, illum extinguit sitis: alter aquis, alter perit laqueo: alius flammis, alius voratur dentibus bestiarum: hic ferro, ille veneno corrumpitur. Quid frequentius audire quàm ferales campanarum boatus quibus aliquem fatis cessisse significatur? quid videre frequentius quàm lugubres capulos & feretra ad humum cadaver exportantia? Quid frequentius conspicimus quàm speluncas spolia mortis asservantes? vix dies aliqua numerari potest in qua unius pluriumvè mortuorum sepultura non celebretur. Pollinctor & vespillo in suis creberrimi officijs. Libitinarij & designatoris sæpè sepiùs fervet opus. Planè medij inter funera versamur & tamen, o cæcam mortalium conditionem, inter tot sacrophagos, inter tot mortalitates, mortales nos non meminimus ac si non eadem fati lex nobis impenderet. Clamant de subtus ad nos mortui: quod vos estis, fuimus; quod nos sumus, vos eritis. Mihi hodie, cras tibi; nos surda aure clamorem eorum excipimus. Duabus celocibus sibi obviantibus propria videtur stare, altera velociter currere quamvis ambæ æqualiter currant. Idem fit nobiscum. Cum quis moritur, putamus nos stare. imaginamur & pingimus nobis in capite non scio quos Mathusalem annos, æternitatem quandam vitæ nostræ pollicemur. Dies nostri navibus apud Iobum capite 9. conferuntur. *Pertransierunt dies mei tanquam naves poma portantes.* fructus videlicet aut dulces aut amaros, hoc est æternitati aut bonæ aut malæ servituros. Nullum punctum temporis est quo non transeant, quo citissimè non ferantur naves istæ; & tamen nostram navem stare in salo credimus dum alias ad littus æternitatis præcipites ferri intuemur. Mos erat Ægyptijs mortuorum corpora non in terra sepelire sed domi super lectulos reposita servare. Ritum hunc damnavit Antonius magnus. nec ego approbo. illud duntaxat desidero ut tam crebra funera tam frequentia cadavera in lectulis cordium nostrorum collocemus & sæpissimè oculis mentalibus inspiciamus.

Inductivum primum memoriæ mortis funera crebra

Simile de duabus navibus sibi obviantibus.

Quid verò dicam de continua nostri immutatione & ad mortem progressione? nonne & hæc mortis recordationem nobis ingerit? *Sentisne obsecro te quando infans, quando puer, quando iuvenis, quando robustæ ætatis, quando senex factus sis. Quotidie morimur, quotidie commutamur. Hoc ipsum quod dicto, quod scribitur, quod relego, quod emendo de vita mea tollitur. quot puncta notarij tot meorum sunt damna temporum. Scribimus atque rescribimus, transeunt maria epistolæ & scindente sulcum carina, per singulos fluctus ætatis nostræ momenta minuuntur,* ait sacri nominis Orator. In horologio non dignoscis an moveatur stilus horas indicans, semper tamen movetur: sic & nos estò non videamur ad senectutem mortemque progredi, continuò tamen ad eam properamus. Taceo de morbis quorum seminarium sumus. Cum continuis corpusculum nostrum frangatur infirmitatibus, semper

Inductivum 2dum: continua nostri immutatio.

ſemper morti propius fit. *Debilitas eſt via ad corruptionem.* quia in perpeti debilitate, idcirco jugiter in via ad corruptionem manemus. Quoties infirmamur, quoties febribus æſtuamus vitalemq; venarum humorem haurit calor, quoties capitis ſtomachi aliorumvè membrorum vexamur doloribus; toties extremus judex per ægritudinis moleſtias eſſe mortem vicinam deſignat. In Caroli quinti ſceptro ſtabat maſculus manu tabellam tenens cum lemmate: *Sto*, infra verò mures plantas eius arrodebant cum inſcriptione: *Iacebis.* Per mures hos rectè intellexeris diem & noctem, vel certè humores calidum & humidum qui abſq; intermiſſione rodunt immutantq; vitam noſtram ſemperq; exitium nobis ſtruunt.

Noſtra ſtultitia carpitur inſigni apologo deſumpto è Ioãne Damaſceno in vita Barlaam.

Et hæc quidem ſunt quæ nos ad recogitandam exitus noſtri de hoc mundo horam permovent ne dicam trahunt. Quid verò nos? facimusne id ad quod tam fortibus urgemur ſtimulis? Similes ſumus homini fugienti à facie furentis unicornis quem dum fugit, in profundam ſcrobem ruens ruendoq; manus extendens, arborem ponè ſtantem arripit & arctiſſimè complectitur firmatis in gradu ad radicem arboris hærente pedibus. Arboris porro illius radicem duo glires, ater unus alter candidus, perpetuò rodunt. In ima ſcrobe draco ignitus jacet. In gradu pedes fulciente, quatuor aſpidum capita prominent. Ex arboris autem illius ramis non nihil mellis deſuper ſtillat quod captans homo & in eius dulcedine occupatus omnium illorum formidabilium meminiſſe negligit. Per unicornem intelligitur mors homines inſequens; per ſcrobem mundus omnibus malis ſcatens; per arborem vita noſtra; per glires, noctis ac diei intervalla; per quatuor aſpides, quatuor elementa; per draconem, infernus; per mellis guttam, mundi jucunditas. Quotidie nos inſequitur unicornis, quotidie per exteriora pericula caſuſq; varios nec non per interiorem calidi cum humido & viciſſim pugnam, impetit. Singulæ noctis dieiq; horæ de vita noſtra detrahunt, quatuor elementa quatuor ſunt funeris noſtri portitores nos ad ſepulchrum inceſſanter urgentes. patet infernus, patet atri janua ditis. ſcrobs mundi varijs repleta malis hiat. nos nihilominus modica illecti mundana dulcedine, & mortis & quotidianæ corruptionis noſtræ & futuri ſæculi obliviſcimur. O ultro cæcam naturam noſtram!

Horatius.

Memoria mortis non eſt cauſa melancholiæ hoc eſt timoris & mæroris.

Reſpondebit quiſpiam: Faſtidioſos & melancholicos nos vis eſſe. Nimirum *aſperitas agreſtis & inconcinna graviſq;* nos occuparet ſi jugem mortis haberemus memoriam. Minimè verò. ſtultum enim eſt ut timere ita & mærere de eo quod omnino ac ineluctabili fato eveturum eſt. Si gaudia ſunt miſeris ſocios habuiſſe doloris, profectò rememoratio defunctionis aſperitatem & mæſtitiam haud incutiet cum non uni non aliquibus, ſed omnibus irrefragabili lege obeunda ſit. Deinde triſtitia non eſt niſi de præſenti malo. quia igitur recogitantes mortem; ſcimus non eſſe præſentem, affligi mærore non poſſumus. Quanquam verò expectatum malum timorem conſtituit, ſicut præſens mæſtitiam; tamen etiam extra periculum timoris ſumus. Quia enim hic provenit ex phantaſia mali futuri contriſtativi vel corruptivi, ubi non eſt futuri mali apprehenſio, nequit etiam metus eſſe. Porro poteſt aliquod malum non apparere ut futurum, vel quia eſt remotum ac diſtans,

Vide S. Thomã de paſsionibꝰ

ac distans: nam ea quæ longo temporis intervallo à nobis dissita sunt quasi non futura imaginamur; vel certè quia nulla spes adest evasionis mali: tunc namq; malum apprehenditur ut præsens ob necessitatem irrecusabilem incurrendi illud. Seu itaq; mortem meditemur ut distantem seu ut propinquam quidem at inevitabilem; metuendi causam non habemus.

Sufficit, inquies, diei malitia sua. Quid nos ante tempus meditatione & ea meditatione quæ carnis afflictio est, emaciemus? Ita planè: *sufficit diei malitia sua*. Sed unde edoctus es diem hanc non esse diem ultimam? *nemo tam divos habuit faventes crastinum ut possit sibi polliceri*. Alexander sextus Scotorum Rex in tertijs nuptijs vidit inter choreas spectrum quoddam vix ossibus hærens clepsidram altera, altera manu falcem prætendens, agmen claudere saltantium. A tergo nostro mors est, nostris saltitans ac tripudians imminet cervicibus, non longe est, vix uno ut aiunt gradu ab ea dividimur. Desipimus si tam præsentem tamq; vicinam non prævidemus. *In Chronicis Scotorum.*

Ergò meditemur mortem, ultimam rerum lineam, recogitemus punctum illud à quò pendet æternitas, recordemur semper tenebricosæ illius horæ in qua hominem circumdabunt dolores mortis & torrentes iniquitatis conturbabunt doloresq; inferni circumcingent. Recogitemus quomodo corpus sicut castrum quoddam varijs oppugnabitur infirmitatibus donec tandem anima non valens impressiones sufferre fugiat. Quæ fuga cum in proximo erit, frons obdurabitur cutisq; eius distendetur sudorem frigidum foras emittens; pupillæ oculorum caligabunt & intolerabili dolore circumtorquebuntur, obsurdescent aures, nasus subsidebit, putredine nares replebuntur, vultus livescet, os contrahetur; lingua stupens, gustus nullus, labia pallida, guttur gargarisans, anhelitus ex profundo pectore tractus ac deficiens, manus frigescentes, ungues in nigredinem abeuntes, pulsus languidus & minimus sed creberrimus modò se se intermittens modò formicans, pedes calorem amittentes, omnia hæc proximam humani corporis testabuntur resolutionem. Dum homo in hac fluctuabit angustia, subitò aderit mortis agonia. Repræsentabitur memoriæ vitæ terminus, corporis mox esca vermium futuri conditio, maximè verò dubius animæ status dubiaq; æternitas quæ dum vivacissimè apprehendet, incredibilibus constringetur angustijs. Duæ sunt nativitates hominis, una est qua nascitur mundo, altera qua nascitur æternitati. Utraq; cum summo dolore; illa matris, hæc morientis. Tandem inter immensos cruciatus expirabit homo, *Descriptio hominis agonizantis.*

Purpureus veluti cum flos succisus aratro
Languescit moriens lassoq; papavera collo
Demisere caput, pluvia cum forte gravantur.

O quàm in hora illa ultima cupiemus sanctam duxisse vitam, quam rigidam & asperam egisse pœnitentiam! Horam hanc luctuosam appropinquantem, admodùm timuerunt magna illa nomina, Hilarion, Agaton, Arsenius, alijq;. O quantus timor in homine incarcerato est tunc præcipuè, dum pulsatur campana prætorij ut ad tribunal exeat sententiam auditurus potissimùm si causa dubia sit & de capite agatur. Heu quàm longe maior metus in nobis erit dum signum per

agoniam dabitur ut exeamus ex carcere corporis ad tremendum judicium Dei, causam utiq; valde dubiam habentes, perennis aut vitæ aut mortis decretum audituri. Quis nostrûm non desideret pretiosa justorum morte decedere, mortis amaritudines & acerbitates non sentire, aut certè æquanimiter sentire? Ergò curemus vincere peccatũ, diabolum superare, de mundoq; trophæa reportare. *Qui* enim hæc *vicerit*, ait Ioannes Apostolus in Apoc: *non lædetur à morte secunda*. Triplex nimirum mors in scripturis sacris legitur: una peccati; carnis alia, tertia gehennæ. Prima separat hominem à vita gratiæ, secunda à vita animali seu naturæ, ultima à vita gloriæ. Qui ergò constantiâ fidei & morum puritate vicerit diabolicas tentationes mundiq; & carnis illecebras dulci titillatione blandientes, non lædetur à morte secunda quæ est carnis. Quare? Quia omnes amaritudines in mortis articulo ingruentes dulcorabuntur ipsi firma spe æternæ beatitudinis & quia mors fiet ei transitus in gloriam & natalis ad vitam perpetuam. Non lædemur à morte secunda si mortem præmeditemur & ex hac præmeditatione peccata fugiamus. non lædemur inquam quia post brevem somnum & quietem corporis nostri resuscitabimur à Christo & Matri nostræ quæ sursum est & à cuius oculis lachrymam omnẽ absterget pijssima Dei bonitas reddemur, immortali vita in pulcherrima illa Civitate Naim gavisuri.

Mors triplex.



CONSIDERATIO
IUDICII EXTREMI.

EVangelij Dominicæ præteritæ historiam non tam auribus audivimus quàm oculis spectavimus. Describitur in eò imò penicillo Divi Lucæ pingitur extremi judicij facies. Bogaris Volgarorum Princeps, si Baronio fides, petijt ab insigni pictore (erat is Methodius Monachus) ut in parietibus palatij sui horrendas aliquas formas effigiaret, intendens pingi vel sanguinolentum ursum stillantes pendentis Laureoli artus depascentem: vel rhinocerotem sæva cum tauro committentem prælia: vel tygridem rabido carnes leonis lacerantem dente: aut Carpophorum bubalis venabula nisu valido infigentem: aut hydram mortibus fæcundam suspensos Herculeæ clavæ expectantem ictus: deniq; Centauros, Gorgonas, Harpiasq; seu quæcunq; alia horribilia monstra intendens pingi. Pictor dum deliberat quidnam terribile spirantibus lineis in aula Ducali efformare deberet, obvium menti habens extremum judicij diem vivis ut aiunt coloribus Iudicem iratum, tribunal fulgurans, ardentem mundum aliasq; horribiles ultimi judicij circumstantias expressit. Conspicatus picturam Dynasta simulq; horrenda specie tabulæ consternatus imò planè exanimatus, facta sibi explicatione graphidis ex improbo gentili factus est probus Christianus. Subiecta est etiam oculis nostris per Divinum Apellem, formidanda tribunalis Divini imago. Nostra intereſt

Baronius ad annũ Domini 845.

tereſt ut in explicatione & conſideratione imaginis huius pauliſper im- moremur ſi boni Chriſtiani & ut de nobis ipſis loquar, ſi boni Religioſi fieri volumus.

Poſt ultimam perſecutionem Gog & Magog defluentibus hominibus ad carnem variaq; vitia, cum minimè ſperabitur deſcendet de cælo Jesus Chriſtus judex vivorum & mortuorum, cum hortatu & voce Archangeli & tuba Dei clangente horriſona, labaro ſanctæ Crucis ante Judicem in nubibus refulgente: & mortui qui in Chriſto ſunt reſurgent primi tanquam primi in aerem ſublevandi reſpectu eorũ qui reſurgent quidem ſed non ſublevabuntur. Nimirum quemadmodum Imperatori Urbem ingredienti proceres honoribus & dignitate præſtantes obviam prodeunt; noxij verò & capite damnati in carcerem inferiorem conjecti, judicem hunc ipſum opperiuntur: ſic judicij tempore, peccatores quidem infernè Chriſtum expectabunt, juſti in ſublimè ad eundem ferentur. In hoc occurſu, qui vivi rapientur, breviſſima eaq; pretioſiſſima morte reſolventur atq; iterum in puncto vivificabuntur in gloriam transferendi. Ea tempeſtate erunt duo in agro; unus aſſumetur, alter relinquetur; erunt duo in lecto, altero relicto alius ſublevabitur; erunt duæ molentes in mola, ex his aſſumetur una relinquetur altera; erunt in foro vendentes & ementes, ex his atq; illis alij rapientur obviam Chriſto, alij in terra deferentur. Hæc dum fiunt, ſimul exurentur cæli munduſq; totus ardebit & elementa calore ſolventur. *Ignis ubiq; ferox ruptis regnabit habenis. Tunc ad vocem tubæ pavebit terra cum populis. Iudicaturo Domino lugubre mundus immugiet. Tribus ad tribum pectora ferient. Potentiſſimi quondam Reges nudo latere palpitabunt. Exhibebitur cum prole ſua verè tunc ignitus Iupiter. adducetur cum ſuis ſtultus Plato diſcipulis.* Tunc juſtus quiſq; reſpiciens & levans caput ſuum, videnſq; venientem in Maieſtate Dominum exultabit & dicet: *Ecce hic eſt ille operarij & quæſtuariæ filius. hic qui Matris geſtatus ſinu hominem* Deus *fugit in Ægyptum. hic veſtitus coccino. hic ſentibus coronatus. hic magus dæmonium habens & Samarites. Cernè manus Iudæe quas fixeras. Cernè latus Romane quod foderas.* Et iſta ſunt quaſi præludia judicij extremi.

Deſcriptio præludiorum judicij extremi.

Hieron: ad Heliodorum.

Porrò deſcendentis ad judicium Chriſti Maieſtatem ſic depingit Ioannes Apoſtolus. Apocalyp: 1. *Vidi* inquit *ſimilem filio hominis veſtitum podere & præcinctum ad mamillas zona aurea. Caput eius & capilli candidi tanquam lana alba & tanquam nix. & oculi eius tanquã flamma ignis & pedes eius ſimiles aurichalco, ſicut in camino ardenti, & vox eius tanquam vox aquarum multarum, & habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem, & de ore eius gladius utraq; parte acutus exibat. Et facies eius ſicut ſol in virtute ſua lucet.* Duodecimo rurſus capite eiuſdem Apocalypſis, proceſſus ipſe judicij deſcribitur: *Et vidi mortuos magnos & puſillos ſtantes in conſpectu throni, & libri aperti ſunt, & alius liber apertus eſt qui eſt vitæ, & judicati ſunt mortui ex his quæ ſcripta erant in libris ſecundum opera ipſorum.* Myſticam horum ſi deſideres intelligentiam, poderis Sacerdotale veſtimentum, juſtitiam ſignat, juxta illud Eccleſiaſtici 27. *ſi ſequaris juſtitiam apprehendes illam & indues quaſi poderim honoris.* Zona aurea, charitas eſt qua juſtos utriuſq; teſtamenti ſibi adſtringit Chriſtus. Caput eius Divinitas

Deſcriptio Chriſti Iudicis

nitas purissima: capilli, cogitationes cãdidissimæ: oculi, limpidissimæ cognitiones; pedes aurichalco assimilati, affect9 mũdissimi & pretiosissimi; in camino ardenti visi propter vehementiã amoris erga probos, & vehementiã furoris adversus reprobos. Septem stellas in dextera tenet: quia universitatem electorum septenario comprehensam numero dexterâ suâ protegit. Gladius biceps sententiam denotat & in corpore & in anima perimentem atq; iniustos à iustis dividentem. Librorum apertio, est conscientiarum manifestatio. Liber vitæ, liber prædestinationis; quo reserato patebit omnibus qui sint electi ad gloriam. Visioni huic consonat illa apud Danielem, qui Cap: 7. sic suam nectit prophetiam: *Aspiciebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedit. Vestimentum eius candidum quasi nix & capilli capitis eius quasi lana munda. thronus eius flammæ ignis. rotæ eius ignis accensus. fluvius igneus rapidusq; egrediebatur à facie eius: millia millium ministrabant ei & decies centena millia assistebant ei. Iudicium sedit & libri aperti sunt.* Vides certè summam dictorum convenientiam. Nimirum novum & vetus instrumentum tenent se mutuò, sibiq; perplexa sunt, & quasi rota in rota volvuntur, nec aliud sub novæ, aliud sub veteris paginæ literâ continetur, sed unus atq; idem Christus sub utriusq; testamenti velamine comprehenditur. In hoc iudicaturi Domini habitu specieq;, tria horribilia conspicimus: magnitudinem iræ iudicis in oculis pedibusq; flammantibus thronoq; ignibus fulgurante monstratam; vehementiam objurgationis in voce aquarum multarũ, seu ut Daniel loco memorato habet, in voce sermonum grandium exhibitam; gravitatem sententiæ in gladio bicipiti aut in fluvio ignito rapidoq; figuratam. Singula discutiamus.

Tria maximè horribilia in judicio extremo.

Magnitudo iræ Divinæ:

Quis novit, aiebat David, *potestatem iræ tuæ & præ timore tuo iram tuam dinumerare.* Inexplicabilem quinimo incomprehensibilem DEI iram sub typis Patmeus vates proponit. Apocalyp: 17. *Babylon magna venit in memoriam ante DEUM ut daret illi calicem vini iræ indignationis suæ.* Bene calici vini ira indignationis Divinæ confertur, sicut enim vino ardens quædam vis inest usq; ad insaniam dementans hominem ita & ira DEI activitate sua, quos invaserit, planè emotæ mentis facit ut insanissimas loqui cogantur blasphemias. Vnde idem vates eodem capite sub alio typo indignationem Divinam exaggerans sic sermonem suum prosequitur: *Et grando magna sicut talentum descendit in homines & blasphemaverunt DEUM homines propter plagam grandinis quoniam facta est magna vehementer.* Talenti nomine quidquid grave & summè ponderosum esset, intelligebatur ab antiquis. Multa porro talenti genera in classicis reperiuntur scriptoribus pondere & pretio omnia fermè discrepantia sed in hoc uno convenientia quod ex sexaginta mnis constarent: quæ quia maiores in quibusdam civitatibus extabant quàm in alijs, talentorum procrearunt diversitatem: sicut etiam ex varietate drahmarum varietas consecuta assium.

Ira Dei, vino comparatur.

Item talento.

Grando furorem designat omnipotentis DEI, scriptum est enim: *Ira Domini est sicut grando descendens.* quæ talento assimilatur quia singulos pro merito premit. Quot putas in talento Divino minæ sunt? talentum Atticum sexcentos coronatos valebat seu sex millia drahmarum. ta-

tum. talentum quòd te opprimet, quantum valiturum eſt in quod totius vitæ peccata contuliſti; ut tot in eo ſint mnæ & drachmæ, quot delicta, ore, opere, cordeq; perpetraſti? *Secundum duritiam tuam* inquit Apoſtolus & *impœnitens cor tuum theſauriſas tibi iram in diem iræ & revelationis juſti judicij* DEI ad Roman: 2. quod idem eſt alijs verbis dicere: peccata peccatis addendo, idem facis quod faceres, ſi drachmas drachmis, minas minis apponendo, talentum conflares. Theſauriſas tibi iram, hoc eſt: ſicut aliquis colligens theſaurum, frequenter denarium denario addit & divitias divitijs aggerit, maſſam ſuam hoc pacto accumulando; ita vitijs criminibuſq; noſtris crebrò ea cõmittentes, theſaurum iræ Divinæ amplificamus. Dic mihi quæſo ſi quis congregando peculio tam pertinaciter inſiſtat ut nec dies nec hora elabatur abſq; notabili augmento, idque longo annorum tractu per quinquaginta, verbi gratia, aut ſexaginta annos, ſolutis poſtea ſignaculis apertiſq; ſcrinijs, quanta gaza, quantus pecuniarum invenietur acervus? O infelix homo! non advertis quòd nec dies, nec hora prœterit, quâ ærarium zeli Divini non adaugeas in tuam perniciem aliquando aperiendum. Et ſi nihil aliud cumulum indignationis Divinæ compleret præter turpes conſpectus, cogitationes immundas, deſideria prava & verba iniurioſa, hæc ſola ſufficerent ad mundum univerſum implendum. Quid ſi his innumera operis jungantur peccata, quantus quàm ve immenſus Divinæ ultionis aggregabitur theſaurus? Ira DEI ergò ſicut talentum: quia ponderoſiſſima, quia premens & gravans infelices peccatores, quia ex innumeris peccatis velut minis aut drahmis compacta, quia ex multa theſauratione in immenſum quoddam aſſurgens pondus.

Ex alio capite gravitatem indignationis Divinæ penſa. Quo fortior aliquis eò gravior & formidabilior ira ipſius. Vanæ ſine viribus iræ. E contrario igitur ubi vires ubi potentia; ibi ira non vana, & quò maior potentia, eò nocivior ſtomachatio. Quid porrò fortius Chriſto DEO ſimul & homine, de quo illud Hieremiæ 10. *Non eſt ſimilis Tui Domine. Magnus es Tu & Nomen Tuum magnum in fortitudine.* Quid fortius eò qui reſpicit terram & facit eam tremere. *Tangit mõtes & fumigant.* Quid eò potentius *ad cuius nutum ſtellæ cœli pavent & contremiſcunt.* Quid demum valentius illo qui de ſe ipſo apud Hieremiam proteſtatur: *Me non timebitis & à facie mea non dolebitis, qui poſui arenam terminum maris cum præcepto ſempiterno quod non præteribit & intumeſcent fluctus eius & non tranſibunt illud.* Quàm itaq; formidanda eſt tam potentis indignatio judicis. O verè horrendum eſt incidere in manus DEI viventis! cuius nimirum manus, ipſa eſt juſtitia & omnipotentia. Si Daniel, ſi Ioannes, in viſione imaginaria terribilem Angelorum conſpectum, Chriſti venturi ſpeciem repræſentantium ſuſtinere non valuerunt; ſi Eſther ardentes Aſſveri oculos, tolerare nequivit; quomodo poterimus nos ſubſiſtere ante faciem irati DEI. Uſq; adeò terribilis erit aſpectus judicis quòd mallent reprobi damnationem ſibi multiplicari milleq; ſubire gehennas modò eum non ſpectarent, ideoq; dicent montibus: *cadite ſuper nos, & collibus, operite nos,* videre Dominum in furore ſuo inani conatu & caſſo ſtudio refugientes. Tanta erit iræ Divinæ vehementia, quòd aſpectus

Gravitas iræ Divinæ deducitur ex fortitudine.

ille perpetuo hærebit in memoria & in imaginatione damnatorum, cruciabitq; miseros supra omnes alias pœnas. Vidi fulmen horribilibus umbris depictum summo impetu deorsum cadens, adiecta erat epigraphe: *Quàvis carnificis irà.* per hoc intelligitur, quascunq; tandem truculentias & tyranides inferiores esse ira Divinâ per fulmen synecdochicè designatâ.

Gravitas obiurgationis ex Scriptura. En ipsa indignatio Divina, ipse aspectus iracundus quantùm premet, quantùm affliget miseros! Quid cum reseratis conscientiarum libris, patefactis omnibus & singulis unicuiq; collatis beneficijs; & ex alia parte, ingratitudine ac innumeris peccatis manifestatis, cum in quam accedet obiurgatio? Iob 26. dicitur: *Cum vix parvam stillam sermonū ipsius audire possimus, quis poterit tonitruū magnitudinis ipsius intueri?* Voces sunt extra obiectū visus; at Philosophia reclamante, de Divinis sermonibus loquitur scriptura quòd oculis conspici queant. Tanta est sermonis Divini vivacitas ut planè videri palpariq; possit. Terribilis fuit objurgatio Petri quâ ita concussit Ananiam & Zaphiram ut subitò morerentur. Hominis nos redarguentis non valemus ferre exprobrationes, Christi valebimus? Quidam Religiosus in componendis ad normam

Ex obiurgationibus humanis. vocationis suæ moribus negligentior vidit per somnum se ad judicium trahi matrisq; inter judicandos stantis improperia eiusmodi audivit: quidnam est hoc fili? etiamne tu in locum istum condemnādus venisti? ubi sunt voces illæ tuæ quas Religionem ingressurus ingeminasti. *volo salvare animam meam*, ad quæ confusus nihil potuit respondere. Post verò reversus in se atq; ex infirmitate, qua detinebatur, recreatus cum vitam viveret austeram, rogareturq; à fratribus ut causâ sanitatis nonnihil remitteret de rigore, respondebat: si improperium matris meæ sustinere non potui, quomodo Christi & Angelorum exprobrationem in die judicij sustinere potero. Terribilis vox Christi mansueti ad Saulum directa quia eum prostravit, ter-

Ex efficacia vocis Christi Domini mansueti. ribilis Judæis profanatoribus templi, terribilis militibus, qui in horto Gethsemani, unius voculæ virtute retrorsum ceciderunt: quid cum accipiet tempus ad justitias judicandas? quid cum pro tribunali sedebit in nubibus, cum inquam sermones grandes & vocem tanquam vocem aquarum multarum detonabit? O quantus infernus! quantus cruciatus erit audire à Christo; *Esurivi & non dedistis mihi manducare: sitivi & non dedistis mihi bibere: hospes eram & non collegistis me; nudus & non me vestivistis; infirmus & non visitâstis me;* opera misericordiæ carnalia ac spiritualia mihi in istis minimis, qui apud vos in despectu fuerant, non præstitistis. Proh quanta pœna, quantum supplicium erit audire: *Ecce homo, & opera eius*, ecce homo, ad imaginem Dei creatus, sanguine meo redemptus, per fidem mihi desponsatus, sacerdotali insignitus charactere, è sæculi turbinè ad perfectiorem statum & secretiorem amicitiam meam vocatus, his ornatus gratijs, his honoratus beneficijs, his vitæ sustentandæ provisus subsidijs, tot in peccatis, tanta longanimitate toleratus, tot auxilijs ad pœnitudinem & meliorem vitam excitatus! *Ecce homo*: Et opera eius, opera brutalia, opera rationi dissona; opera eius opera carnis, hæc, hæc, hæc, in isto loco, isto tempore, tali occasione talique modò per-

Gravitas sententiæ. petrata.

Post

Post tonitruum obiurgationis fulmen erumpet sententiæ. Danielis 6. Videns Balthasar contra se sententiam digito scribi, totus incredibili metu expavit, quamvis scripturam non intelligeret. Scriptū porro erat: *Appensus es in statera & inventus es minus habens, divisum est regnum tuum & datum est Persis & Medis.* Quis putas pavor in nobis erit quando ipse judex in throno tribunalitio residens scribet & proferet contra nos sententiam: Appensus es in statera & inventus es minus habens, divisum est regnum tuum & datum est Persis & Medis. Divisum est regnum animæ & corporis tui & datum est hostibus tuis, æternaliter vastandum, lacerandum, & crudeli tyrannide cruentandum. Quis, putas, sensus erit in hominibus auscultantibus decretum illud: *Itè maledicti in ignem æternum.* Maledictio hæc ah quantum afficiet damnatos! Maledixit Dominus Adamum & ecce maledictio isthæc ita penetravit miserum protoparentem nostrum ut nihil fuerit in illo quod non imbiberit maledictionem. Maledictum corpus cum sensibus propter corruptionem & passibilitatem. Maledicta anima, cum potentijs propter peccaminositatem & defectibilitatem ignorantiæ. Maledictum ipsum semen atq; in semine tota posteritas. Quousq; autem? in sæcula sæculorum. Stet mundus hic millies millenis annis cum generatione humana descendente ex lumbis Adæ, maledictio semel fulminata, cessabit nunquam. Maledixit item Dominus Cain: *Eris vagus & profugus super terram.* & hoc anathema, ipsum quoq; semen & totam Caini progeniem innodavit. hucusq; Cain maledictus, hucusq; vagus & profugus super terram, in gentibus quæ suam ab eo ducunt originem. Si tanta est & tam fortis imprecatio Divina privata ut ita dicam & absq; solennitatibus judicialibus facta; quanta erit & quàm potens publica illa à Deo homine in nubibus pro tribunali sedente, assidentibus Apostolis, adstantibus Angelis vibrata: *Itè maledicti.* Maledictum fiet corpus cum sensibus propter immensos cruciatus. Maledicta anima, propter separationem à Deo, propter angustias ingentes, propter mala omnia quibus immergetur. Maledicta phantasia, propter horrendas imaginationes. Maledicta memoria, propter indelebiles species judicis irati & sanctorum, nec non propter reminiscentiam gloriæ ipsorum. Maledicta voluntas, propter implacabile odium illudq; frustraneum adversus Deum, Christum, sanctos, sociosq, damnatos; hoc unicum si cætera abessent, sufficeret ad pænas inferni constituendas. Maledictus intellectus, propter certissimam cognitionem duraturam æternaliter pænarum. O Iesu mi! ne unquam cadam sub maledictionem Tuam. O verè vox Tua confringens cedros! O verè tonitruum sermonis Tui nemo poterit intueri! Ite jam ite omnia mundi gaudia, valete in æternum, ne propter vos diris æternis devovear. Intelligite hæc qui obliviscimini Deum. Pensate num poteritis subsistere ante vultum jurati judicis, num exprobrationes audire, num sententiam de æternitate decernentem sustinere?

Maledictio Divina quanta efficaciæ.

Tabula hæc judicij Diuini nostris subiecta oculis, cui quæso metum non incutiat sicut incussit Principi de quo ad initium sermonis narravi. Dicebat Abbas Elias: Ego tres res timeo, unam quando egressura est anima mea de corpore, aliam quando occursurus sum Deo, tertiam

Metus judicij Divini.

tertiam quando adversum me proferenda est sententia. Et gentilis Poeta à judicijs Divinis timuit ideoq; in suis Lyricis expressit, nihil illi tutũ esse cuius capiti evaginatus Nemesis Divinæ gladius impendet. *Districtus ensis, cui super impia cervice pendet, non siculæ dapes dulcem elaborabunt saporem non avium cytharæq, cantus somnum reducent.* Et verò quis non timeat ancipiti justitiæ Divinæ feriri gladio, quo non corpus à cervicibus rescinditur sed homo integer à Deo, à Regno cælesti, à bonis omnibus separatur; quo non corpus modò sed ipsa etiam anima perimitur mortiq; vitali consecratur.

Ad metum ac cedere debet bene operandi studium.

Imaginem tribunalis Divini proposui & exposui. Tria in eò maximè horribilia monstravi. Quid superest? Magnam mutationem dextera excelsi operata est in Dynasta de quo in exordio sermonis præfatus sum. Utinam similem in nobis operetur. Et jam quidem ope gratiæ Divinæ Christiani facti sumus, imò quod maius est, Religiosi & monastico schemate insigniti; at quia ut Isiacum non facit linostolia, sic habitus & corona sanctum non faciunt & cassum Christiani ac Religiosi nomen neminem salvat, restat ut operemur benè. Conradus Episcopus Hildesimensis, Vir sanctus, post matutinas preces noctè quadã ad studium se composuit utpote sermonem ad populum habiturus moxq; in mentis extasi videre sibi visus Pontificem quendam velata facie ad tribunal rapi, quem truci vultu satellites accusabant, unus in rapina, alius in cæde hominum, alius in luxurijs lubricantem. Judex auditis depositionibus ad assessores ait: *Accusata discutite, librate judicium, ferte sententiam.* Parent illi Judici, ferunt in commune sententiam, approbat Judex, atq; illico ministri teterrimi accedunt detractisq; Episcopalibus insignibus, ut infula, annulo, casula, & reliquis, ea ad pedes judicis ponunt, nudumq; ac eiulantem rapiunt ad tartara. Quo facto confestim assessores judicij surgunt suaviter cantantes: *dum tẽpus habemus operemur bonũ ad omnes.* Restitutus sibi Cõradus eadem horà à nuntio superveniente accepit, Episcopum talem nocte concubià repentino fato extinctum. Hoc ideo narravi ne sterili inaniq; christianismi aut monachismi vocabulo gloriemur sed ad nomen opera bona adijciamus illisq; continuè ac ferventer insistamus si volumus, ne nos *exigat ad dignas ultrix Rhamnusia pœnas.*

Ex tabula exemplorum.

Ovidius.



RECOGITATIO.

PÆNARUM INFERNI.

ET in profana & in sacra literatura homo arbori assimilatur. Vt de profana taceam David initio psalterij sui virum justum comparat ligno secus decursus aquarum plantato, Ezechiel impium confert ligno vitis quod ad solum focum utile est cùm ne quidem paxillus ex eò fabricari possit. In Evangelio quidam, *video* ait, *homines sicut arbores ambulantes.* Judas Thadæus homines animales & spiritum non habentes, appellat, *arbores autumnales, infructuosas, bis mor-*

bis mortuas, eradicatas. De eiusmodi arboribus sequentis Dominicæ Evangelium dicit: *Omnis arbor quæ non facit fructum excindetur & in ignem mittetur.* Non enim hîc de pomo, pyro, corylo, olea aut alia quacunq; planta sermo habetur sed de homine arbore rationali quòd videlicet si fructum non fecerit, securi ad radicem posita excindetur, id est decreto Divino tolletur è vivis & in ignem gehennæ proijcietur. Quis verò & qualis iste gehennæ ignis? Scio multos dum de gehenna audiunt non magis concuti quam si de somnio aut ridiculo quodam terriculamento audirent. quæ fatuitas ne nostros quoq; occupet animos, gehennæ atrocitatem oculis subijciam & quidem non doctas secutus fabulas sed ex fontibus sacrarum literarum, veritatem mutuatus. Descendamus in infernum viventes ne descendamus morientes: descendamus per contemplationem, ne descendamus per condemnationem.

Beatus Ioannes Apostolus novissima hominis in Apocalypsi describens, his 14. Capite infernum depingit umbris. *Et misit Angelus falcem suam in terram & vindemiavit vineam terræ & misit in lacum iræ DEI magnum. Et calcatus est lacus extra Civitatem, & exivit sanguis de lacu usq; ad frænos equorum per stadia mille sexcenta.* Scripturarum mos est per alios, & alios typos unam eandemq; rem explicare. Judicium igitur & decretoria sententia quæ alibi nomine gladij ancipitis vocata est, hîc per falcem intelligitur. Angelus messor & vindemiator terræ, Christus est. Lacus infernus. Sanguis, ultio pænæ. Equi, damnati. Freni, mensura pœnarum. Spatium stadiorum mille sexcentorum, summam reproborum omnium comprehendit è 4. mundi partibus collectorum. Quater quippe quadringenti, fiunt mille sexcenti. Hoc idem est, quod alijs verbis comminatus est 3tiùs Angelus paulò supra in eadem Apocalypsi. *Si quis adoraverit bestiam & imaginem eius & acceperit characterem in fronte sua aut in manu sua, bibet de vino iræ DEI & cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum Sanctorum & ante conspectum Agni & fumus tormenti eorum ascendet in sæcula sæculorum.* Futurum cum præsenti, comminationem cum executione iungamus & ex utroq; atrocitatem suppliciorum inferni pensemus, tria in gemina hac descriptione considerantes: pænam damni quæ signatur in eo quòd lacus extra Civitatem ab ultore Angelo calcatus sit ut illi qui in mundo vivebant sicut equus & mulus non habeant partem cum hominibus beatis neq; eorum conspectu & consortio, multo minùs visione DEI perfruantur; pænam sensûs in sangvine & igne sulphurato intellectam; æternitatem in fumo ascendente per sæcula sæculorum expressam. *Tria in inferno gravia.*

Pæna damni, è placito Theologorum, nihil est aliud quàm dolor ex bono amisso. Quanta porrò bona amittit damnatus omnis? amittit cælum amittit societatē Sanctorū, amittit DEUM eiusq; visionem beatissimā, deperdit regnum illud ubi liquidissimū sine omni fastidio gaudium, sine dolore voluptas, summū sine omni malo bonum: ubi tam felix societas, tam jucūda satietas, tam in exhausta beatitas: ubi vivis margaritis surgūt ædificia, auro celsa micant tecta, radiant triclinia: Ubi flos perpetuus rosarum ver agit perpetuum: Ubi omnes virent, vigent, florent, corruptelæ nescij. Ex huius regni bonorumq; suorum deperditione tantus *Pæna damni quid? Gravitas eius ex magnitudine bonorum cælestium pensatur. S. Augustinus in Medit.*

consurget dolor quòd nullis poterit sensibilibus æquari cruciatibus. Scient reprobi quibus abundent sancti in cælo voluptatibus ideoq; summè torquebuntur se privari iisdem. *Ecce servi mei comedent & vos sitietis. Ecce servi mei lætabuntur & vos confundemini. Ecce servi mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos camabitis præ dolore, & præ contritione spiritûs ululabitis*, prædixit Dominus per Isaiam Isaiæ Cap: 65. Crescit miseriæ magnitudo aspectu & comparatione alienæ felicitatis. Comedent beati, quid & ubi? nimirum in regno Patris æterni sicut disposuit & paravit illis Christus ut edant & bibant in mensa sua. O Escæ! o dapes! quas DEI potentia instruxit, ipsa sapientia increata condivit, ipsa magnificentia creatrix multiplicavit, adornavit, dulcoravit. At verò infelices damnati esurient famemq; patientur ut canes. Stercora sunt cibi quiq; delicatissimi, pinguissimæ phasides, crassi turtures, attagen Jonicus, suum quoq; leporum atq; cervorum & quadrupedum animantium esculentiæ suavitatem gustui afferentes, stercora inquam sunt & fatui cibi si cum cælestibus in contentionem veniant convivijs: sic & esuries terrena si cum fame infernali comparetur, satietas est. Bibent beati, quid illud? *Torrente voluptatis tuæ potabis eos*: damnati furiosa siti prementur; quilibet eorum guttulam saltem aquæ petet nec obtinebit. Lætabuntur sancti: damnati confundentur utpotè lætitiæ illius immortalis nunquam futuri participes. Illi præ exultatione cordis jubilabunt; hi quòd eam cordis exultationem nunquam sint adepturi, ingemiscent & mærore atq; amaritudine replebuntur. En vides torturam reproborum in sola carentia bonorum cælestium Divina voce statui, acsi omnes exteriores pænæ umbra sint & nihil ad dictam carentiam collatæ: ut discas, hanc unicam universis cruciatibus superiorem esse.

Crescit ex comparatione felicitatis Sanctorum.

Deus infligendo illam, ostēdit potentiam suam.

Job ille, exemplar patientiæ, qui plurima mysteria suo sermone complectitur sic Dominum lachrymabili voce interpellat: *Cur faciem tuam abscondis & arbitraris me inimicum tuum contra folium quod vento rapitur ostendis potentiam tuam.* S. Hieronymus textum hunc exponens ait: *Cum faciem abscondit, tunc ostendit potentiam suam.* Nimirum ut D. Gregorius supra eundem locum scribit, *si DEUS totam suam omnipotentiam impenderet torturæ & afflictioni animæ nunquam ei tantum infligeret doloris quantum infert privando eam visione sui*: At quomodo ex solà bonorum supernorum quorum omnium fons est visio faciei Divinæ quomodo inquam ex sola bonorum supernorum privatione, tanta possit provenire afflictio ut maiorem omnipotentia inferre nequeat? Apparuit aliquando sanctæ Mechtildi anima in purgatorio detenta, quæ rogata haberetne aliquam pænitentiam, nullam, inquit, nisi quia Dominum meum amantissimum non video quem tantopere desidero quòd si omne desiderium quo unquam aliquis in terris Dominum desideravit, in unum transfusum esset hominem, in comparatione desiderij mei quasi nihil esset. Quamdiu enim anima in corpore est, necessitatibus & tenebris ac phantasmatibus corporeis impeditur ut tali ac tanto non possit æstu flagrare in DEUM quanto anima carne soluta flagrat. Sic illa. Nimirum animæ solutæ, perspicacissimè intelligunt boni supremi excellentiam æternorumq; bonorum nobilitatem atq; idcirco vehementissimè ea appetunt. & quia spes

Quam gravis animabus purgantibus?

Ex libro gratiarum Spiritualium S. Mechtildis.

ac deside-

ac desiderium, quod differtur, affligit animam, & quo maioris boni desiderium eò dilatio eius, maius infert tormentum: propterea fit, ut animæ separatæ à corpore, atq; à conspectu & fruitione Dei impeditæ, vehementissimè crucientur malintq; omnes in unum coacervatos perferre cruciatus quàm à complexu boni supremi præpediri; sicut & in mundo hoc tanta solet esse desiderij magnitudo, tantus flagrantis animi ad amicum absentem æstus, ut plerumq; non pigeat insomnia, famem, dolores exteriores pati, imò evidentia mortis pericula mortemq; ipsam subire, dum quæritur desiderata amici præsentia. Cur ista prætexuerim sequens monstrabit sermo. Si piacularibus flammis addicti manes, pœnas experiuntur gravissimas ex temporanea summi boni bonorumq; omnium in cælo exundantium privatione, cùm tamen eas patientissimè & non sine spe aliquando videndi Deum supportent: quid dicemus de damatis qui cum impatientia & desperatione eosdem coguntur tolerare. Una eiusdemq; mensuræ inter duos pœna dividatur: alter cum patientia, alter cum furore sustineat, huic certè duplicabitur imò multiplicabitur atrocitas supplicij & propter exteriùs sævientes plagas, & propter interiora animi vulnera multò acrius urentia. Idcirco itaq; ut compendio absolvam, universis pœnarum sensibilium torturis acerbior est pœna damni, quia ex retardatione & multo magis ex amissione totali bonorum infinitorum fortissimé apprehensorum, immensa quædam & incomprehensibilis nascitur tristitia miserè animum dilanians ac discerpens. Quanquam certa sunt ista quæ in medium protuli, certiora nihilominus fient Doctoris Angelici discursu. Dolorem duo faciunt, malum coniunctū & apprehensio; dolorem exteriorem, malum coniunctum repugnans corpori, & apprehensio sensûs, peculiariter tactûs; dolorem interiorem, malum coniunctum repugnans appetitui & apprehensio imaginationis vel rationis. Ex utraq; parte dolor interior præeminet exteriori. Nam & apprehensio imaginationis aut rationis altior est quàm apprehensio sensus; & dolor interior per se & proximè repugnat appetitui, non item dolor exterior, qui primò & per se afficit corpus, per hoc autem appetitum, porro principaliùs semper est, quod per se quàm quod per aliud agit. Præmissa eiusmodi philosophatione infert Sanctus Doctor, dolorem interiorem, simpliciter & per se loquendo, potiorem esse quàm sit dolor exterior: cuius signum est quòd non rarò dolores exteriores ultrò suscipiantur ut evitentur interiores. Et certè videmus audimusq; multos aquis se mergere, laqueo suspendere, præcipitio collidere, ferrum & ignes pati, propter ægritudinē animi atq; anxietates depellendas. Quia igitur damnatorum appetitui coniungetur malum immensum, malum malorum, privatio nimirum supremi boni, amissio bonorum omnium, quæ etiam vivacissimo imaginationis rationisq; actu apprehendetur, fiet ut dolor sequatur immensus, dolor superans exteriores cruciatus sensui molestos. Noscent damnati non quidem intuitivè, perspicaciter tamen bona felicitatesq; beatas, noscent exuberantiam gaudiorum cælestium: fortissimè apprehendent se illis in perpetuum orbandos: hinc gravissimus erumpet dolor ultra cuncta inferni tormenta in ipsos sæviens. Notitia orexim famemq; bonorum, fames frustrata apprehensionem,

Quid verò damnatis.

Dolor interior acrior quā exterior.

apprehensio ingentem cordi lanienam procreabit. Quocirca non miror jam emphasim illam D. Chrysostomi cum qua homilia 24 in Cap: 2. Matthæi sic locutus: *Hoc cogitate. Si mille aliquis ponat gehennas, nihil tale dicturus est qualè à beatæ illius gloriæ honore repelli, exosumq; esse Christo & audire ab illo: Non novi vos.*

Pœna sensus. Quòd pœna damni gravissima sit in inferno, non propterea pœna sensûs in inflictione sensibilium suppliciorum consistens, levis dicenda.

Atrocitas eius ex activitate ignis infernalis. Percontatur Isaias Cap: 33. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante: quis habitabit de vobis cum ardoribus sempiternis?* Constat ex oraculis scripturarum, ignem fore instrumentum æterni supplicij: sed quis qualisvè ignis ille? elementum ignis huius mundi activissimum est, in cinerem & favillas redigens omnia. Nullum eo tormentum maius; at respectu ignis gehennæ tantopere infirmum est ut refrigeret potiùs quàm accendat. *Ignis gehennæ altioris ordinis quam ignis elementaris.* Quicunq; & quantumcunque assurgentes flammarum globi frigidi sunt si æstuantis gehennæ fornaci conferantur. Nimirum altioris eminentiorisq; naturæ erit atq; idcirco omnem vim elementaris nostri ignis in se perfectissimè complectetur, imo superabit. Unde nec totius mundi incendium minimam ignis infernalis adæquaret activitatem. Fornax illa Babylonica in qua circa sarabellas & sanctam cæsariem puerorum innoxium lusit incendium, septuplum quàm solebat accensa quanto bulliebat æstu, quanto æstuebat ardore utpotè è qua 49. cubitis flamma ascendebat! sed quid hæc respectu gehennæ? Torus mollior damnatis ex incendio suo ad eam transeuntibus videretur. Inter alia horrendum est supplicium, Phalaridis taurus, bos videlicet æneus cui inclusi subiectis ignibus longa & atrocissima elixatione torti, bovis instar mugirent. horrendum profectò Tyrannidis inventum! & nihilominus risus iocusuè censetur respectu infernalium flammarum. O pœnæ! o ardores! qui & quales estis, si tanta tyrannis, lusus putatur in comparatione vestri. *Authoritates SS. de igne gehennæ.* *Ignis gehennæ* ait D. Augustinus sermone 41. de SS. *durior est quàm quidquid potest in hoc sæculo pœnarum videri aut cogitari, aut sentiri.* Chrysostomus quoq; *hæc* inquit, *omnia quæ hîc patimur merus ludus ac risus sunt si cum illis supplicijs in contentionem veniant.* Nec mirum talem fore inferni ignem si eum ipsa omnipotentia DEI succendet, ipsa justitia DEI nutriet, immortales lictores, spiritus inquam maligni quibus nulla & potestas & malitia terrena comparabilis, continuò insufflabunt. De hoc ergo igne sciscitatur Propheta. *Quis poterit habitare de vobis cum igne devorante quis habitabit de vobis cum ardoribus sempiternis?* O habitaculum! cuius fundamentum ignis, parietes ignis, tectum ignis; undiq; & undique flamma. Sicut mersus in aqua, quocunq; manus porrigit, aquam tangit; ita mersus in pelagus igne & sulphure ardens, infra, supra, intus, extra flammas habebit. Quis itaq; poterit sic habitare? & tamen ad habitaculum, ad carcerem hunc æstuantem semel quis intrusus, semper habitare cogetur. Ultra ignis supplicium sunt & aliæ in inferno pœnæ quas non, mihi si linguæ centum sint oraq; centum, ferrea vox, percurrere aut comprehendere potero. *Ibi erit,* verba sunt D. Gregorij, *frigus intolerabile, ignis inextinguibilis, vermis immortalis, tenebræ palpabiles, flagella cædentium, horrenda visio dæmonum, confusio peccatorum, desperatio bonorum. deniq; omnis dolor, irruet super*

damna-

damnatos. Undiq; terrebunt eos formidines. In temporalibus cùm pœna infligitur, timor quiescit. apud inferos pœnæ inflictio timoris est augmentatio. Sed universa hæc ad geminam illam damni & sensus pœnam reducuntur.

Utraq; pœna cuius umbras aliquas posui, aliquod haberet lenimen, si quandoq; finiretur; sed quia æterna, nullum admittit solatium imò ex æternitate vel maximè aggravatur. Desiderabunt mortem miseri damnati & fugiet ab eis. fumus tormenti eorum ascendet in sæcula sæculorum. *Ignis*, inquit Dominus, *succensus est in furore meo & ardebit ad inferni novissima.* id est, eousq; ardebit quousq; durabit infernus. at quousq; durabit iste? in perpetuas æternitates. quousq; Deus ipse durabit. O novissima semper nova! o finis sine fine! o ignis qui nunquam consumis nec consumeris! Heu quoties ego peccatis meis ignem hunc succendebam! quot congessi ligna in perpetuum arsura flammamq; infernalem nutritura! quantam struem quantum rogum in æterna mihi præparavi tormenta nisi benignissimus Jesus in tempore miserendi ignoscat, certò certiùs subeunda! *Æternitas.*

Æternitatis ut felicis ita & infelicis crebra in Evangelijs mentio. Placet illa Marci 9. *Bonum est tibi*, ait Christus, *debilem introire ad vitam quàm duas manus habentem ire in gehennam in ignem inextinguibilem ubi vermis eorum non moritur & ignis non extinguitur. Bonum est tibi claudum introire in vitam æternam quàm duos pedes habentem mitti in gehennam ignis inextinguibilis ubi vermis eorum non extinguitur. Bonum est tibi luscum introire in Regnum Dei quàm duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis ubi vermis eorum non moritur & ignis non extinguitur.* Repetitio hæc à Christo facta emphatica est designatq; magnum quid & ineffabile esse, vermem illum hoc est tristitiam & angorem animi ex amissione omnis boni ortam non mori, & ignem hoc est pœnam sensibilem non extingui. Valeat ergò oculus, valeat omne quidquid mihi tam carum est ut lumen oculorum meorum, valeat inquam si me à vita æterna præpedit. Vale, æternum vale pedi hoc est affectui omni qui me à regno cælesti arcet! Non curo manum, quæ facultatis operatricis operisq; ipsius symbolū est, imò libens eam ipsemet mihi resecabo si propter eam gehennam incursurus sum, ubi vermis non moritur & ignis non extinguitur. Cur autem vermis hic non morietur, cur ignis non extinguetur, libet scire? quia nimirum protrusis ad erebum reprobis & abysso inferni obsignatâ, ampliùs non erit tempus miserendi: clatris claustrisq; quibusdam, si ita fas loqui, occludetur misericordia; justitia verò tam in præmiando quàm in puniendo sese in immensum explicabit. Matthæi 23. postquam prudentes Virgines intrarunt in domum Sponsi fatuis circa negotiationem demorantibus atq; tardantibus, *clausa, inquit Evangelium, clausa est janua.* Sensus dicti huius est, quòd damnati per fatuas intellecti Virgines clausam semper invenient Divinæ misericordiæ januam. Clamabunt, ululabunt singuli, promentq; illas voces non ex amore sed ex timore: *Pater Abraham miserere mei*; sed nec tantillum quidem aquæ ad refrigerium ipsorum concedetur quantum extremum digiti capere sufficit. O obseratio perpetua! o claustrum sempiternum! quasi quis dicat: clausa est janua veniæ, janua indul-

Loco Marci 9. de æternitate amplificatur.

Post diem judicij clauditur misericordiæ janua.

indulgentiæ, janua misericordiæ, janua consolationis, janua intercessionis, janua spei, janua gratiæ, janua meriti, & quid multis, clausa est janua bonorum omnium! Tam firmis vectibus occlusa erit domus Sponsi cum sponsis, ut ne minima prorsus consolatio aut quies per totas æternitates ad damnatos inde permeatura sit. O horrendum æternitatis vocabulum, horrenda res! Digitum in candelæ flamma per modicum tempus tenere acerbum est: brachium in foco per horam cremandum extendere intolerabile tormentum: toto corpore in pyra per semihoram uri incredibilis cruciatus: torqueri per noctē in equuleo admotis ad latera candentibus laminis sæva tyrannis. quid verò per millia millium millium annorum, in rogo infernali elixari, ignem spirare, ignem ructare, ignem oculis auribus ventre atq; integro corpore vomere? Et hìc quidem quo maior eò brevior pæna, ac diuturnitate vis patiendi imminuitur: at in inferno semper vivacissimus pænarum sensus semperq; novus ac talis post centum E. g. miriades annorum qualis initio patiendi fuit. Redite ergò prævaricatores ad cor ne intolerabililes pœnas incurratis non centum annorum non millies mille, sed omnium fine fine sæculorum. *Facilis descensus averni est.* sed ascensus ex eò impossibilis. Securis ad radicem posita ubi ceciderit lignum, ibi erit in æternum. Cogitate num vermem immortalem, num ignem inextinguibilem sustinere valebitis? Væ nobis, væ nobis si nos avocare à malo & ad constantem virtutis amorem permovere nec *sævus ignis, nec tremendo Iupiter ipse ruens tumultu* potest. Mista quidam pinxit manum quæ tenebat annulum in quo erat lapis asbestes cuius proprietas accendi semel, ardere semper, adiecit lemma: *Non extinguetur.* Manus signat omnipotentiam DEI, annulus æternitatis simulacrum est. asbestes lapis si in bonam partem accipias, ignem amoris Divini; si in deteriorem, ignem furoris Divini denotat. Neuter ignis extinguetur. quousq; manus Divina, quousq; circulus æternitatis in manu DEI, eò usq; ignis uterq; ardebit. Non extinguetur ille beatos calore gratissimo in perpetuum fovebit, hic damnatos incendio acerbissimo in æternum cruciabit.

Æternitatis horror ex cōparationibus.

Horatius.

Hieroglyphicū æternitatis.

Talem igitur gehennam talibus armatam pænis recogitemus. Magnam eiusmodi recogitatio pariet utilitatem, quia omnem à nobis abiget iniquitatem & perniciosam propulsabit securitatem. *Si enim,* ait Chrysostomus, *earum legum quæ in hoc sæculo positæ sunt, tantum potest metus, ut à malis nos actibus cohibeat, multo magis poterit hoc recordatio futurorum, supplicium immortale, pæna sempiterna. Nisi aliquid profectus in se haberet gehennæ reputatio, utiq; illam non esset minatus DEUS. Nemo eorum qui gehennam ob oculos habent, in gehennam incidet. Nemo gehennam contemnentium gehennam effugiet.* Hucusq; aurei oris orator. Grandis profectò utilitas, inæstimabilis merces meditationis gehennæ, gehennam evadere. Miseros nos & omni lachrymarum fonte lugendos si liberè imò licentiosè peccamus & suppliciorum æternorum peccatis paratorum atrocitatem non pensamus. Ponè præterieram quod vel præcipuum est ad suadendam tormentorum gehennalium recogitationem & quod vel maximè principio sermonis mei congruit dum similitudinem initio propositam exhibet. Salvator noster jam jamq; victima pro nobis futurus mulieres lachrymantes

In 2. ad Thessal: cap: 1.

Gehennā meditantes evadent gehennā.

mantes

mantes nosq; omnes in personis earum ad fletum super nos ipsos avocavit his verbis: *Nolite flere super me sed super vos ipsas & filios vestros flete.* Causam adjunxit. *Quoniam si in viridi ligno hæc faciunt quid fiet in arido?* ubi citra dubium ad inferni supplicia aridis lignis hoc est improbis hominibus inferenda reflexionem fecit. Quod paucis verbis complexus Salvator, id nos pluribus in hunc modum edisseramus. Nolite me intueri & flere super me. intuemini potiùs inferni pænas longe atrociores hîs quas ego patior & flete quòd eas vos filijq; vestri meruerint. Cogitate quid fiet homini perdito si innocens agnus tanta patitur. pensate quomodo justita Divina vilissimũ servum tractabit ob sua delicta, quæ filium Dei ob aliena sic mulctavit. Si lignum viride, homo sanctus, succo virtutum omnium plenus in tam immanem suppliciorum ignem abijcitur; quid lignis fiet putridis, aridis, & ex succis, hominibus videlicet omni gratia destitutis & omni scelerum turpitudine opertis? Considerate si ad satisfactionem offensæ Deo factæ necessarius fuit sanguis filij Dei, supplente personæ dignitate quod supplici magnitudini deerat; quid fiet, ubi recompensatio præstanda erit non dignitate personæ sed sola pænæ severitate? Verbum Domini manet in æternum. Usq; hodie durat vox Christi, nostrumq; interiorem pulsat auditum: *Si in viridi ligno hæc faciunt, quid fiet in arido.* Quotusquisq; nostrum arbor est arida, exesa, putrida ideoq; æternis arsura sæculis? Ergo fleamus nos ipsos & imbre lachrymarum ubertim rigemus animas nostras quatenus ad virorem gratiæ perveniant dignosq; faciant in tempore suo fructus. *Omnis enim arbor quæ non facit fructum excindetur & ad ignem mittetur.*

Christus Dñus ad supplicium crucis pergens recogitationẽ gehennæ commendavit.

❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋❋

LECTIO.

MUndum hunc quisquis morborum officinam dixerit, nihil certiùs pronuntiabit. Quæ tamen infirmitas crebriùs vexet homines, ambiguum. Censuerim ego, inter omnes ægritudines cæcitatem frequentiorem esse eamq; tam, animi quam corporis. De quarum altera Gregorius Hom: 2. in Evangelia: Cæcum, inquit, est genus humanum, quod in parente primo à paradisi gaudijs expulsum, claritatem supernæ lucis ignorans, damnationis suæ tenebras patitur. De utraq; in Evangelio sequentis Dominicæ Christus: *Nunquid cæcus cæco potest ducatum præbere. nonne ambo in foveam cadunt?* Visu corporis per Dei gratiam gaudemus, & ministerio lucis, quæ regina colorum est, cuncta intuitum nostrum subintrantia cernimus: at interiori lumine forsitan orbi sumus; cum tamen, juxta placitum D. Hieronymi, *multo melius* sit *spiritu videre quàm carne & illos oculos possidere in quos festuca peccati incidere nequeat.* Collyria corporali caligini præscribant medici: ego tenebras spirituales remediari conabor dum lectionem sacram, qua interior oculus illuminatur commẽdabo & nobis Religiosis propriam esse docebo.

Ad Castiutiũ.

Lectionis sacræ vocabulum & notissimum & per se commendatissimum est: illorum nihilominus auribus minùs suave quibus magis de Æsopi fabulis quàm de præceptorum tabulis, de Libero quàm de libro discurrere placet. Nobis illa quàm conveniens & necessaria sit, Divino exaratæ calamo paginæ ostendunt. Genesis 2. ait sacer textus: *Posuit DEUS hominem in paradiso ut operaretur & custodiret illum.* Quod opus, quæ operatio ista quàm assignavit Dominus Adæ in horto deliciarum existenti? nunquid vomeribus terram proscindere & in glebas vertere, num plantare arbores, vineas colere, fiscellas junco texere vel canistra lentis plectere viminibus, num sarrire humum, areolas æquo limite dividere, olerum jacere semina, plantas per ordinem disponere, infructuosas arbores vel gemmis vel surculis inserere, num aquas ducere irriguas quæ scatebris suis arentia arva temperarent & raucum murmur per saxa levia excitarent, num apum fabricare alvearia aliaq; officia agriculturæ perficere? At hæc vires fatigat. Sudat colonus lassaturq; qui *ad umbram lucis ab ortu Sylvestrem flammis & ferro mitigat agrum.* Necdum porrò dictum erat Adamo. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* Non abnuo quòd etiam agriculturæ exercitium iniunctum sit protoparenti nostro: quippe *nihil agricultura melius, nihil uberius, nihil homine libero dignius.* Et Poëta fortunatos canit agricolas sua si bona norint. Quocirca *multi* juxta Augustinum in Genesim *tanta jucunditate agricolantur ut magna pæna sit eis inde avocari.* Hac illectus jucunditate Diocletianus deposito diademate & sceptro, rastro admovit manus, & voluptatem quam in imperio frustra quæsierat, in cultura olerum invenit. Adamus itaq; tam nobili tamq; jucundo vacâsset exercitio, non tamen cum labore nec ex defectu seu indigentia sed cum voluptate & omni rerum affluentia. Potissima tamen & principalis operatio Adæ fuisset lectio sacra ex qua se ad amorem laudem ac venerationem Creatoris sui inflammâsset. Nullos, inquies, tunc habuit libros? At habuit vastissimum mundi volumen in quo vivos Divinæ bonitatis, sapientiæ, pulchritudinis characteres contemplari poterat. Huic si institisset negotioso otio, paradisum proculdubio custodivisset: hoc est, non perdidisset neq; nos ab eodem perpetuos fecisset exules. Unaquæq; Religio paradisus est: aliàs nec Antonius Magnus habitaculum Divi Patriarchæ nostri vocasset paradisum; nec Hieronymus solitudinem, paradisi titulo donasset; nec Basilius & Chrysostomus eremum servis DEI refertam, hoc decorassent nomine. Posuit nos DEUS in eiusmodi paradiso non ad feriandum, non ad ignavo stertendum otio sed ad operandum. Quod verò opus à nobis exigit? Equidem non labores serviles quibus in sudore vultus nostri quæramus panem: non labores militares quibus in pulvere Martio stipendia mereamur: non mercatorum curas & itinera, quæ per mare per terras pauperiem fugiendo, faciamus. Abundè siquidem Divina providentia ad refrigeria vitæ nostræ bonis nos velut in paradiso dotavit temporalibus ut non sit nobis necesse stivam tenere, non castra sequi, non mercari, non varios modos atq; industrias lucri adhibere. Quid igitur operis in paradiso hoc agemus? Lectio sacra potissimùm nobis imponitur ex qua ad orationem, ad contemplationem, ad utilitatem proximi erudiamur.

Horatius.

Cicero de officiis.

Hoc ne

Hoc ne temere protulisse videar, quæ dicturus sum auscultentur.

Jn Paradiso aut horto quovis apes per fragrantes flosculos volitare ac mel colligere solent. Religiosi apes sunt. Quia sicut hæ, mella secernũt à venenò; ita illi exempla meliora probant, deteriora cavent: apes quidquid congregant, in communem alvearij usum conferunt; ita Religiosi quidquid acquirunt, monasterio se debere profitentur: nunquam sine socijs expatiantur apes; & Religiosi non sine arbitro conversationis suæ per compita pererrant: apes dispersæ, tinnitu æris congregantur; Religiosi ad campanæ sonum in unum festinant sivè Capituli locum dicendis culpis, sivè chorum decantandis DEI laudibus, sivè triclinium reficiendo corpori destinatum: apes suum venerantur regulum; & Religiosi regulam rectoremq; suum: apes nec concubitu indulgent nec corpora segnes in venerem soluunt; & Religiosi castitatis sunt professores atq; eximij cultores: apes demum vocantur quasi sine pedibus quòd sine pedibus nasci videantur, unde & Maro de api: *Trunca pedum primò*; & Religiosi absq; pedibus, quia ad evagationes claudi cellæq; affixi esse debent. Sicut proinde apum ea cura est ut mel ex floribus legant & in præparatas recondant camerulas ita Religiosis propriè quadrat studium per prata scripturarũ volitandi, mel doctrinæ legendi, & in cellulis memoriæ recondendi.

Religiosi apibus comparatur.

Ab assumpta ne latum quidem unguem discedendo similitudine, huc adduco illud Judicum 4to: *Erat autem Debora prophetis uxor Lapidoth quæ judicabat populum illo tempore & sedebat sub palma.* Debora apem sonat. Pro hac dictione *uxor Lapidoth*, in hebræo legitur: *mulier fulgurum seu lampadum.* Notissima hæc in scripturis est matrona seu prophetis. Sub palma habitabat, judicabat populum regebatque. At, rogo, absolutis judicijs quid egit, quod opus eius, quis labor? an lanam facere, tenere colum, rotare fusum, stamina pollice ducere, famularum neta aut in globum colligere, aut texenda componere? Etiam hæc operebatur: neq; enim panem otiosa comedit. Verùm specialiter, ut interpretibus placet, operam dabat Divinæ legi sanctisq; scripturis quarum floribus velut apis pascebatur. Unde Hieronymus de ipsa: *Quia dicere poterat quàm dulcia gutturi meo eloquia tua super mel & favum ori meo, apis nomen accepit scripturarum floribus pasta, Spiritus Sancti odore perfusa & dulces ambrosiæ succos prophetali ore componens.* Mulier hæc quamlibet Religionem & peculiariter nostram significat. Nostra namq; protoeremitica Religio est mulier fulgurum seu lampadum quia ex miraculosa cælestium lampadum in vastum quoddam incendium coeuntium visione, quantum ad cænobiticam vitam, progenita. habitat sub palma, hoc est, sub singulari protectione Virginis Beatissimæ quæ palma mystica appellatur. Sub palma item gentilitia. Sicut enim Pater Ordinis nostri inter palmas deguit palmariq; induebatur habitu: ita nos sub umbra palmeti eius requiescimus & palmæ symbolo insignimur. Quid igitur operis, quid studij nobis incumbit? hoc nimirum, ut unusquisq; nostrũ velut Debora velut apis pascatur floribus scripturarum, pascatur lectione sacra, favos conficiat ex quibus deinde mella verborum spiritualium, exhortationum, concionum, exprimat ad usum & salutem proximorum.

Ad Furiam. de servanda viduitate.

Protoeremitica Religio Deboræ assimilatur.

Vultis? educam vos in latissima totius scripturæ pascua & quid ubi mellis colligere possitis monstrabo.

Synopsis totius sacræ scripturæ ex S. Hieronymo ad Paulinum.

Genesis, creationem mundi, exordium generis humani, divisionẽ terræ, confusionem linguarum, & descensum Hebræorum ad Ægyptum describit. Exodus 10. plagas, decalogum, & mystica præcepta percenset. Leviticus sacrificia, vestes Aaron & totum ordinem Levitarum edisserit. Numeri, totius arithmeticæ & prophetiæ Baalam & 24. mansionum per eremum mysteria, continent. Deutoronomium, ultimus pentateuchi liber recapitulat ea quæ in Exodo, Levitico, Numeris, dicta sunt, ac legem Evangelicam præfigurat. In libro Iosue transitus Jordanis, hostilium regnorum subversio, distributio terræ victori populo, describitur. In libro Ruth fames terræ, Ruth spicas colligentis paupertas, apud Booz gratia, connubium cum eodem, & ex eodem, Obed qui fuit avus David parturitio. 1mùs Regum infantiam vitamque Samuelis, mortem Heli sacerdotis, & occisionem Saul Regis comprehendit. 2dûs gesta David percurrit. Melachim id est 3tiùs & 4tùs Regum à Salomone usque ad Iechoniam & ab Hieroboam filio Nabat usq; ad Osee ductum in Assirios, de regno Juda & regno Israel historiam texit; ubi Ecclesiæ paucitas & hæreticorum plurima contra Ecclesiam bella significantur.

Paralipomenon hoc est nominum liber, seu ut Hebræi vocant, verba dierum, estò apud hebræos unus sit, apud nos tamen propter sui magnitudinem divisus est. Omnem scripturarum eruditionem continet, & historias quæ vel prætermissæ sunt alijs locis vel leviter perstrictæ, per quædam verborum compendia explicat.

Jn Esdra & Nehemia quorum ille adiutorem, hic consolatorem à Domino denotat, instauratio templi, murorum Civitatis extructio, reditus Israelis in patriam, Sacerdotum, Levitarum, proselytorum descriptio ponitur.

Tobiæ liber, quidquid dicant Judæi, pro Canonico ab Ecclesia Catholica receptus, Tobiæ senioris bona opera, Junioris peregrinationem ac fortunatos successus enarrat. In Judith, superbia Nabuchodonozor totum mundum suo volentis subiugare imperio; Holofernis Ducis victoriæ; obsessio Bethuliæ; Judith stratagema memoratur. In Ester fastus & crudelitas Aman ex concepto odio in unum Mardochæum totam Judæorum gentem delere cogitantis; ad interpositionem Ester, vindicta Judæorum de hostibus eorumdemq; lætitia & festivitas. ubi typus Ecclesiæ post devictos hostes triumphantis. Job de resurrectione corporum sic prophetat ut nullus de ea vel manifestiùs vel cautiùs scripserit. In psalmis Christus canitur, peccata planguntur, laudes DEI celebrantur. Salomon pacificus & amabilis Domini, in Proverbijs, in Ecclesiaste, in Sapientia, & Ecclesiastico mores instruit: in Cantico Canticorum, sanctarum Christi & Ecclesiæ nuptiarum dulce occinit epithalamium. Isaias non tam propheta quàm Evangelista de Messiæ ex Virgine nativitate vaticinatur, & varia onera varijs prædicit regnis & urbibus. Jeremias virgam nuceam & ollam accensam à facie aquilonis & pardum spoliatum suis coloribus inducit tandemq; diversis metris quadruplex nectit alphebetum. Ezechiel visionem quatuor animalium aliasq; visiones admirabiles complectitur.

plectitur. Daniel lapidem præcisum de monte sine manibus, & regna omnia subvertentem claro sermone pronunciat. Prophetæ minores 12. in uno volumine coarctati aliud sonant in litera, aliud præfigurant. Osee crebrò nominat Ephraim, Samariam, Ioseph, Iesrael, & uxorem fornicariam. Iohel filius Phatuel depingit terram 12. tribuum, erucâ brucho locusta rubigine vastante corruptam, & post eversionem prioris populi effusum iri Spiritum Sanctum in servos Dei & ancillas prædicit. Amos pastor & rusticus ac arborum mora distringens tria aut quatuor scelera Damasci exponit, Gazæ item & Tyri & Idumææ & filiorum Amon & Moab. Loquitur ad vaccas pingues in Samariæ monte existentes & ruituram domum maiorem minoremq; testatur: Cernit quoq; fictorem locustæ, & Dominum stantem super murum litum vel adamantinum, & uncum pomorum attrahentem supplicia peccatoribus. Abdias servus Domini detonat contra Edom sanguineum terrenumq; hominem, fratris quoque Jacob æmulum hastâ percutit spirituali. Jonas columba pulcherrima naufragio suo passionem Domini præfigurat, mundum ad pænitentiam revocat, & sub nomine Ninive, salutem nuntiat gentibus. Michæas de Morasthi cohæres Christi vastationem annuntiat filiæ latronis & obsidionem ponit contra eam quia maxillam percusserit Judicis Israel. Nahum consolator orbis increpat Civitatem sanguinum. Habacuc luctator fortis & rigidus figit gradum super munitionem ut contempletur Christum in cruce. Sophonias speculator, audit clamorem à porta piscium, & eiulatum à secunda, & contritionem à collibus; indicit quoq; ululatum habitatoribus Pilæ. Aggæus festivus & lætus destructum templum ædificat & vaticinatur post unum modicum, venturum desideratum cunctis gentibus. Zacharias memor Domini sui, multiplex in prophetia, Jesum sordidis indutum vestibus, & lapidem 7. oculorum, candelabrumque aureum cum totidem lucernis, duas quoque olivas à sinistris lampadis cernit & post equos varios, ac dissipatas ex Ephraim quadrigas, & equum de Jerusalem, pauperem vaticinatur & prædicat Regem sedentem super pullum filium asinæ subiugalis. Malachias in fine omnium prophetarum apertè de abiectione Israel & vocatione gentium & de sacrificio altaris prophetat.

Ducam vos, nisi tædet, etiam ad amænum novi testamenti viridarium. Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes, Evangelistæ, Domini Jesu ortum, vitam, doctrinam, miracula, passionem & gloriam buccinantur. Pauli 14. Epistolæ, octo Ecclesijs diriguntur informantque ad omnem Christianæ vitæ disciplinam. Acta Apostolorum, Ecclesiæ nascentis infantiam usq; ad biennium Romæ commorātis Pauli historico sermone retexunt. Petrus, Jacobus, Joannes & Judas Apostoli, septem Epistolas ediderunt breves in verbis, longas in sententijs. Apocalipsis difficillima septem principales visiones continet. In 1ma septem Epistolæ; in 2dà, septem sigilla; in 3tià, septem Angeli tuba canentes; in quarta, mulier amicta sole & draco insequens mulierem, nec non bestiæ è mari terraq; ascendentes; in 5tà, septem phialæ plenæ iræ Dei effusæ in terram; in 6tà, Babylonis, draconis ac bestiarum damnatio; in 7ma sabbathum & gloria quam electi habituri sunt in fine & futuro seculo: his septem visionibus varijs septem ætates & eventus varij Ecclesiæ describuntur.

En quàm ampla ſpatioſa & amæna ſunt nobis viridaria ad expatiandum, ad legendam ambroſiam ſpiritualem, ad colligendos gratiæ cæleſtis ſuccos. Et ſufficeret quidem ad animi noſtri paſturam ſcriptura ſacra cuius ſynopſim prætexui; è re nihilominus erit etiam authores probatos, jam Caſiſticos, jam Concionatores, jam ſpirituales manibus terere, oculis luſtrare, memoria retinere, ut ex alijs conſcientias judicare, ex alijs ſermones è roſtris Eccleſiaſticis dicere, ex alijs ſpiritum conſervare diſcamus.

Reſpondebit quiſpiam: Multa nimiùm à nobis exquiris. Vaſtiſſimum ſacræ ſcripturæ codicem percurrere, libros inſuper varios legere quis poſſit? Imò verò modicum quid à me exigi fatebimini, ſi penſaveritis, hoc idem beatum Hieronymum teneræ ætati & infirmo ſexui impoſuiſſe. Ad Lætam ſcribit ut Paula ex Toxotio generata pro gemmis & ſerico Divinos codices amet in quibus non auri & pellis Babylonicæ vermiculata pictura ſed ad fidem placeat emendata & erudita diſtinctio. *Diſcat*, inquit ille, *primo pſalterium, his ſe canticis avocet. & in proverbijs Salomonis erudiatur ad vitam. In Eccleſiaſte conſueſcat quæ mundi ſunt calcare. In Iob virtutis & patientiæ exempla ſectetur. Ad Evangelia tranſeat, nunquam ea de manibus poſitura. Apoſtolorum acta & Epiſtolas tota cordis imbibat voluntate. Cumq; pectoris ſui cellarium his locupletaverit opibus, mandet memoriæ prophetas, heptateuchum & Regum & Paralipomenon libros, Eſdræ quoq; & Eſther volumina, ad ultimum ſine periculo diſcat Canticum Canticorum: ne ſi in exordio legerit, ſub carnalibus verbis, ſpiritualium nuptiarum Epithalamium non intelligens, vulneretur. Cypriani opuſcula ſemper in manu teneat. Athanaſij Epiſtolas & Hilarij libros inoffenſo decurrat pede. illorum delectetur ingenijs in quorum libris pietas fidei non vacillet. Cæteros ſic legat ut magis judicet quàm ſequatur.* Hæc Doctor ſancti nominis, tradens præcepta vivendi adoleſcentulæ. Quis jam è nobis non erubeſcat lectionem ſacram fugere, librum velut rem venenatam horrere, cùm uni virgunculæ tanta legendi imponatur ſarcina!

Inductiva ad lectionem ſacram.

à Statu Sacerdotali.

Et verò eo ſolo nomine quòd Sacerdotes DEI altiſſimi vocemur & ſimus, omni illo tempore quod ab oratione ſacrificijs & miniſterio nobis injuncto ſupereſt, lectioni ſacræ invigilare tenemur. Quippe ſacerdotale officium magna debet pollere ſcientiâ. *Labia ſacerdotis cuſtodient ſcientiam & de ore eius legem requiram.* Porò quinam labia ſacerdotis illius, qui aut nullus aut rarus in libris eſt, ſcientifica proferent verba? quomodo legis Divinæ teſtimonia pronuntiabunt? Sacerdos quivis debet eſſe paratus omni poſcenti ſatisfactionem dare: rudis ac ruſticus & ad lectionem piger quam dabit ſatisfactionem? Sacerdos debet eſſe potens exhortari in doctrina ſana & contradicentes convincere: quæ autem ſuppetent argumenta idiotis ſi ea non legerint. Sacerdos in tribunali conſcientiæ abſtruſiſſimos reſolvere tenetur caſus, inter lepram & non lepram diſcernere: quo pacto id fiet ſi tractatores materiæ caſiſticæ non pervolutet? Sacerdos ſtolidus ſuum dehoneſtat ſtatum, ſuam atq; alienas innodat conſcientias, proximorum fraudat expectationes.

à Statu Monaſtico.

Quà item monaſticam vitam eamq; tam activam quàm contemplativam

plativam profitemur, lectio ſacra apprimè nobis neceſſaria. Ad contemplativam & directè adiuvat illuminando intellectum: & indirectè, removendo pericula erroris qui non raro contingit in ignorantibus ſcripturas uti in Abbate Serapione errori Antroformiſtarum hoc eſt eorum qui credebant DEUM humanâ formâ præditum eſſe, implicato contigit. Ad vitam activam vel maximè confert quum docet qualiter prædicare, Cathechiſare, cum hæreticis diſputare, confeſſiones excipere, cum familiaribus conferre rite & rectè poſſimus. Quo putatis honore afficitur Religioſus ille qui ad ſæculares egreſſus nihil quòd eruditionem ſapiat loquitur, nihil de ſcripturis profert! Quam damnationem ſibi accerſit qui audet confeſſorem agere, ſupinè interea negligens in diſcendis illis quæ Confeſſarij poſtulat ſubſellium! Quod probrum quod dedecus Religioſo illi qui ſivè domi ſivè foris rogatus de aliquâ quæſtione, aſininam uſurpat reſponſionem: *Neſcio*. Itane tu neſcis hoc vel illud ad ſalutem aut doctrinam pertinens? Cur ergò habitu ſcientiam polliceris; tu neſcis, cuius tota vita debet eſſe in lege DEI meditatio? tu neſcis qui alios erudire obligaris? tu inquam, neſcis cuius actio omnis, loquela omnis, doctrina debet eſſe populorum?

Inter opera miſericordiæ ſpiritualia unum eſt ignorantes docere ad quod vel maximè nos ſacerdotes & Religioſi adſtringimur: qua ratione id implebimus qui cum ignorantibus malumus ignorare quàm diſcere, nunquam imperitorum magiſtri quia nunquam peritorum diſcipuli.

Et ut omittam cætera, quanti momenti eſt quòd DEUS in lectione ſacra nobis loquitur. Sic enim ſuaviloquentiſſimus & omnis expers ſtridoris Stridonenſis Orator ſcribit Euſtochio: *Oras? loqueris DEO. legis? DEUS tibi loquitur.* Qui itaq; legere non vult, non vult ut DEUS loquatur ſibi: obturat aures ad locutionem Divinam: verbum DEI audire detrectat atq; idcirco ex DEO non eſt juxta tremendum ipſius Chriſti oraculum. *à Præſentia Dei nobis in lectione loquentis.*

Ut verò particulares quoq; noſtras vel leviter attingam obligationes, vi & vigore ſtatutorum, ſpirituales conferentias quavis ſeptimana diebus jeiuniorum jubemur inſtituere: exàmen ex materijs moralibus ſancta lege inductum ſingulis angarijs ſubire compellimur: deniq; quod ſupereſt temporis à devotione & communi ſervitio, totum lectioni ſtudijs alijſq; Religioſis impendere exercitijs expreſſa juris noſtri ſanctione monemur; nulli horum ſatisfaciemus abſq; crebra convenientium librorum pervolutatione. *à Particularibus noſtris obligationibus.*

Emaciabit carnem noſtram lectio & lectorum meditatio? Quare ergò non emaciant Æſopi fabellæ? quare ubi ludus & oblectatio eſt, velox es ad librum, ubi verò difficultas & ſudor mixtus labori, tardas? Perſtringebat olim Hieronymus Clerum quòd dimiſſis Evangelijs & prophetis comædias legeret & amatoria bucolicorum verſuum verba cantaret: eodem & nos digni conſpergi ſale, ſi in ſacra lectione oſcitamus, in curiali & profana minimè tædioſi. Saltem itaque eouſq; lege donec placet, donec delectat, donec tædium abeſt: quippe ut ad ſtomachum ignavorum aliquid proferam, ſacra lectio *debet eſſe ad delectationem non ad laborem.* *Lectio quouſq; durare debet? Hier: ad demetriadem.*

Ut sit fructuosa, calamus adhibendus.

Lego, inquies, sed mox obliviscor? ut fructuosa sit lectio, ad eam stylum adhibe. Lectionem absq; scriptura somnum appellat Damasus suo scribens Hieronymo. Nimirum sicut ea quæ per somnum videmus, illico obliviscimur; ita quæ legimus, facile è memoria excidunt nisi saltem insigniora annotentur.

Verùm ut redeam unde discessi, apes ductores suos habent: nec nobis desunt anteambulones quos hoc in passu sequamur.

Exempla lectionis.

Celeberrimus ille ac inclytissimus pro Patre suo totâq; domo ipsius Orator D. Hieronymus quem honoris causa sæpius nomino cui Homerus vel invideret vel succumberet, quo loquente Demosthenes Tulliusvè os suum oppilarent & mutos ac elingues se mirarentur, qui Religionem nostram, non modo diserta panegyri Patrem honorando, sed etiam propositi Paulini seipsum sectatorem pluribus in locis testando cohonestavit, hic inquam Ecclesiæ sol lucidissimus, Ordinis nostri splēdor, teste Posthumiano apud Severum Sulpitium non diebus non noctibus quiescebat, sed aut legebat, aut scribebat, aut orabat. Idem Nepotianum laudat quòd lectione assidua & meditatione diuturna pectus suum bibliothecam Christi fecerat & quòd dum Epistolas suas etiam in stratu frequenter evolveret, super pectus soporati dulcis pagina decidebat. Thomam de Sabaria memorant annales nostri literis sacris continuò invigilasse & fermè cum dispendio sanitatis lectioni fuisse intentum. At quid volo particularia retexere nomina? totus ordo noster, quæso unde olim floruit? respondebis: Ob jugem meditationem & orationem; sic enim constitutiones innuunt, sic Caroli Pannoniæ Regis testantur literæ. At qui recta & vera de Divinis meditatio absq; prævia lectione aut lectionis nequit esse auditu. Dicit namq; B. Augustinus in *scala paradisi*, non posse nos cogitare gesta Sanctorum, non posse item cavere ne falsa aut inania meditemur nisi prius ex lectione aut lectionis auditu fuerimus instructi. Jugem igitur meditationem in Patribus nostris jugis præcedebat lectio, sequebatur oratio, claudebat contemplatio. Finiveram nisi mihi historia ex nostris ocurrisset antiquitatibus. Frater quidam Clericus Ordinis nostri in Conventu de Laad ferali inclusus Capulo jam jam sepulchro inferendus, ingenti adstantium stupore sese erexit redivivus ac in has erupit voces: *Orate pro patre Clemente, ecce enim sub ligno Cerasi legit in quodam libro magno.* quo dicto caput sacrophaco recondendum reclinavit. Obierat autem ibidem aliquot ante diebus Superior cænobij Clemens nomine. Quæ lectio ista, quæ Cerasus, quis liber fuerit, non nostrum est Divinare. sub rosa judiciorum Dei hæc latent: licet nihilominus coniecturare, pigritiam legendi hac mulctatam esse pænitentiâ, ut post fata compensaret passio quod in vita neglexerat actio. Hoc ideò narravi ne putes impune abituram in legendis sacris libris socordiam, ne falsò existimes stoliditatem in judicio Dei causæ tuæ patrocinaturam.

Hieroglyphon.

Athenienses literarum studiosissimi in labaris signisq; suis bubonem solitudinis ac lectionis symbolum, adiecta tesserâ, *ea sola voluptas*, præferebant; nobis equidem unica voluptas esse debet in angello cum libello commorari.

Ergò nunquam, dum vacat, de manu nostra recedat liber. Pudeat nos

at nos Davos esse, pudeat Thrasones esse in tanta literarum luce abhorrentes à literis. Crebrius legamus: discamus quàm plurima: tenentibus codicem somnus obrepat, & cadentem faciem pagina sancta suscipiat. *Si legimus flores & humi nascentia fraga;* flores fructusq; scripturarum odoriferos cur non curemus legere? Habeamus (verbis aio Hieronymianis ad Nepotianum) *habeamus cellulam pro paradiso varia scripturarum poma decerpamus: his utamur delicijs harum fruamur complexu.* Aperti sunt oculi protoparentum nostrorum in esu pomi: illuminati Jonathæ in gustu mellis: melius sanctiusq; nostri aperientur & illuminabuntur in esu & gustu veterum novorumq; pomorum hoc est in lectione & ruminatione mysteriorum veteris ac novi testamenti, nec non veterum novorum tractatuum à probatis editorum authoribus. Sic interiori pollentes lumine, securè quantum fas est per vitam nostram inter gladios & scorpiones, inter profundas scrobes & præcipitia gradiemur, cæteris propter cæcitatem in foveam errorum & peccatorum cadentibus à lapsu præservādi.

DEVOTA
MISSÆ CELEBRATIO.

POstquam Pharisæis sciscitantibus de mandato magno satisfecisset Christus, ipse quoq; theologicam eisdem proposuit quæstionem: *Quid vobis videtur de Christo?* errantesq; Davidico convicit oraculo, ita quidem ut nequaquam ampliùs antiquus ille serpens per malignorum ora sibilaverit contra Dominum sed contortus & evisceratus silere venenaq; sua intra se tenere debuerit. Si ego sublimem hanc quæstionem vestræ charitati proposuero: *quid vobis videtur de Christo,* protinus cum Petro Petriq; Cathedra acclamabitis Salvatori: *Tu es Christus Filius* DEI *vivi.* Digna equidem Cælis Confessio? sed hæc personam servatoris nostri concernit: Officium in præsentiarum requiro. Si hæreatis, ego cum David Psalmo eodem, imò versu eodem quem Dominus in Evangelio adduxit, Redemptori occino: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm Ordinem melchisedech.* At quomodo in æternum? nimirùm Sacerdotium eius secundum Ordinem Melchisedech perpetuo in nobis durat, durabitq; ad finem usq; mundi. A Capite ad membra, à Christo ad nos sermonem inflectamus; interrogemus nosipsos: Quid nobis videtur de nobis? sumusne Sacerdotes secundum Ordinem Melchisedech? rectène fungimur officio Sacerdotij? num dignè panem & vinum consecramus atq; offerimus? Huic interrogationi quid unusquisq; nostrûm responsurus sit, præsens judicabit indicabitq; sermo in quo monstrare adnitar, quo pacto tremendum sacrificium peragendum sit, modo ille ipse qui arguta aut veriùs arrogantia non benè de Divinitate sua syllogisantium Judæorum conclusit ora, meum benedictione suâ aperire dignetur.

Missa ut de alijs nomenclationibus sileam ab hebræa dictione *Missach* sa- *Missæ etymō.*

ſach ſacrificium beneplacitum ſignificante, ſuum derivat vocabulum: Ordinem eius ſtrictim pono.

Conſtitutiva Miſſæ. Inchoatur à præparatione & inſtructione. Præparatio quatripartita fit *primò* per Laudem Divinam in introitu. 2dò per replicationē miſeriæ noſtræ præſentis quæ triplex potiſſimum eſt: ignorantiæ, culpæ, & pœnæ, contra quàm invocatur miſericordia DEI novies repetito Kyrie, ut ſingulas perſonas Divinas terno Kyrie veneremur. 3tiò per memoriam cæleſtis gloriæ ad quam poſt miſerabilem ſæculi huius conditionem obtinendus ſperatur & ſuſpiratur à nobis ingreſſus. 4tò per orationem pro populo ut dignus ſacratis inveniatur myſterijs. Inſtructio fit per doctrinam Prophetarum & Apoſtolorum: poſt cuius lectionem dicitur graduale quod ſignificat profectum ſpiritualem: & alleluia in ſignum exultationis internæ, vel tractus in Officijs luctuoſis qui gemitum pænitentialem indicat. Præviam & quaſi diſpoſitivam per prophetias & Epiſtolas Canonicas inſtructionem ſequitur perfecta per doctrinam ipſius Chriſti in Evangelio contentam inſtitutio cui ſymbolum fidei ſubijcitur ut palàm fiat nos ea quæ Chriſtus docuit & corde credere & ore confiteri. Sic præparato & inſtructo populo proceditur ad ipſius Myſterij celebrationem quod quidem offertur ut ſacrificium, conſecratur autem ac ſumitur ut Sacramentum; unde inprimis peragitur oblatio, poſtea conſecratio materiæ oblatæ, ultimò ſumptio.

Circa oblationem duo fiunt: Laus DEI per cantum offertorij & Oratio Sacerdotis qua orat ut oblatio populi ſit accepta.

Conſecratio his perficitur; imò populus excitatur ad devotionem dum jubetur *ſurſum corda* habere. qua propter hic ut & Sacerdos laudat devotè Trinitatem cum Angelis per triſagium; & cum pueris humanitatem Chriſti, per illam Cantionem: *Benedictus qui venit in Nomine Domini.* 2dò, Sacerdos commemorat eos pro quibus ſacrificatur ut univerſam Eccleſiam, perſonas in ſublimitate poſitas & ſpecialiter fideles nonnullos pro quibus offerre inſtituit: commemorat præterea Sanctos quorum patrocinia pro præfatis implorat. 3tiò, accedit ad ipſam conſecrationem, ubi primùm petit ipſum fieri conſecrationis effectum cum dicit. *Quam oblationem &c.* mox Conſecrationem peragit per verba Salvatoris. Poſtea excuſat præſumptionem per obedientiam ad mandatum Chriſti cum dicit. *Unde & memores &c.* tandem orat, quatenus ſacrificium DEUS acceptet illâ precatione: *ſupra quæ propitio &c.* Demum implorat ſacrificij & Sacramenti effectum pro ipſis ſumentibus & adſtantibus: item pro defunctis qui jam ſumere non poſſunt: nec non pro ſeipſo.

Ad perceptionem hæc concurrunt. Præparatur Sacerdos & populus per Orationom Dominicam, nec non per pacem quam in Agnus DEI & ſequentibus Orationibus ſuppliciter precatur. Sumitur Sacramentum à Sacerdote & huius miniſterio à populo. Gratiæ aguntur pro ſumptione & completione Myſterij populo exultante per cantum, qui fit poſt Communionem.

Singularum actionum & cæremoniarum Myſteria percenſere & explicare longum eſſet: univerſim dico & pro regula ſtatuo, omnia quæ in ſacrificio fiunt, ut Crucefignationes, brachiorum extenſiones, poplitum

poplitum flexiones, thurificationes & eiusmodi alia: aut pertinere ad repræsentationem gestorum in Passione Domini: aut pertinere ad reverentiam Sacramenti in quo Christus secundum veritatem continetur. Hæc instar Cathechismi præmissa sunto.

Ad huius ergò tremendi Mysterij devotam & tantæ Maiestati congruam celebrationem nos velut classico quodam hortaturus Apostolus, post multa disertis fortibusq; verbis de æterno Sacerdotio & Sacrificio Christi secundum Ordinem Melchisedech perorata, hæc subiungit: *Propterea regnum immobile suscipientes habemus gratiam per quam serviamus placentes* DEO *cum metu & reverentia. Etenim* DEUS *noster ignis consumens est.* Regnum in hagiographis capitur pro Sacerdotali munere: Unde & Divus Petrus in sua Canonica regale Sacerdotium appellat: & in Apocalypsi regnum cum Sacerdotio commiscetur. Verè Sacerdotium, regnum! quia ad illud ritè administrandum sacratiori initiamur unctione, potestatemq; ac characterem indelebilem à Christo per impositionem manuum Episcopalium accipimus. Divinius certè & potentius regnum istud quàm quodvis politicum mundi imperium: nam per hoc non nisi in corpora jus & gubernandi authoritas acquiritur: per illud etiàm, & peculiariùs quidē, reguntur animæ. Quo circa dignitatem flaminum suorum quantumvis nostro Orthodoxo judiciò futilem & superstitiosam pensantes Gentiles, pontificium cum regio maritabant honore, nec licebat Dialem esse nisi Regi juxta illud apud Livium lib: 26. *Pontifices, sacrificuli, Augures, Reges creentur.* Servire hoc eodem textu arbitror idem esse quòd sacrificare. Servitus enim & latria idem sunt, Sacrificium autem est actus excellentissimus latriæ; nam per sacrificium, nostram subiectionem & servitutem erga DEUM protestamur. Sensus itaq; Apostolicæ sententiæ iste est: Quia vi Sacerdotij regalis nacti sumus potestatem sacrificandi eamq; immobilem & ut legit D. Chrysostomus inconcussibilem, igitur sacrificemus cum timore & reverentia, & quod caput rei est, cum ornatu gratiæ sanctificantis quæ nos faciat supremo placere Numini: Ad altare enim accedentes non accedimus ad montem fumantem, nec ad caliginem in qua Moyses loquebatur cum DEO: sed accedimus ad ipsum IESUM Mediatorem novi testamenti eiusq; sanguinis aspersionem.

Ad Hebr: 12.

Regnum in scripturis idē quod Sacerdotium.

Tria ut vides reposcit Apostolus in Ministris offerentibus: gratiam per quam DEO placeant; metum & reverentiam; Absq; his & horum singulis litare, piaculum. Singula diligentiùs perstringamus. Inprimis placere jubemur. Ut porro in Ministerio altaris Divinis placeamus oculis, non jam lavandis nobis mattiacas pilas conquirere, non spumis batavis sordes & lentigines abstergere, non psilotro aut dropsace hirsutam deglabrare cutem, non teonotris erugare faciem, non deniq; cerussà, quod mulieres (grandis Christianorū tentatio) faciunt, colorem mutare necesse habemus sed maculas animæ tollere & quamlibet fæditatem spiritualem emundare. Levitici 21. præcepit Dominus Moysi: *Loquere ad Aaron. Homo de semine tuo per familias qui habuerit maculam non offeret panes* DEO *suo nec accedet ad Ministerium eius. Si cæcus fuerit, si claudus, si parvo vel grandi, vel torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbosus, si lippus, si albugine habens in oculo, si jugem*

Tria requirūtur in sacrificante.

Vitijs depulsis jubemur Deo placere per gratiam sanctificantem.

scabiem, si impetiginem in corpore vel herniosus. Omnis qui habuerit maculam de semine Aaron Sacerdotis non accedet offerre hostias Domino nec panes DEO *suo.* Arcentur hoc decreto Divino à sacrificandi Officio omnes cæci, claudi, sili, simi, pterigiosi, ramices & hernias patientes, & ut uno cuncta complectar verbo, omnes aliquo deformes nævo. Quid enim? ergò lepra corporis, animæ præfertur vitijs? ergòne deterior apud DEUM claudus, quàm ille qui in via mandatorum Divinorum cespitat & labitur? ergò scabies animæ non fætet DEO, fætet vitiligo corporis? *Præcipitur Sacerdotibus* (ait Hier: ad Fabiolam) *ne ulla debilitate insignes sint, ne truncis auribus, læso oculo, simis naribus, claudo pede, cutis colore mutato: quæ omnia ad animæ vitia referuntur. Voluntas enim in homine non natura damnatur.* Et D. Tho: 1. 2. q. 102. ar: 5. Maculæ, inquit, vel defectus corporales à quibus debent Sacerdotes esse immunes significant diversa vitia & peccata. Prohibetur enim ne Sacerdos sit cæcus id est ignorans: ne claudus, id est instabilis & ad diversa se se inflectens; ne parvo vel grandi naso, hoc est ne per defectum discretionis seu in plus seu in minus excedat: per nasum namq; cum sit discretiuus odoris, discretio designatur: ne fracto pede, vel manu, intellige, ne sit absq; virtute benè operandi, aut ad bonum tendendi. Repudiatur etiam à Sacerdotij munere habens gibbum, scilicet superfluum amorem terrenorum. Repudiatur lippus hoc est carnali affectu in anima obtenebratus. Rejcitur albuginem patiens in oculo per quam significatur præsumptio candoris justitiæ in sua cogitatione: reijcitur scabiosus, hoc est prurientis & petulantis carnis. Excluditur impetigine, per quam notatur avaritia, laborans. Excluditur deniq; herniosus & ponderosus qui, velut in scroto intestina, gestat pondus turpitudinis in corde quamvis eam non exerceat opere. Vides hinc perspicuè, per legem quæ tota spiritualis est, non tam corporis quàm animæ vitia repelli à sacrificio, ut illis amotis, gratiâ, quæ est speciosissima animæ forma, nitentes, Divinum delectemus obtutum. Vides item, quod Moyses longo circuitu, corporales describens corruptiones, jubet à Sacerdote abesse, hoc Apostolum unico *placendi* expressisse vocabulo. Cum metu item jubemur sacrificare. Cur autem? forsitan quia peccatis hincinde Sacerdos gravatur offerens. Legalis ornatus Pontificis totum figurabat mundum ut fusè habet D. Hieronymus de vestitu Sacerdotali: Et sap: 18. dicitur in *veste Aaron descriptus fuisse Orbis terrarum* eò mysterio quòd non pro suis tantùm sed & pro totius mundi placare debebat Numen delictis. Etiam & multo excellentiùs in novo testamento Sacerdos totiùs mundi sequester est. Bina armatus Cruce ad altare ingreditur: hac, quæ ante, signantur peccata propria, hac quæ retro, peccata aliena; peccata porro vindictam clamant, pænasq; post se lege irrefragabili trahunt tàm temporales quàm æternas. Justa proinde metuendi intra sacrificium causa; ne scilicet nos qui peccata & nostra & aliena portamus, & nostram & alienam damnationem incurramus. Est & alia timoris istius causa: nimirum quia DEUS in sacrificio cui adstamus, inscrutabili justitia pro nostris quotidie filium suum facit immolari sceleribus. *Tremebat pia Mater cum videbat nati pœnas inclyti:* cur nos totâ mente non contremiscamus, in quorum ma-

Item cum metu jubemur sacrificare.

rum manibus offertur victima Christus! qui ad aſperſionem ſanguinis eius accedimus! qui non ſolo viſu, ſed manibus, ſed ore, ſed viſceribus tam veneranda Myſteria contingimus! Maximam hic ego in rem præſentem poſſem exemplorum producere farraginem niſi tædio veſtro conſulens ad finem properarem. Non me tamen teneo quin unum ex antiquario Religionis noſtræ proferam. Adoleſcens quidam clauſtrum S. Spiritus in Piliſio ingreſſus prætextaq; regulari indutus poſt complura largiori ſpatio edita vitæ Religioſæ ſpecimina, retro reſpicere cæpit decrevitq; ad ſæculum redire. Magiſter deſiderium ſæculi excutiebat, nihil tamen proficiebat. Tandem cum nullo perſuaſionum ariete murum valeret obſtinationis frangere, *eia* inquit, *fili expecta tantisper donec ſacrificium Miſſæ audias, ne inſalutato Numine Religioni videaris vale facere.* Conſenſit ille. Poſt Sacrificium à Patre Spirituali ad ſumendum viaticum panem invitatus, procidit ad pedes eiuſdem lachrymabundus, veniam erroris & profeſſionem Religioſæ vitæ ſuppliciter poſtulans. Admiranti & cauſam mutatæ ſententiæ roganti Magiſtro, *Vidi,* ait, *ſub Sacrificio in elevatione hoſtiæ* JESUM *Chriſtum à vertice uſq; ad plantam pedis cruentatum quo viſo ſic terror eius me occupavit, ut timeam quidquam cogitare quod honori eius derogaret?* Si nos eadem viſione dignaretur Chriſtus, profectò toti quanti expaveſceremus. Sedenim certior & infallibilior fides quàm ſenſus. Cum ergo credamus Chriſtum à planta pedis uſq; ad verticem capitis vulneratum, ſanguine rubentem, plagis quondam lividum, nunc verò glorioſum & in throno paterno confidentem, hic contineri, à nobis tangi, offerri, manducari, non timebimus? pavor & tremor ſalutaris noſtros non occupabit artus? Propoſitas metûs rationes approbat Apoſtolus dum ſuam ponit: *Quia* DEUS *noſter ignis conſumens eſt,* acſi diceret: Cum metu ſacra peragite quia DEUS cui ſacrificatis, quem inter Divina contrectatis non eſt legalis nebula, non caligo mera, non tubæ ſonus, ſed ignis iſq; conſumens. Ad ignem appropinquantes, non ſecurè, non temerariè, at pavidè & circumſpectè appropinquamus ne aduramur, aut vehementiâ flammæ abſorpti concrememur: DEUS noſter ignis eſt, & ignis virtutis infinitæ, ignis activitatis immenſæ, ignis qui & corpus & animam conſumere valet. Igitur ante faciem eius non timebimus? igitur abſq; metu, manu temere audaci eum palpabimus? Levit: 10. egreſſus ignis à Domino devoravit Nadab & Abiu filios Aaron incenſum adolentes: Incenſum merum & ſacrificium verùm, quantum putas diſtant? ſi itaq; ob thymiama irreverenter oblatum, ebullijt à Domino incendium & temerarios exanimavit: tu ſecurus eris nec te ſancta more profano tractantem inviſibilis abſumet flamma!

Reverentia, tertium ſacrificantis adjunctum, eſt perſonæ excellentis per geſtus & ſigna honorifica veneratio ex metu quodam ortum ducens. Dicitur *ex metu quodam.* Reverentiam enim eſſe actum timoris D. Thomas 2. 2. pluribus in locis habet. Commendant eam requiruntuè in Miniſtris altaris ſcripturæ. Apocal: 4. vidit B. Joannes *& ecce ſedes poſita erat in cælo & ſupra ſedem ſedens, & qui ſedebat ſimilis erat aſpectui lapidis jaſpidis & ſardinis: & iris erat in circuitu ſedis, ſimilis viſioni ſmaragdinæ.* Vidit inſuper in circuitu throni animalia *Reverentia tertium ſacrificatis adjunctum.*

 malia

malia decantantia Domino laudem, & seniores procidentes ante thronum & mittentes coronas suas ante eundem. Cælum, Ecclesia est. Sedes, Sacramentum Eucharistiæ. Per sedem accipias licet & altare. Sedens, Christus: qui similis lapidi jaspidi, propter Divinitatem. *Iaspis viridi colore* (ait Gregorius Cælius) *aspectum delectat & refert essentiam Divinam, cuius delectabili pretiosoq; aspectu futuri sumus beati.* Similis quoq; sardio propter humanitatem: quandoquidem sardius sanguinei coloris est *Christumq; trabeâ rufæ carnis nostræ indutum* ac pro nobis sanguine manantem repræsentat. Iris in circuitu sedis. Planè visio hæc imaginaria spectandum aliquid D. Joanni offerebat ad instar Monstratorij seu ferculi Eucharistici quod circumquaq; iride auro gemmisq; fulgurante cingitur. Iris propitiationem significat vocaturq; ab ipso Deo signum fæderis ut propterea iris hæc apocalyptica simulacrum sit Sacrosanctæ Eucharistiæ quæ Sacramentum novi fæderis seu novi testamenti appellatur. Et sedes ergò & iris idem sunt quoad mysticam intelligentiam, ad quam smaragdinus viror Divinam figurans misericordiam accedit. Quorsum verò ista? scilicet ut nos qui Presbyterorum hoc est seniorum titulo & Ordine refulgemus, exemplo seniorum 24. quo numero proborum universitas declaratur Sacerdotum, doceamur qualiter in Cælo Ecclesiæ, in sede altaris Christum iride Eucharistica cinctum revereri debeamus.

In Apocalypsi.

Eadem ni fallor res alijs alibi adumbratur typis Apoc: 11. *Apertum est templum* Dei *in cælo & visa est arca testamenti in templo. Et facta sunt fulgura & tonitrua & voces & terræ motus & grando magna.* Sensus est. Postquam Mysteria Divina omni templo sacratiora, retecta & revelata sunt per Christum, patuit fidelibus Arca testamenti hoc est Eucharistia quæ per arcam testamenti in lege veteri figurabatur. Verè arca fæderis, seu signum fæderis! verè iris similis visioni smaragdinæ! ubi notari velim, quòd quoties Deus propitiabatur populo, toties fædus cum ipso inibat & signa fæderis tanquam pacis obsides relinquebat: ut iridem in lege naturæ: Arcam in lege Mosaica: Eucharistiã in lege Evangelica. Postquam ergò apertum est templũ Dei in cælo, visa est arca testamenti eius in tẽplo eius, id est: *revelato Ecclesiæ Mysterio* (ait cælicus Cælius) *patuit omnibus credentibus notitia incarnati* Dei *revelataq; veritas Eucharistiæ eius.* Quid autem postmodũ secutũ est? *Et facta sunt fulgura & tonitrua & voces & terræ motus & grando magna.* Singula è prædictis meteoris physicorum est describere; nos mysticum perquiramus sensum. Missâ allegoricâ expositione ad moralia descendendo, fulgetra seu coruscationes, sunt illuminationes mentis ex lectionibus prophetiarum, Epistolarum Canonicarum, Evangeliorum. Tonitrua sunt affectus animi è corde velut è nube gravida ad Deum erumpentes. Voces sunt preces piæ. *Mira est* ait Cicero *natura vocis cuius quidem è tribus sonis inflexo, acuto, gravi, tanta sit & tam suavis varietas, perfecta in cantibus.* Et precum quæ ad Deum funduntur, potissimùm intra sacrificium Missæ, mira est natura, mira suavitas, suavis varietas, varia perfectio & absolutio. Terræ motus significat pavorem: & quemadmodum ex terræ motu, *fit ruina, tremor, titubatio, pulsio, exforatio, scissio, submersio,* ut ait Aristoteles: ita ex pavore fit ruina arrogantiæ, prostratio ac humiliatio animi,

Explicatio spiritualis meteororũ Apoc: 11. positorum.

animi, sciſſio cordis ad pænitentiam, merſio oculorum in lachrymis. Grando eſt calidior & rarior vapor in frigidioribus medij aëris locis congelatus diverſas habens figuras pro conditione materiæ & circumſtantium aëris qualitatum. Deſignat duri & congelati cordis commi-nutionem, & in lachrymas reſolutionem. Grando ex aqua è terris aſcẽdente fit, iterumq; aquam terræ reddit, ut per eam gratitudo quoq; & acceptorum beneficiorum recognitio ac refuſio notetur. Facta ergò ſunt ante arcam teſtamenti fulgura & tonitrua cum alijs recenſitis: quia poſtquam innotuit ſacrificium & Sacramentum altaris, fideles internis moniti illuſtrationibus, in affectus laudis, gratiarum actionis, amoris, in voces preceſq; ſono oris faciendas magno animi impetu & quodam ut ſic dicam fragore ferebantur, ſanctoq; timore ex conſideratione tremendi myſterij concuſſi proruebant in facies ſuas, & totum quidquid haberent Deo referebant, ſeipſos in nihilum redigentes atq; identidem in pias lachrymas velut grando colliqueſcentes. Viſa ſunt hæc Joanni in circumſtantia præteriti temporis ſed futurum Eccleſiæ ſtatum indicabant & ſimul informabant. Nobis imaginaria hæc viſio ideam exhibet quînam altari miniſtrare debeamus? quo metu, quâ reverentia, quo honore? Felices nos ſi poſt fulgura ſacrarum lectionum quibus in Miſſa, ut præmiſi, inſtruitur poulus unà nobiſcum, ſi inquam tonamus internis externiſq; laudibus Divinis, affectibus motibuſq; mentis incaleſcimus! ſi, quia terra ſumus, metu ante Deum concutimur, humilitate proſternimur, & ruinâ noſtrâ, procidentiâ noſtrâ reverentiali Maieſtatem Dei ſupremumq; eius dominium profitemur! ſi velut grando in devotas liquamur lachrymas, totumq; Deo authori quod ſumus & habemus referimus! Etiam in lege veteri ſimulacra hæc præceſſerunt. Nam Pontifex ſanctuarium ingreſſurus, mala punica & tintinnabula à fimbrijs veſtimenti ſui dependentia geſtabat, per quæ juxta SS. Patres fulgura & tonitrua ſignabantur. Hoc idcirco adduxi, ne ſtupeas quòd fulgura & tonitrua cum ſacrificio Miſſæ commiſcuerim.

Erravit ergo Poëta qui dixit: *Offendunt nunquam thura preceſq; Iovem.* Crebrò ſiquidem offendunt thura Deum, quia crebrò abſq; pulchritudine animæ, abſq; pavore ſalutari, abſq; reverentia fiunt debitâ. Rudolphus Pius de Carpi Cardinalis Diaconus pingi ſibi fecit altare, ſuper quo flamma aſcendebat, hinc inde ſtabant ſimulacra manibus trunca, ſexu carentia, anchoris ad aram revincta. In fronte altaris: *Litatur:* ad partem, *tenſis vi retinaculis*, inſcriptiones viſebantur. Qualiter ſacrificium celebrandum ſit, hac edocetur imagine. Corpus & anima inſtar columnarum debent eſſe alligatarum ad aram anchoris; anchora una, metus; altera, honor reverentialis: Quilibet ſacrificans, neceſſe eſt, ſit velut coloſſus aut cylindrus, non fluctuans mente, non ſe velociter gyrans corpore. Purus caſtuſq; ſit & in carne ſine carne vivat, ac ſi ſexu careret, nulloq; ſcelere ſe contaminari patiatur. In ara enim cui adſtat, *Deus noſter ignis conſumens eſt.*

Mart:

Typotius.

Jam hîc ſubſiſto, & aſſumptam in exordio ſermonis retexo interrogationem: Quid nobis videtur de nobis? Ritène & rectè fungimur Officio Sacerdotij? videmus certè ex allegatis, ſacrificium peragi debere in gratia Dei, cum metu, cum reverentia. Quoti verò

ſunt Sacerdotes qui ad Sacrificium Miſſæ velut ad brutæ hoſtiæ immolationem, velut ad menſam familiarem, velut ad ludicram operationem accedunt imparati, impavidi, irreverentes. Panem conſecratum minori accipiunt reverentiâ, quàm profanum; imò hunc quidem lotis manibus, illum illota manducant conſcientiâ: Cryſtallina aut Myrrhina manibus magis ſollicitis ac pavidis contingunt quàm ſacrum Calicem.

In templo Salomonis gemebat ara ſub auro, fermeq; omnia vaſa ex auro erant fabrefacta ut homines fulgore externo metum & reverentiam Divinorum conciperent. *Aurô legis ſanguis Evangelij pretioſior eſt.* Si tanta Majeſtas talis divitiarum apparatus fuit quando jumenta cædebantur in victimam & *ſanguinis pecudum redemptio erat peccatorum;* nunc quando vivo JESU Chriſti ſanguine aſpergimur, potamurq;, luridi, ſquallidi, nullo ornatu decori ſtabimus! hoc autem dico non quia aurum in templis ac Sacerdotibus requiro quod cum cæteris Judaicis ſuperſtitionibus repudiari ſuaſit Hieronymus; ſed quia fulgore tanti Myſterij ad metum & reverentiam ipſius perurgere ſe debent & populus & Sacerdotes, potiſſimùm verò Sacerdotes. *Si haberes Angelicam puritatem & S. Ioannis Baptiſtæ Sanctitatem non eſſes dignus hoc Sacramentum accipere aut tractare.* ait Thomas à Kempis: jam dic mihi quomodo vinum bibes virginitatem germinans, cui cymbia & frequentia pocula ad luxum & luxuriam placent? Hei mihi cum candore interno lilia vincere, eboris ſuperare candorem, Spartani oloris albedinem excedere deberemus, picei plumbeique ſumus peccatis nos denigrantibus. *Quis putas ille ſub cælo eſt* exclamat ſacri nominis Doctor, *qui nunc adinſtar Aaron iræ DEI poſſit occurrere, qui furentibus obviare flammis? Pereunt cum paſtoribus greges, quia ſicut populus ſic Sacerdos.* Quotus putas eſt qui ſacrificijs provocet potius quàm cohibeat iram DEI! Forſitan maiore olim reverentiâ linigeri ſiſtratiq; calui ante thenſas ſtabant, quàm nunc Sacerdotes ante ſacratas aras; maiore decentia & compoſitione dives aliquod atriũ ingredimur, quàm ſanctuarium; ad aram velut ad haram non rarò accedimus. Quòd dico non omnibus dico. abſit injuria pijs & timoratis Sacerdotibus qui cum Nepotiano Presbytero *ſui in carne contemptores totum animæ inveſtigant ornatum,* atq; ad altare Chriſti procedunt intus & extra compoſiti & circumornati ut ſimilitudo templi. Curemus itaq; ſacrificium Divinæ Majeſtati offerre placendo ipſi per gratiam. Cum omnimoda reverentia, cum timore & tremore ſacris adſtemus altaribus, ut inter 24. Presbyteros ſolium cæleſte mereamur & cum Chriſto, æterno Ordinis Melchiſedech Sacerdote à dextris DEI ſedente *regnum immobile* obtineamus.

Ad Fabiolam de veſtitu Sacerdotali.
AdNepotianũ

PARS



PARS II.

IN QUA PROPRIETATES RELIGIOSORUM SECTANDÆ PROPONUNTUR.

SOLITVDO

CLAUSTRALIS.

MEmorat sanctumEvangelium sequentis Dominicæ, Christum Dominum ductum in desertum Eremiticam deguisse vitam nec inde egressum donec quadraginta dies consummarentur. Vita Christi, doctrina nostra est, actiones eius instructiones nostræ sunt. Quid autem dogmatis quadragenaria hæc Servatoris nostri affert nobis solitudo! commonet scilicet nos ut qui semel solitariam vitam amplexi sumus, qui mundanas conversationes, professionis Sacramento ejuravimus, non ampliùs ad mundum aspiremus, contubernijs sæcularium non ampliùs nos ingeramus, consuetudinem omnemq; familiaritatem quam relicto sæculo penitus reliquimus fugiamus; uno verbo, juratam amemus solitudinem donec quadragesima vitæ præsentis currit, antequam Pascha æternæ felicitatis adveniat. Et verò nihil nocivius est Religiosis imò Religionibus & Monasterijs quàm si monachi nominis & propositi sui obliti ex solitudine Monasterij frequentiùs in publicum prodeant, sese in mundanas insinuēt amicitias, vagantesq; hinc inde propriam sectentur recreationem vel lucellum. In præsenti igitur, amorem solitudinis suadere volo, Eremisantis Christi Domini ope implorata.

Solitudinem oris præconio celebraturus, illud præmoneo, me non vastissimam Thebaidis Eremum aut quodcunq; aliud solis feris pervium desertum in scenam velle producere. Talis enim solitudo maximè periculosa est & non nisi perfectissimis viris convenit, qui aut studio exercitiovè proprio aut certè peculiari gratiâ Divina laboris humani supplente industriam, consummationis in vita Christiana attigerunt apicem. Deniq; ut expressiùs cum Hieronymo loquar: *de ludo Monasteriorum huiuscemodi milites ad Eremum egredi oportet quos Eremi dura rudimenta non terreant: qui specimen conversationis suæ multo tempore dederint: qui omnium fuerint minimi ut primi omnium fierent; quos nec esuries aliquando nec saturitas superavit: qui paupertate lætantur: quorum habitus, sermo, vultus, incessus, doctrina virtutum est: qui nesciunt secundùm quosdam ineptos homines dæmonum pugnantium contra se portenta confingere ut apud imperitos & vulgi homines miraculum sui faciant & exinde lucra sectentur.* Undè plurimi inconsultè nec ponderata priùs imbecillitatis suæ mensurâ, tenebrosa silvarum antra petentes in potestatem Principis tenebrarum venerunt; alij in medio

Solitudo Eremitica periculosa. Vide S. Thom. 2. 2. q. 188. articulo 8.

Ad Rusticum.

Multi imperfectiores in ea lapsi.

medio itinere corruendo, alij antequam inciperent progredi, labendo. Legantur hac de re historiæ, revoluantur vitæ & collationes Patrum; innumera profectò occurrent exempla legentibus seductorum per dæmones Eremicolarum. *Quantos*, exclamat Pannonius, *ex Monasterijs spiritu ferventes rapuit Eremi solitudo & aut tepefactos evomuit aut tenuit contra legem Eremi non modò remissos sed etiam dissolutos!*

In C. 2. Cant: versu 15.

Solitudo cænobitica cómendatur.

Alia est solitudo quam amandam & toto studio percolendam suadeo nimirum ut intra Monasterij septa & propriæ cellulæ angulos nosmetipsos contineamus. Eremus hæc familiarius Deo gaudet, desertum hoc Christi vernat floribus, solitudo ista lapides profert ex quibus superna construitur Jerusalem. Hanc Sancti Patres aborigines nostri prodigiosa visione flammarum per silvam discurrentium moxq; conglobatione sui vastum quoddam incendium facientium in persona beati Eusebij Strigoniensis, cui hæc apparitio facta, commoniti & ipsi amplexi sunt & in nos posteros suos traduxerunt. Hanc Jeremias statum quemdam & locum beatitudinis vult esse dum ipsius cultorem beatificat dicens: *bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua: sedebit solitarius & tacebit.* Carmen hoc Prophetæ continetur sub litera Teth quæ significat *bonum* & *exclusionem*; hac duplici significatione subnotando beatitudinem in qua nimirum est bonum omne & exclusio cuiusvis mali. Dum ergò Jeremias sub elemento Teth hanc suam posuit cantionem: *Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua*, ita eam intelligi voluit: Beatus ille qui à teneris cervices suas jugo servitutis dominicæ submiserit seq; arctiori vitæ mancipari. Sed quare beatus? quia in solitudine & silentio vivet. Quæ verò isthæc beatitudo? non beatitudo non felicitas ista est at miseria & humanæ afflictio mentis. Homo sociale animal est & à natura ad societatem comparatum. Felix igitur esse nequit, si solus. Beatum nihilominus solitudinis & silentij amatorem negare non possum, si Prophetico oraculo fidem tribuo. Dat rationem dicti sui vates *quia*, inquit, *levavit se super se.* In sermonibus Prophetarum alia ex alia oritur difficultas. Scitum est apud Philosophos idem non posse moveri simul duobus contrarijs motibus. Quomodo ergò potest aliquis levare se supra se, cum id fieri nequeat nisi sursum, & deorsum tendendo? Sed quantumvis Philosophia reclamet, possibile usitatumq; esse quod Propheta asseruit, nullatenus dubito. Paradigmatis præfati iste est sensus: ea de causa, omnis servitio Divino ab adolescentia mancipatus vir atq; singularitatis & taciturnitatis amans, beatus dicitur quia se supra hominem extulit, conversationem suam non in terra neq; cum hominibus verùm in cælis cum Deo ipso constituendo. Et sanè qui Claustrali solitudini addictus est, etiam vulgi opinione major homine creditur; ideoq; apud sæculum summa habetur in veneratione. Sacri nominis Doctor adductum ex Jeremia textum ad propositum Monasticum eiusq; solitudinem Cænobiticam trahit dum eò contra quendã vagum & discursantem Monachum utitur in Epistola ad Domnionem sic scribens: *Parcat mihi, parcat sibi, parcat nomini Christiano. Monachum se esse non loquendo & discursando sed tacendo & sedendo noverit. Audiat Ieremiam dicentem: bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua, sedebit solus & tacebit, quia tulit jugum super se.*

Origo ipsius.

Annal: lib: 2. Cap: 3.

Eadem solitudo beatificatur.

E San-

E Sanctis plurimos Eremi Claustralis præcones invenias. D. Bernardus cellam cum Cælo ut nominis sic & pietatis habere cognationē asserit. Drexelius metropolim Spiritus Sancti apellat. Alij Paradisum vocant: alij locum dilectionis & lusus cum Sponso: alij hortum spiritualibus vernantem floribus. Hîc redolentium species pigmentorum, hîc fragrantia animæ odoramenta, rosæ charitatis igneo rubore hîc flammescunt, lilia castitatis niveo candore albescunt, violæ humilitatis omniaq; diversarum virtutum germina diversis coloribus venustantur & perpetua viriditatis vivunt vigentq; gratia. Encomia ipsius è SS. Pri:

At forsitan magis nos ad studium & custodiam memoratæ solitudinis movebunt damna consequentia ex evagationibus per quas illa violatur, quàm laudes eiusdem hactenus recitatæ. Enimverò deserti claustralis desertio si sæpiùs & diuturniùs fiat, personis quidem perniciem at ipsis Monasterijs machinatur ruinamMathæi. 17. Expedit Christus Petrum ad piscationem. Vade, inquit, ad mare: mitte hamum, & piscem qui primus ascenderit tolle. scilicet, ad tributum exoluendum. Petri nomine intelliguntur qui Petri tenent gradum hoc est Prælati & quicunq; jurisdictionem in subditos habentes: Pisces, Religiosi sunt. Hinc S. Hieronymus Bonosi perfectam conversationem præclaro celebrans encomio: *Bonosus*, inquit, *quasi piscis aquosa petit: nos pristina contagione sordentes quasi reguli & scorpiones arentia quæq; sectamur.* Jubentur ergò superiores pro exigentia necessitatis hamū obedientiæ mittere eôq; Religiosum illum qui primus instinctu Spiritus Sancti in eorum cor ascenderit, non qui se insinuaverit non qui se obstruserit, extrahere ex stagno Monasterij ad hoc vel illud opus peragendum, ad hoc vel illud negotium seu ministerium exercendum. Lates subter aquas pellucidas Religiosæ clausuræ super aquas fertur Spiritus Domini, liberet foras exilire? ne exeas, contine te in alveo tuo, expecta donec superior jussionis suæ hamum in te mittat, tunc primò exilies, tunc te foras proripies. Sed velim nosse cur Religiosi piscibus assimilentur? nunquid ideò quia sicut pisces muti sunt ita illi stricto addicti silentio; cùm in quovis cænobio extra Psalmos silentium fit? recta ratio. Legi & aliam in Decretalibus. quia sicut piscis sine aqua ita Monachus absq; Monasterio. Piscis si diutius extra liquidum elementum fuerit, aut gelu rigescit aut calore solvitur breviq; emoritur. Eodem pacto & quivis claustralium si extra Monasterij septa longiori spatio demoretur, periclitatur de vita, morte peccati sensim eum invadē e. Crebrior sæcularium visitatio assiduitatē, assiduitas familiaritatem, familiaritas periculum facit; tandem ex periculo mors enascitur: quisquis enim illud amaverit peribit. Obliquus sermo, oculus lubricus, manus petulans dum in periculosa familiaritate liberiùs agunt, interitûs animæ indicia sunt. Fortasse lucraturus animas adducto supercilio de sacris literis extra philosopharis? sed crede mihi bonus sermo secreta non quærit; quin potius delectatur laudibus suis & testimonio plurimorum. Non inter fusos & calathos mulierum, verùm inter eruditos viros de Divinæ legis dogmatibus disputatur. Cave ne dum magister egregius in unius mierculæ clandestina eruditione desudas, & tuam & ipsius animam uno quasi rotatu gladij percutias qui lucrari volebas. Sat grande malum: sed grandius longè si ipsi quo-

Evagationes nocivæ Religiosis.

Ad chromatiū

 que Mo-

Monasterijs & Religionibus. quę Monasterio imò toti Religioni perniciosa sit eiusmodi evagatio. Threnorum 4tò Jeremias quatuor mundi plagas quadruplici plangens alphabeto, inter acerbos singultus lugubre illud occinuit carmē: *Dispersi sunt lapides sanctuarij in Capite omnium platearum.* Quid verò inde mali mæstissime Propheta? multum profectò. Actum est de sanctuario: actum est de templo DEI. Nunquid enim fabrica domûs Divinæ consistere firma integraq; poterit dum lapides structuræ eius disjecti, dispersi! Interpretentur id, licet, Hebræi de everso Solymæo templo: nos mysticam cum Sanctis Patribus dabimus expositionem. Lapides hi Religiosi sunt cùm ex illis vivum DEI templum multò augustius & acceptius DEO quàm fuerit Jerosolimitanum ipso Spiritu Sancto architecto construatur. *Ad Heliodorum.* *O solitudo* (Hieronymi adduco exclamationem) *in qua illi nascuntur lapides de quibus in Apocalipsi Civitas æterni Regis exstruitur.* Eiusdem est quod sequitur. *Certè, inquit, flos quidam & pretiosissimus lapis inter Ecclesiastica ornamenta monachorum & Virginum chorus est.* Hi itaq; lapides si è loco suo moti dispergantur per plateas, si dispersi hinc inde in vijs & compitis inter tumultus perstrepentis populi conspiciantur; actum est de sanctuario, de Monasterio, actum de Religiosa observantia, imò de ipsa cænobij totiusq; Religionis fama quæ vita nostra civilis est. Quid enim obsecro sæculares varij status conditionis & sexûs homines frequentem nostram evagationem spectantes & considerantes cogitant, quid loquuntur? vellem aliud cogitarent aliud dicerent, sed profectò nihil aliud nisi Monachos istos, non esse Monachos, non solitarios, non religiosos verùm nescio quos de trivio, de compitis, de plateis circumforaneos rumigerulos, entia otiosa, & quidquid aliud in mentem buccamque, ut vulgo dicitur, venerit, hæc cogitant, hæc loquuntur & obloquuntur. Nulla ipsis jucundior fabulandi materies quàm eiusmodi causa Monachorum carpere nomina, eorumq; vagos dinumerare gressus. *Ad Domnionem.* *Miror,* ait, sæpè memoratus Doctor, *miror non erubescere juvenem & Monachum lustrare sæcularium domos, hærere salutationibus matronarum, Religionem nostram paganam facere.* En vides ex tanto testimonio, per evagationes Monachorum Religionem Catholicam in gentilismum commutari, Monasterium in prostibulum converti, sanctuarium DEI in sinagogam sathanæ dedicari.

Annales lib: 2. cap: 27. Feræ silvestres venustiores & fulgidiores pelles habent quàm domesticæ bestiæ. sic & Religiosi tumultum ac consuetudinem mundanorum vitantes, pulchriores gratiosioresq; sunt in conspectu DEI & hominum, qua olim similitudine Reges Hungari in laudem nostrorum utebantur. *Similitudines variæ.* Volucres in domibus & convictu hominum silent, quæ dum solitariæ essent, suaviter cantitabunt. Columbæ dum intra cellulas suas latitant, extra periculum sunt: foras evolantes, sæpè unguibus accipitris lacerantur. In coquina aut macello qui fuerit diutius, nidorem carnium secum effert. In multitudine hominum, floccis de alieno vestimento derasis sordidamar. Seneca quoq; quoties inter homines fuit minorem se semper redisse protestatur. Ad illud hæc omnia diriguntur ut qui de singularitate censemur nominis ac vocationis nostræ pensantes rationem, turbam & mundana contubernia fugiamus majoriq; portæ monasticæ amore & custodia teneamur. Virginem in porta Typo-

ta Typotius pictam præsentat quæ in caprarum pedes desinit. Addidit Hieroglipto Lemma: *Religione & custodia.* Nobis quadrat symbolum qui fidei morumq; integritate virgines esse adstringimur. Virginitatis enim ut prærogativa ita & vocabulum utriq; congruit sexui. Sicut ergò Virginum rarus est in publicum processus veloxq; reditus qui per suras plantasq; caprarum signatur; ita & noster exitus rarus sit isq; non extortus à superiore per importunas instantias, per varios colores per fictas & callidè compositas necessitatis allegationes: sed sit ex Præpositi arbitrio communisq; utilitatis causa susceptus. Post peracta peragenda maturandus reditus & cum festinatione ad cellulam regrediendum. Religione & custodia domûs vallata virginitas in tuto est. absq; his comitibus atq; appenditijs velut in salo fluctuat naufragio proxima. Et integritas nostra intra Monasterij cavernas salva est. in publico ubi vagari cum sponsa cœperit, teristrum amittet pudicitiæ. *Hieroglipton.*

Tædet, inquies, intra parietes Cænobij diutius commorari & propterea mundi solatiola quæruntur. Sed certè sufficient tædio depellendo Religiosa exercitia si ea negligere noluerimus. Si nunquam de manu & oculis nostris recedat liber, si discatur Psalterium si oratio fiat sine intermissione si corpus pariter & anima tendatur ad Dominum. Noctu ad orationes & psalmos consurgamus. mane hymnos psalmosq; recitemus. 3tiâ 6tâ 9nâ. hora stemus in acie quasi bellatores Christi accensaq; lucerna reddamus sacrificium vespertinum. Orationi succedat lectio scriptioque, lectioni oratio. In reliquo operis pensum quod ipsi injungitur, unusquisq; absolvat. Sic dies transeat si nox inveniat laborantes. Brevè videbitur tempus quod tantis operum varietatibus occupatur. Sic gaudebimus vespere dum diem expendemus fructuosè. *Præocupatio.*

Ergò eruditi ac incitati exemplo Christi ex deserto nostro ante finitam currentis vitæ Quadragesimam pedem ne efferamus nisi superioris urgeat præceptum, & manifesta requirat causa. Fugiamus conversationes mundanas omnesq; sæcularium consuetudines & familiaritates nostro statui reputemus contrarias, videre & videri, salutare & salutari, laudare & detrahere, proloqui & obloqui, hominumq; frequentiam intueri & à proposito & quiete Monachorum aliena judicemus. Cella sit nobis cælum. Civitas & quilibet convictus hominum sit nostrûm unicuiq; carcer & solitudo Paradisus sicuti fuit Institutori nostro, sicuti Antonio alijsq; Eremicolis, imò ut plùs dicam ipsis etiam veteris testamenti Eremitis. *Filij Prophetarum quos Monachos in veteri testamento legimus ædificabant sibi casulas prope fluenta Iordanis & turbis urbium derelictis polenta ac herbis agrestibus victitabant. Filij Ionadab qui vinum & siceram non bibebant, qui habitabant in tentorijs & quos nox compulerat sedes habebant, scribuntur in Psalmo 70. primi sustinuisse captivitatem eò quòd ab exercitu Chaldeorum vastante Judæam urbes introire sunt compulsi.* Istis ergò Civitas quæq; in quam securitatis causâ propter hostium metum se recipiebant, Carcer erat & captivitas solitudo autem atq; acta sub pellibus vita Paradisus. Si ante Christi exemplum tantus solitudinis amor quantus in nobis esse debet qui & magisterio tanto, provocamur & nostro proposito! *Ad Rusticum.* *Monachi veteris testamẽti amatores solitudinis.*

Sponsus animarum nostrarum secretiores amat secessus. Verecundus est, intus solùm vult nobiscum ludere. Ne ergò quæramus eum per vicos & plateas Civitatis non circumeamus angulos oppidi. Foris vagentur virgines stultæ nos cum eo intrinsecus maneamus, cellas quæ sunt cellaria ipsius arctiori inhabitemus custodia ut ibi exultemus & lætemur uberibus consolationum Divinarum recreati.



OBSERVANTIÆ REGULARES.

CRastina festivitas in memoriam nobis revocat ritum Purificationis Beatissimæ Virginis MARIÆ. Quòd videlicet præscripto per legem Mosaicam tempore sese continuit separatam & impletis diebus Purificationis ingressa est sanctuarium, adduxit secum Jesulum, pro se orationem fieri postulavit, filiumq; suum paupere oblatione redemit. Quid nos per id docet Virgo Beatissima cuius vita doctrina nostra est? nimirum ut quemadmodum ipsa Legem Mosaicam etiam ceremonialem & quæ ad culpam non obligaret exactissimè observare voluit; ita nos regulares observantias ad solùm pœnæ non culpæ reatum obstringentes non contemnamus non negligamus sed studiosè servemus & impleamus.

Porrò observantiæ Religiosæ quæ sunt quædam status regularis proprietates in duplici statuuntur differentia. Aliæ morales vocantur quæ ad morum compositionem & reformationem spectant: ut silentium, sotialitas in eundo, solitudo in cellis, abstinentia extra tempus à refectione, & multæ istiusmodi. Aliæ ceremoniales ad ritum pertinentes quales sunt: inclinationes, veniæ petitiones, manuum sub scapulari gestationes, & cæteræ idgenus. Hæ omnes propriæ sunt imò summè necessariæ instituto Religioso. Et ut aliquas saltem breviter perstringam.

Silentium. Silentium tanti momenti est proprietas Religiosa ut absq; ea nequidem Monachi aut Religiosi nomine dignus sit ne quidem Monasterij habitaculo dignus sit quiscunq; ille. Isaias qui non tam prophetiam texuit quàm Evangelium cap: 32. ait: *opus justitiæ pax & cultus justitiæ silentium.* quasi diceret. pax quidem est fructus & effectus justitiæ at silentium est ipsum eiusdem exercitiū ut hinc discas, qui silentij cultor est eo ipso justitiæ cultorem esse. Ex adverso igitur justus non erit quicunq; silentij violator est, & quod consectarium, Religiosus non erit; cùm justitia generale quoddam animi bonum (sic enim in allegato passu accipitur) omnis virtutis & vel maximè Religionis à qua Religiosi per antonomasiam nuncupamur, comprehendat apparatum. *Qui non refrænat linguam suam huius vana est Religio,* inquit, Jacobus Apostolus in sua Canonica. quod dicit, idem est: In vanum se Religiosum nominat qui linguam suam ab otiosis non coercet colloquijs & statis horis ac locis taciturnitate ac infantia linguæ seipsum non damnat,

damnat, nec ponit custodiam ori suo & ostium circumstantiæ labijs suis. Atq; ideo cum Monasteria solorum habitacula sint Religiosorum, ob ipsum loquacitatis extra tempus vitium meretur quis eijci & à contubernio sanctorum ne contagione cæteros perdat segregari. Quare rogo Angeli è cælo deturbati? Richardus à Sancto Victore respondet: *Multitudo Angelorum ante casum siluit quamdiu voluntati sui Creatoris humiliter obedivit. sed diabolus silentium rupit, locutus est superbiam & in hæc verba prorupit: Ponam sedem ad Aquilonem similis ero altissimo*, ideoq; præcipitatus è Cælo. Sic & Religiosus per fractionem silentij in diabolum commutatus, dignus est è cælo & cella Monasterij exturbari & à consortio aliorum in quiete ac taciturnitate orationi meditationi contemplationi scriptioni lectioni alijsq; pijs exercitijs invigilantium sequestrari. Ipsa Virgo Beatissima, Magistra Religiosorum, usq; adeo erat silentij amatrix ut non nisi quater locuta esse à Bernardo mellifluo consideretur. Primò ad Angelum sum tempus Annuntiationis. Secundò ad Elisabeth. Tertiò ad Filium in templo inter Doctores sedentem. Quartò in nuptijs Cana Galileæ ad eundem. Si vasi odorifero aut pretiosum liquorem continenti desit operculum, omnis odor evaporat. Furno si desit repagulum, calor erumpit. Domus aut arca quæ non occluditur, nec serâ firmatur, vacua esse omni re pretiosa judicatur. Rotæ canthis stridentes, currum ponderosis non esse onustum mercibus ostendunt: sic & Monachus locutuleius cui os ad fabulas patet facilè, indicat se in corde suo non habere margaritum devotionis & internæ consolationis, nullumq; thesaurum perfectionis & virtutum sibi inesse, deniq; nomen inane Religiosi se portare. Si nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum; multo magis, damnosa est in Regularibus garrulitas apud quos extra psalmodiam, silentium lex indicit. Hypocrates adjurabat discipulos antequam doceret & in verba sua jurare compellebat extorquebatq; ab ijsdem Sacramento silentium. Medicus animarum nostrarum Christus Dominus ad scholam Religiosæ vitæ nos admittendo consilijs Evangelicis simul legibus silentij nos obstrinxit; solvere piaculū sit! Poëtæ mortuos homines *silentes* vocant. Virgilius 6tò Æneidos: *Quæsitor Minos urnam movet. ille silentum conciliumq; vocat vitasq; & crimina discit.* Mortui mundo sumus; silentes itaq; esse oportet ut eò commodius vocationis nostræ exercitijs insistamus. Rectissimè quidam spiritualis Pater dicere solitus, ibi Monasterium esse reformatum imò instar cæli benè ordinatum ubi lex silentij vigeret. Nam ubi siletur, ibi Religiosis negotijs & spiritualibus exercitijs tempus impenditur & cur ad Religionem ventum sit, tacitè ponderatur. *Est & fideli tuta silentio merces.* Eius igitur amore silentiarij simus. Simus velut aquæ Siloe quæ vadunt cum silentio, non sicut aquæ Sichor turbidæ ac perstrepentes ut imaginem missi quod sonat *Siloe* hoc est Christi Domini de quo illud Isaiæ oraculum: non clamabit, nec audietur vox eius foris, effingamus in nobis.

ApudMomingo in Dr. ctorio.

Horatius.

Et socialitas in eundo summopere necessaria statui Religioso. Marci 6tò dicitur quòd Dominus binos & binos discipulos miserit in omnem Civitatem & locum. Quare binos? propter mutuam consolationem ait Euthimius. Origenes propter antiquum inquit morem conservandum. Nam & in veteri lege Moyses Aaronem Josuè Calebum & alij alios habu-

Socialitas.

Apud Apont: in Mathæum.

os habuere socios. Bernardus ait propter honestatem id Dominum fecisse quæ magis ubi duo sunt quàm ubi unus refulget. Addo ego quòd Christus binos miserit propter securitatem animæ. non quòd Apostoli obnoxij essent lapsui, sed ad instructionem futurorum sæculorum ut videlicet nos exemplo Apostolorum bini incedamus si securi & extra periculum ruinæ esse volumus, nisi necessitas manifesta & nullus periculi timor superiorisq; rationabile mandatum aliter suadeat. Certissimum solivagis arbitrio suo hinc inde spatiantibus minatur & vaticinatur casum Ecclesiastes. *Væ soli, quia cum ceciderit non habet sublevantem se.* ubi ut notat Pineda, particula væ, non est imprecantis malum non gementis aut dolentis sed annuntiantis inevitabile infortunium non solùm, quia cum ceciderit solivagus non habebit sublevatorē sed etiam quia futurum est ut cadat aliquando. Quòd quidem verissimum esse considerata humana inconstantiâ rerumq; casibus nemo negaverit. Locum hunc adducens & perpendens Thomas Cantipratensis ait: *Quàm vera sit hæc sententia novi ego, qui triginta annis in diversis Provincijs vices Episcopi gessi, qui in Religiosis qui soli vadunt in vijs vel soli manent in curijs horrenda mala horrendaq; audivi frequenter scandala quæ nunquam sustinuissent adjuncto socio vel fecissent.* Ob hæc absurda incomitatos eiusmodi errones dæmonibus assimilare ausus Doctor Angelicus. Monachus, aiebat ille, Monachus solus, est dæmon solitarius. De agmine columbarum crebrò accipiter unam separat quàm statim invadat & laceret, cuius carnibus & cruore saturetur. Morbida ovis suum relinquit gregem & luporum faucibus devoratur. Idem fit cum Religioso qui sinè socio sine teste arbitroq; conversationis suæ ad sæculum ex claustro procedit.

Solitudo in cella. Solitudo in cella id est consortij & consuetudinis cum extraneis imò & cum fratribus nisi adsit Superioris consensus, repudiatio, aliarum observantiarum non postrema. Ad eam adhortatur Divus Hieronymus imperfectos & inobservantes ac sæcularium conversationi addictos perstringendo Monachos: *Monasterij solitudinem, hospitum frequentiâ commutamus.* Idem ad Marcellam, *videri* inquit *& videre, salutari & salutare, proloqui & alloqui à proposito & quietè Monachorum aliena sunt.* *(Ad Eustochiũ.)*

Mitto alias in particulari attingere, sufficiat in communi dixisse quòd Deus non solùm punit sed etiam severè vindicat omnes quantumlibet minutos regularium defectus. Psaltes de Moyse & Aaron canit: Invocabant Dominum & ipse exaudiebat eos custodiebant testimonia eius. Deus tu propitius fuisti eis & ulciscens in omnes adinventiones eorum seu affectiones ut legit S. Augustinus. Propter affectiones non bene ordinatas severam sumebat vindictam Dominus ex Moyse & Aaron. *(Apud Laurentiũ n Aponte in Mathæum)* Tales adinventiones seu affectiones sunt Religiosæ inobservantiæ quæ non obstringunt peccato nec pænæ spirituali nisi legali. Has Deus non modo punit sed etiam vindicat dirissimè tum devotionem tollendo tum spiritum extinguendo tum in peccatum miserrimè labi permittendo, permittendo quoq; eiusmodi inordinatis laborantem affectionibus vexari anxietate & scrupulis, lacerari otiosis cogitationibus, iræ passionibus, persecutionibus, infirmitatibus & tandem morte accelerata vel subitâ confici. *(In observãtiæ Regulares qualiter à Deo puniũtur)* Quamobrem si quando ex astutia malitiavè subditorum vel superiorum socordia aut favore vitioso inobservantiæ non

puniuntur,

puniuntur, Deus locum superiorum subintrans, ad examen apponit & flagellum. Nunquid enim Deus non est judex etiam legalis Reipubl., legalium observantiarum: ecquid superioribus non plectentibus, legalis culpa impunita manebit? Minimè verò. non quidem reservabitur ad ignem purgatorij, cum peccatum non sit sed temporalem pœnam, temporalem vindictam non effugiet. Et certè justissimè vindicantur à Deo severa ultione transgressiones minutæ. sunt namq; Religionis & uniuscuiusq; Religiosi ruina. Cant: 2. *Capite nobis* monet cælestis Paterfilias, *vulpes parvulas quæ demoliuntur vineas*. Vulpes magnæ vix nocent vineis, quia statim advertuntur & capiuntur aut fugantur. sed vulpeculæ inter vepres, delitescentes & aspectum fugientes maximo vineis nocumento sunt. Sic & transgressiones circa observantias, ceremonias, constitutiones ad culpam non obligantes, quæ vel contemnuntur quasi ab ijs nullum immineat periculum vel tanquam leves non caventur, Religionem paulatim subruunt & in dissipationem, eneruando disciplinam regularem, sensim deducunt. Quilibet Religiosus, ne dum Religio, vinea est. *Viro enim sapienti id est probo* (ait Pannonius in hunc locum) *sua vita vinea est, sua mens, sua conscientia. Nihil quippe incultum desertumvè in se derelinquit. Stultus, hoc est reprobus & tepidus, non ita. Cuncta quidem apud eum neglecta invenies, cuncta jacentia, cuncta inculta & sordida. Nec in eo vitis virtutis, nec botrus boni operis, nec vinum lætitiæ spiritualis, dicente scriptura: Per agrum hominis pigri transivi & per vineam viri stulti & ecce repleverunt totum urticæ & operuerunt superficiem eius spinæ & maceria lapidum destructa erat. At verò bona vinea justi imò bona vinea justus, cui virtus vitis, actio palmes, cui vinum testimonium conscientiæ, cui lingua torcular expressionis. Vides apud sapientem apud religiosum bonum & fervidum vacare nihil sterile nihil sed omnia fructificare. sermo, cogitatio, conversatio, & si quid est aliud in eo, totum* Dei *agricultura,* Dei *ædificatio, & vinea Domini sabbaoth.* Cæterùm huic vineæ nunquam insidiæ nunquam infestationes desunt à vulpibus. Vulpes eidem Pannonio tentationes sunt. Parvulæ ergò vulpes, parvulæ erunt tentationes quæ nimirum ad leviores titillant & trahunt defectus ut ad manus liberiùs ventilandas, ad aspectum hinc inde girandum, ad miscendos vetito tempore sermones, ad indulgendum suæ commoditati dum ad Ecclesiam signum campanæ vocat, ad jeiunia Religiosa frangenda, ad omittendas inclinationes, mortificationes, & similia. Parvulæ vulpes hæ sunt; sed non parvum ab ipsis, religiosarum conscientiarum vineto periculum. Nisi maturè capiantur, certò certiùs flores externæ compositionis & modestiæ depascent, fructum boni operis impedient, radicem quæ gratia est corrodent & tandem ad abominationem desolationis adducent vineam quondam electam & gratiosam. Capite ergò vulpes has parvulas, capite in casses textas è licijs verborum sacrorum, è tesseris eiaculatorijs. Rete sacra scriptura est, rete Regula nostra est, rete constitutiones sunt. Hæc retia tendamus & extendamus ad capiendas bestiolas nocivas, obijciendo illis, aliter scripturam sacrã docere, aliter monere regulam, aliter constitutiones præcipere quàm vulpeculæ hæ ganniant quàm tentationes & motus ad inobservantias trahentes suadeant. Æternæ, ut dicunt, veritatis propositio est. *Qui*

Transgressiones minutæ ruina Religionibus & Religiosis afferũt.

spernit modica paulatim decidet. Et Hieronymus ait: *Non sunt contemnenda ut parva sine quibus magna consistere non possunt.* Certè magnum perfectionis Religiosæ bonum absq; observantijs Regularibus acquiri nequit. S. Pachomius silentij & aliarum Religiositatum violatores per Theodorum Monasterij, in quo erant transgressores illi, superiorem durè corripuit dicens ad Theodorum. *Nunquid existimant fratres quòd traditiones quas illis dedimus servandas humanæ sint? num nesciunt quòd pro contemptu etiam minimi mandati magna pericula negligentes maneant.* Imitemur itaq; Virginem Beatissimam, Dominam & Magistram nostram & quidquid nobis in Regula & statutis ad tenorem vitæ Religiosæ perfectiùs traducendæ pertinens præcipitur, esto non sit obligatorium ad culpam, diligenti studio & fervore indefesso ad unguem observemus. Et quia è numero Regularium observantiarum est humilis culparum confessio hanc gestu & affectu humili ad DEI gloriam maiorem, Virginis Beatissimæ Purificatæ honorem, nobis ipsis purificandis faciamus.

In vita eiusdē



IEIVNIVM.

EVangelium crastinæ Dominicæ ponit ob oculos mentis nostræ Christum Dominum quadraginta diebus & noctibus jejunantem & postea esurientem non alio ut reor mysterio nisi ut doceamur non modò in quadragesima nobis jejunandum esse sed & exactâ eâ esuriendum. *In quadragesima quidem in qua continentiæ vela pandenda sunt & tota aurigæ retinacula equis laxanda properantibus,* rigor jejunij servandus; postea verò ita comedendum ut comestionem sequatur esuries ut videlicet tota vita nostra nihil aliud sit nisi militia nisi pugna contra edendi & bibendi concupiscentiam, nihil sit aliud nisi continuum abstinentiæ exercitium. Et quia potissimum ferijs quadragesimalibus & sæcularis & Religiosus *suos in jejunando dimittere debent equos,* incitatorem acturus, primùm quidem naturam jejunij ostendere deinde studium amoremq; ipsius, monitis ac exemplis sanctorum commendare desidero.

Hier: ad Lætū

Idem.

In omni inquisitione oportet primum intelligere quid per nomen significetur cum id præcognitionem quandam afferat ad rei proprietates posterius intelligendas. Unde D. Augustinus Manichæum hæreticum ostendit graviter inde lapsum quod nesciret quid esset malum de malo disputaturus. Jejunium ergò, sic definiente Isidoro, est parsimonia victus abstinentiaq; ciborum. Hinc discis jejunium actum esse abstinentiæ, & materiam circa quàm versatur, cibos habere. Ad tria ex mente Doctoris Angelici ordinatur. *ad concupiscentias carnis reprimendas, ad mentem in superna elevandam, ad satisfaciendum pro peccatis.* Unde illis potissimum temporibus indicuntur jejunia in quibus oportet homines à noxis mundari & mentes fidelium elevari in DEUM per devotionem, qualia tempora sunt quadragesimæ, vigiliarum ante præcipuas festivitates, & angariarum.

Pannon: in expositione Regulæ: Iejunij quid? Quis & quotuplex eius finis. 2. 2. q. 147. art: 1.

Necessitas

Necessitas jejunandi unicuiq; à natura insita est. Ad prædictos enim effectus, ipsi naturales stimuli, ciborum assumere suadent abstinentiam. *Tempus autem modumq; abstinendi secundùm convenientiam atq; utilitatem populi determinare, Prælatorum Ecclesiæ jurisq; positivi est. Sicut namq; ad sæculares Principes pertinet præcepta legalia juris naturalis determinativa tradere de his quæ spectant ad communem utilitatem in temporalibus rebus; ita etiam ad Prælatos Ecclesiasticos pertinet statutis præcipere ea quæ ad commune commodum fidelium in rebus spiritualibus referuntur.* *Necessitas jejunandi.* *S. Thomas.*

Determinavit ergò Ecclesiæ authoritas carnibus ac lacticinijs, quoties jejunatur, temperandum. Carnes siquidem animantium in terra nascentium & respirantium, nec non utensilia ex eis prodeuntia, uti sunt, lactaria ac ovorum vitelli magis quàm alia esculenta conformantur humano corpori, atq; idcirco magis delectant & nutriunt ac proinde plus ut sanguinis ita & seminalis succi procreant, cuius multiplicatio maximum est incitamentum luxuriæ. Determinavit item comestionis tempus, horam nonam. Sic enim habetur in Concilio Chalcedonensi: *In Quadragesima nullatenus credendi sunt jejunare qui ante manducaverint quàm vespertinum celebretur officium.* quod quadragesimali tempore post nonam peragitur. Convenit nimirum hora ista mysterio passionis Christi, quia hæc completa fuit horâ nona quando Redemptor noster inclinato capite tradidit Spiritum. Porro per horam nonam nolo intelligas eam quæ vulgi opinione æstimatur, sed meridiem aut postmeridianum tempus: nam & passio Domini cui per jejunium conformamur crucifigentes carnem nostram cum vitijs & concupiscentijs, consummata est post meridiem. Vel certè juxta expositionem Cajetani in summam D. Thomæ, accipe consuetam comedendi in jejunio horam. Determinavit insuper numerum comestionis quia ut ait D. Thomas *moderatione Ecclesiæ statutum est ut semel in die à jejunantibus comedatur.* Ne tamen gravetur natura & ne nimia inanitas debilitet stomachum viresq; ad salutaria perficienda opera auferat, à prima secundæ quoq; locus datur refectioni. Jam vide mihi quàm nobis necessaria inediæ lex si per eam & concupiscentia refrænatur & mens in superna ascendit & peccatum aboletur. Caro enim in nobis semper concupiscit adversùs spiritum continuâque luctâ spiritus cum carne & vicissim decertat: interibimus, nisi carnis sartaginem frigore jejunij restinguamus. Fomes in carne relictus inflammat quotidie rotam nativitatis nostræ: peribimus, si per saturitatem & frequentiorem comestionem oleum flammæ adjicere voluerimus. Ardor corporum qui spiritui adversatur, frigidioribus epulis & modica refectione temperandus est. Non Æthnei ignes non Vulcania tellus non Vesuvius & Olympus tantis ignibus æstuant ut juveniles medullæ dapibus & potu inflammatæ. Deinde in supernis nostra beatitudo est, in supernis Patria nostra est, in cælo meta & bravium peregrinationis est nostræ. Illuc ergò continuò aspirare ascendereq; fidei ac bonorum operum & desideriorum gressu necessum. Atqui nihil magis deprimit hominem quàm crapula quæ non sinit nisi de terrenis cogitare. Gulosus enim *pernicies & tempestas barathrumq; macelli* solis jocandi ludendi potandi dormiendi tenetur desiderijs. Si itaq; æterna vita, æterna beatitudo cordi nobis est, per jeju-

Qualitas ciborum determinata est ab Ecclesia pro jejunantibus. *Quare carnes & lacticinia prohibita?* *Determinatū quoq; tempus comestionis.* *Determinatq item numerq comestionis.* *Motiva jejunandi tria.* *Primum.* *Secundum.* *Horatius.*

Tertium. per jejunia casta mentē ad spiritualia, ad sublimia bona elevemus. Tandē in multis offendimus omnes. Unde igitur offendimus, inde reconciliemus. Caro peccavit, caro placabit; peccavit saturitate, placabit inanitate.

Ultra hæc incitamenta, innumerabilia prorsus sunt Divina & Sanctorum Patrum responsa quæ gulam damnant & simplices cibos jejunijque rigorem probant quæ tamen planè omnia ad tria recensita capita reducuntur, quæ proinde replicanda non censui: exempla tamen Sanctorum non pigeat in memoriam frequentiùs reducere. *Horum enim vita cæteris norma vivendi est & dum justorum conversationem cognoscimus velut quendam nobis innocentiæ tramitem virtute eorum reseratum imitantibus vestigijs persequimur.* *S. Ambrosius.*

Exempla jejunij. Moyses ad recipienda in monte Sinai mandata Divina per jejunium se se disposuit. Elias antequam in Cælum curru igneo subveheretur sese inedià meceravit. Ipse Salvator mundi ante inchoationem sui operis, ante prædicationem Evangelij Quadragesimam in summa abstinentia absolvit. Quæ exempla conglomerans D. Hieronymus inter alia vivendi præcepta hoc vel maximum inculcat Demetriadi Virgini. *Post cogitationum diligentissimam cautionem, jejuniorum tibi arma sumenda & canendum cum David: Humiliavi in jejunio animam meam & cinerem tanquam panem mandicavi. Eva per cibum ejecta est è Paradiso. Elias quadraginta dierum exercitatus jejunio, igneo curru rapitur in cælum. Moyses quadraginta diebus ac noctibus familiaritate & sermone* DEI *pascitur in se verissimum probans quod dicitur: Non in solo pane vivit homo sed in omni verbo quod procedit de ore* DEI. *Salvator generis humani qui virtutum & conversationis suæ nobis reliquit exemplum, post baptismum statim assumitur à spiritu ut pugnet contra diabolum & oppressum atq; contritum tradat discipulis conculcandum. Et tamen hostis antiquus post quadraginta dierum jejunium per cibum molitur insidias & dicit: si filius* DEI *es dic ut lapides isti panes fiant.* Idem ad Lætam de institutione filiæ scribens postquam indulsisset teneræ ætati carnium uti edulio, statim subjecit: *Hoc autem dico juxta indulgentiam non juxta imperium, timens debilitatem, non docens luxuriam, alioquin quod judaica superstitio ex parte facit in rejectione quorumdam animalium atq; escarum quod & Iudæorum Brachmani & Ægyptiorum gymnosophystæ in polentæ & oriza & pomorum solo observant cibo, cur Virgo Christi non faciat in toto? Si tanti vitrum quare non majoris sit pretij margaritum?* Idem est dicere: dum permitto in tenera ætate constitutis carnium esum, non suadeo nec impero, sed indulgeo. aliàs certè etiam teneræ expediret ætati arctum servare jejunium & illud facere ex religione quod Judæi ac Sacerdotes idolorum faciunt ex superstitione. (illi namq; suillas carnes aliasq; escas reijciunt, hi in solo pomorum acquiescunt obsonio) & illud in toto præstare quod Judaismus & paganismus in parte præstat. Jam hic à fortiori arguere licet: Si infirmæ ætati & imbecillo sexui austeritas suadetur jejunij, quantùm robustis viribus, quātùm viris Religiosis virtus sectanda abstinentiæ, nobis præcipuè quibus in Regulæ tenore dicitur: *Carnem vestram domate jejunijs.* nobis, qui solitudinis arcemur terminis ut jam cæperit non licere quod ante voluimus. Job 39. interrogat Dominus servum suum: *Quis dimisit onagrum liberum, vincula eius quis solvit? Cui dedi in solitudine domū, taberna-*

Solitudinis cultores vel maximè ad jejuniū adstrīguntur.

tabernacula eius in terra salsuginis. Contemnit multitudinem Civitatis vocem exactoris non audit. Mysticum hic intelligi Onagrum vel ex ipso contextu patet. Virum scilicet solitarium, Religiosum, Eremicolam quem dimisit Dominus liberum quando eum in libertatem filiorum DEI vocavit & asseruit, vincula solvit, quando de compedibus mundi absolvit ut dicere possit cum Psalmista: Dirupisti Domine vincula mea. Solitudo domus eius, ideoq; contemnit multitudinem Civitatis sola solitudine claustri delectatus. Vocem axactoris non audit. hic subsisto & ad enodationem puncti huius attexo historiam. Fuit Monachus quidam, genere Ægyptius, Serapion nomine. hic quodam tempore venit Athenas ibiq; per triduum commoratus cæpit vehementer quarta die esurire, neq; enim erat, qui ipsi panem præberet, ille quoq; non habuit unde emeret. Conscenso igitur in media Civitate colle ubi Philosophi & præcipui Officiales capita conferre consueverant, cæpit magna voce clamare: Adeste viri Athenienses, adeste, ferte opem misero. Accurrunt illi, quis sit & à quo vim patiatur inquirunt. Ægyptius sum genere, respondet, professione Monachus, à quo autem discessi ex mea patria, tres fæneratores seu exactores deprehenderunt me qui etiam sæpiùs graviter afflixerunt. Et à duobus quidem exoluto ipsis debito liber evasi. Tertiùs autem nequaquam me sinit quiescere, continuò suis molestat exactionibus. Ænigmaticum hoc responsum petunt sibi explanari Athenienses. Ille verò tres, inquit, exactores sunt: Avaritia, libido, & gula. Et jam quidem avaritia & libido recesserunt à me, nam nihil proprij habeo contentus endromide quà amicior; voluptatibus quoq; quæ sunt nutrices libidinis non fruor, solus edendi & bibendi appetitus mihi molestus esse non cessat. Quartùs enim est dies à quo integra fame maneo; venter autem meus inanitate & rugitu nimiùm affligit me, consuetum requirens tributum. Adstantes confictâ & compositam narrationem ad extorquendum aliquid suspicati, aureum ipsi obtulerunt quem ille acceptum in officina panaria posuit acceptoq; libone panis ex eorum oculis & civitate excessit. Hinc jam perspicuum est quis sit exactor, cuius vocem onager spiritualis non debet audire. Si avaritiæ & libidini obligati non sumus, certè appetitio edendi & bibendi nunquam nos deseret. Durus is exactor est, in modicis & vilibus non conquiescens: exquirit pisces, carnes, cibos esculentiores & gustui suaviores, liquamina dulcia & generosa; tu tamen vocem eius ne audieris, obtura aures, clamorem eius contemne. Equidem si iterum iterumq; desideria eius spreveris, etiam milio & cibario pane contentus silebit. Nimirum *latrantem stomachum bene lenit cum sale panis.* Tales onagri erant Sancti Anachoretæ ut Patriarcha noster cuius vita integra quid aliud fuit nisi austera jejunandi consuetudo. S. Antonius perfectionis miraculum. S. Hilarion de quo illud memoriæ proditum: *Herbarum succo & paucis caricis post triduum vel quatriduum deficientem animam sustentabat orans frequenter, psallens & rastro humum fodiens ut labor operis laborem jejuniorum duplicaret.* Taceo portentosa plurium hebdomadarum jejunia quæ magis mirari quàm imitari convenit. *Neq; enim immoderata imperamus jejunia & enormem ciborum abstinentiam quibus statim corpora debiliora franguntur & ante ægrotare incipiunt quàm sanctæ conversationis jacere fundamenta.* Sic debemus

Habetur hæc historia in annalibus nostris lib: 2. cap: 8. & in Palladio.

Tres exactores qui?

Horatius.

In vita eiusdem.

S. Hieronymus

Discretio in jejunando servanda.

bemus jejunare ut non palpitemus & respirare vix possimus; ut fracto corporis appetitu nec in lectione nec in psalmis nec in vigilijs solitò quid minus faciamus. Etiam sexus infirmior onagros imò & Jalisiones spirituales habuit vocem exactoris non audientes. Ex omnium mulierum choro produco unam S. Paulam universarum decus matronarũ de qua illud extat elogium: *Tanta erat continentia ut propè mensuram excederet & debilitatem corporis nimijs jejunijs contraheret, quæ exceptis diebus festis vix oleum in cibo caperet ut ex hoc uno æstimetur quid de vino & liquamine piscibus & lacte & melle & ovis & reliquis quæ gustui svavia sunt judicaverit in quibus sumendis quidam se abstinentissimos putant, & si his ventrem ingurgitaverint, tutam pudicitiam suspicantur.* Sed præ omnibus fortissimè nos exemplo suo ad amorem abstinentiæ trahit Virgo Beatissima cuius unius vita Authore Ambrosio omnium est disciplina. Huius in jejunando rigorem idem Doctor præclara celebrat panegyri. *Quid exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam? alterum ultra naturam superfuisse, alterum ipsi naturæ penè defuisse. Illic nulla intermissa tempora hìc congeminatos jejunio dies. Et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerumq; obvius qui mortem arceret non delicias ministraret.* His ergò incitamentis moti, austeritate victûs ad celebrandam Resurrectionis Dominicæ festivitatem purificemur, Cælestibus à Christo consolationibus impinguandi.

In vita eiusdem.



VERECVNDIA

ET CUSTODIA SENSUUM, POTISSIMUM OCULORUM.

MYsterium Incarnationis eo ordine, quo ab æterno decreverat, executurus Dominus Angelum è supremis unum juxta tenorem Evangelij crastini mittit ad Virginem Maternitatis Divinæ honori & officio ante secula destinatam, ut eam de intimo Divinitatis doceat consilio & ad consentiendum suavibus moveat argumentis. Velocior fulgure Mercurius Cælestis sistit se in conspectu orantis Virginis arcana sui adventus aperturus. Vix orsus sermonis prologum, vix officiosam salutationem prætexuit, & ecce timere Virgo pallere rubereq; ac inusitata alterari vicissitudine. Turbatur ad aspectum & vocem Archangeli. *Turbata est in sermone eius & cogitabat qualis esset ista salutatio.* cur ita? *Disce Viginem verecundiâ*, ait Ambrosius, *trepidare Virginum est & omnes viri affatus vereri.* Tunc certè convenientissimè canticum illud occini MARIÆ poterat: *sicut fragmen mali punici ita genæ tuæ.* Quia namq; verecundiæ rubor, cuius sedes in genis, tinxerat Viginalem faciem, mali punici visa fuit præseferre speciem. Sed quare veretur ac verecundatur viso Angelo? nostro equidem metuebat periculo quæ non timebat suo, voluitq; imitandi præbere specimen ut quasi ex vivo archetypo similem in nobis æmulo formam studio exprimeremus. Hoc igitur ectypum intuentes, verecundiæ imaginem vivis coloribus in nostris pingamus animis.

Doctor

Doctor Angelicus effigiat verecundiam velut quodam penicillo e-iusmodi definitione: Est timor cuiuscunq; turpitudinis exprobrabilis. Eiusdem testimonio, est passio laudabilissima imò & virtus secundùm acceptionem communem, in quantùm virtutis nomine dignamur omne illud quod est laudabile in actibus habitibus & passionibus. Discrepat ab erubescentia in eò quòd hæc est timor de turpitudine exprobrabili committenda, illa verò de commissa. Hîc tamen unam ab altera non distinguo uti nec juxta vulgarem usum distinguuntur. *Natura verecundiæ.*

Laudibus virtutis huius aut potiùs virtuosæ passionis favent linguæ omnes præter eas quæ transiverunt in terra & quæ nihil nisi quod flagitiosum sit laudare consueverunt. Ecclesiastici 7. cuivis rei pretiosæ in auro signatæ antefertur. *Gratia verecundiæ super aurum.* Ambrosius in eius encomijs multus: *Verecundia,* inquit ille, *est socia ac familiaris mentis placiditati, protervìam fugitans, ab omni luxu aliena, sobrietatem diligit, honestatem fovet & decorem requirit.* Pannonius in Caput 6. Canticorum hac eam celebrat panegyri. *Verecundia quasi aurora quædam purpureo rubore omnium actuum colorat principia & virgineo virtutes reliquas venustat pudore.* Cicero vocat custodem virtutum omnium. Mediolanensis Antistes præter ea quæ in laudem ipsius (ut paulò superiùs adduxi) dixerat, vocat comitem pudicitiæ. Et rectè. Pudicitia enim à pudore nuncupata, propriè circa illa versari solet de quibus homines maximè verecundantur, quales sunt actus ad quos dulcium sæva Mater cupidinum impellit. Nec solùm de ipso opere carnali sed & de signis eius, aspectibus nimirum impudicis, osculis, tactibus maximè verecundatur homo; cum eiusmodi rebus delectationes quærantur quæ ob sui vehementiam opprimunt rationem suntq; potiùs brutales quàm humanæ. Ad signa præfata erubescenda propriè se extendit pudicitia: ad opus ipsum refrænandum castitas dirigitur. Pudicitia igitur sivè eam strictiùs, sivè etiam pro castitatè, ut sumi solet, accipias, utroq; modo habet semper comitem verecundiam. *Laus eiusdem ex Scriptura & SS. PP.* *Lib: 1. de Offic.* *2. 2. q. 15. art. 4.*

Sed fortasse honori boni istius deroget quòd non in omnium animis fidam sibi constituere queat stationem. Quærit S. Thomas an in hominibus virtuosis possit esse verecundia. Negativam tenet deciditq; dupliciter in aliquo deficere verecundiam propter duplicem rationem aliquod malum non timendi; vel quia non apprehenditur ut malum vel quia æstimatur ut vix possibile seu ut facilè vitabile. Deficit itaq; verecundia in aliquo vel quia ea quæ sunt erubescibilia non apprehendit ut turpia & hoc modo carent verecundià homines in peccatis immersi ac inveterati qui gloriantur cum malè fecerint; vel quia apprehendit turpitudinem ut impossibilem sibi aut tanquam facile vitabilem & hoc modò senes ac virtuosi carent verecundia, sic tamen sunt dispositi ut si in eis esset turpe aliquid de eo confunderentur. Ex hoc Angelico discursu advertis, solis perfectis & firmatis in amore Divino verecundiam non convenire; cæterùm nobis quos vel levis tentationis flatus à soliditate dilectionis avertit & huc illucq; agitat, necessaria est, utpote honestatis seu pulchritudinis spiritualis comes & custos. Cur itaque Virgo Beatissima qua nihil in creatis perfectius, verecundata est & ad conspectum Angeli velut ad aliquid exprobrabile narratur trepidasse? Verecundia hæc in Virgine motus fuit rationem præveniens, quales mo- *An imperfectis verecundia locum habeat.*

 tus in

tus in quibusvis reperiuntur passionibus: quanquam perfectos, quandoq; verecundos esse B. Bernardi vita testatur ut ait Card: Caietanus in expositione Summæ.

Ecclesia verecunda.

Et verò quid perfectius, quid virtuosius Sponsâ Dei Ecclesiâ quæ sine ruga, sine macula, tota pulchra speciosa perfecta in Canticis prædicatur & tamen vel maximè in ea placuit Altissimo gratiosa hæc purpura. Quid enim aliud illa oratio Sponsi quàm roseum commendat pudorem: *Sicut cortex mali punici ita genæ tuæ.* Sedes verecundiæ in genis est. Hæ ergò dum rubenti crustæ malogranati assimilantur, procul dubio rubor pudoris commendatur. Ampliùs excurrit in laudes verecundæ Sponsæ Cælestis Sponsus: *Quàm pulchra es*, ait ille, *amica mea, quàm pulchra es, oculi tui columbarum absq; eo quod intrinsecus latet.* vel juxta hebraicam lectionem: *Oculi tui columbarum intra crinem tuum.* Cincinni enim cirrati parcè prominentes oculis mulierum addunt decorem & pulchritudinem. Rabbi Jona, pro, intra crinem tuum, vertit, *intra velum tuum.* ut sensus sit, oculos Sponsæ modestissimos & pudicissimos vereq; columbinos intra velum (quo subtilissimo facies eius velaretur) fuisse, ut non quidquid liberet, liberè aspicerent sed jam palpebrarum jam velaminis muniti tegmine, necessario duntaxat conspectui deservirent. Velum equidem oculorum verecundia est, magisq; eos à curioso frænat obtutu quàm subtilissimum transparentis gestamen telæ. Æmulatricem aut veriùs correctricem naturæ dixeris quæ oculos occultari volens, villo pilorum ac folliculis ciliorum occuluit; unde etiam nominis traxerunt proprietatem. Copiosum sanè ac luculentum suæ excellentiæ testimonium nacta est virtus hæc ex ipso Divino ore, ut vel ideò nos omnes in sui amorem trahere possit si velimus sequi. Sed & actus peculiaris eiusdem in eodem testimonio indicatur.

Apud Pannon: in Cant.

Principalis actus verecūdiæ custodia oculorum.

Hic autem est, ut oculos qui in sensibus ad cognoscendum principes sunt, diligenti servemus custodia ne ad videnda ea moveantur quæ linguas hominum ad exprobrandum provocare sufficerent. Initium namq; omnis turpitudinis exprobrabilis, incautus aspectus. Lamentatur ex persona peccatoris Propheta. *Oculus meus deprædatus est animam meam.* At quomodò oculus deprædari potest animam cum utpotè materialis, sit inferior anima spirituali distetq; hæc ac superet altitudine illum, quantùm regio Cælorum superat terrestrem globum? Prædones dum in alto res positas diripere nequeunt, scalas applicant pluribus constantes gradibus earumq; beneficio suæ indulgent cupiditati. Hoc utitur artificio oculus ad spoliationem animæ. fabricat scalam & per gradus ascendit donec ad ipsam rationis arcem pertingat universos expilaturus thesauros. Gradus scalæ huius scire vultis? En illos ex Glossa super illud Jobi. Pepigi fædus cum oculis meis. *Visum sequitur cogitatio, cogitationem delectatio, delectationem consensus, consensum opus, opus consuetudo, consuetudinem necessitas, necessitatem desperatio, desperationem damnatio.* Ascensus scalæ huius facilis est sed descensus difficilis ne dicam impossibilis. Ex visu ad cognitionem, ex hac ac delectationem, ex ista ad consensum, & quò hic consummatur ad opus, tandem ad consuetudinem, ex consuetudine ad necessitatem, deniq; ad desperationem facile est naturæ corruptæ scandere sed revocare gradum hìc opus hìc labor est! In alto constituti ex vertigine præ-

Suadetur custodia oculorū ex malis aspectum consequentibus.

cipitium

cipitium patiuntur: idem contingit illis qui ad peccandi necessitatem per frequentatos actus velut ad culmen improbitatis pervenerunt. Vertigine corripiuntur ambulantq; in circuitu donec cadant ad imum promeritæ damnationis barathrum æternùm infelices! Justè igitur plangit Propheta: *Oculus meus deprædatus est animam meam*, quandoquidem tota spiritualis gazæ jactura ex oculo trahit originem. Initium vastitatis in anima aspectus est. Considera Evam Matrem humani generis quæ nobis priùs occidendo per aspectum obfuit quàm vivificando profuit; respice Filios DEI videntes filias hominum; Dinam, Achan, Davidem, aliosq; innumeros per visum ruinam passos intuere, & huic subscribes veritati. Alipius quoq; D. Augustini contubernalis teste eodem Augustino, si non aperuisset oculos, quod proposuerat ad scenica vocatus spectacula, non fuisset captus amore impudicarum theatralium insaniarum. Deniq; quidquid malorum quidquid flagitiorum ac facinorum in mundo, ex visu velut ex fonte derivatur. Quia enim nihil est in intellectu quod non fuerit in sensu, aspectus autem principem habet in sensibus locum, sequitur nihil posse cognosci per intellectum nihil appeti per voluntatem, quod priùs non fuerit haustum per videndi facultatem. Ideo sancti quiq;, & perfectioni Christianæ studentes Religiosi ut mentem suam ab impuris servarent cogitationibus & cogitatui maligno succedaneis operibus, deprimebant oculos claudebantq; & juxta monitum Evangelicum spiritualiter sibi eruebant. Celebratissimus ille Joannes Eremita 90. annis nullam fæminarum vidit nec se videri ab ulla passus licetq; nobilissima ac religiosissima mulier quædam impatienter eum videre cupiverit & vehementer per maritum suum id impetrare laborarit, nihilominus non obtinuit, in somnis duntaxat visionem eiusmodi consecuta. Arsenius matronam Romanam redarguit quòd ad se visendum per tot terrarum ac maris spatia perrexerit petentiq; pro se oraret, respondit, *orabo ut nunquam tui memoriam habeam*. Theodorus B. Pachomij discipulus matrem & sororem propriam videre noluit. Idem de ipsomet Pachomio & Simone Stylita veteres memoriæ prodiderunt. Marcum Anachoretam lego salutationis officium parenti suæ clausis oculis impendisse & verba dedisse ædificatoria; hoc idem fecisse Piorem dum eum soror uterina inviseret. Eusebius Eremicola frænaturus oculos à curioso agrorum & aratorum conspectu, zonâ ferrea cinxit lumbos & collare ferreum collo circumdedit, alioq; ferro conjunxit zonam cum collari ut hoc modo pronus effectus lumina in terram continuè defixa gestare debuerit. At in similibus, magis superstitionis quàm devotionis speciem gerentibus moderatio & discretio adhibenda est. Verecundia & modestia focale est fortius ferreo; oculorum nostrorum evagationem coercere & potentiùs & fructosiùs valet. Ut recentiora quoq; memorem, in historijs Fratrum Minorum narratur quendam fratrem vitæ purissimæ nomine Rutgerum diligentissimum fuisse oculorum suorum custodem, sic, ut nunquam in fæminas etiam cognatas quas alloqui necesse habebat, eos conjecerit. Unde Pater spiritualis qui probè conscientiam eius noverat, percontatus est quid causæ esset quòd tanto puritatis dono præditus vultum tamen averteret à conspectu mulierum honestarum? respondit homo sanctus & à DEO illustratus: *Pater*, inquit, *quando homo facit quod in*

Exēpla incauti cautiq; aspectus.

In Confessionibus.

Vide vitas PP.

Apud Teretiū in libro Arma Lucis.

se est & occasiones peccandi fugit tunc vicissim DEUS *facit quod in se est & hominem tuetur ac custodit. At quando se homo conjicit in discrimen, tunc etiam justè à* DEO *deseritur atq; ita fit ut ob naturæ corruptionem, facilè in peccatum gravè prolabatur.* sancta equidem & verissima doctrina quam ut in tabulis cordis nostri carnalibus, charactere nunquam abradendo scribamus, dignissimum. Etiam domestica custodiendi oculos præstò sunt incitamenta. Monet enim Regula *ut oculi nostri etsi jaciantur in aliquam fæminarum, in nullam figantur cùm abominatio sit Domino defigens oculum.* Cælius noster in explanatione; *minimè* inquit, *tutum est figere aspectum in fæminam cum statim sequatur cor motum lascivientis oculi.* Cuius regulæ exactum fuisse custodē Gregorium Strigoniensem, Generalem 26. in Annalibus invenio, qui prudentissimo astu studiosos formæ muliebris capiebat & vindicabat inspectores.

Sed à proposita ad aliam materiam ponè delapsus sum & dum urceum facere cogito, amphoram finxit manus. A verecundia digressus, oculorum custodiam commendavi, quanquam connexa hæc esse, hancq; ab illa pullulare præmonui. Verecundiæ igitur est facere sensus diligenter custodiri, & vel maximè oculos raptores ad culpam. Eiusdem est cum matura vultus ac morum conformatione gravitatem præseferre, abstinere à verborum blanditijs, arrisionibus, nutibus, omniq; huiusmodi agendi libertate, nec hanc severitatem ulla de causa ulliusq; gratiâ unquam relaxare. Eiusdem quoq; est non tantùm præsentium oculos vereri sed etiam seipsum erubescere, nec audere clàm facere quod palam offenderet. Homo castus oculos assiduè defixos gerit in DEUM, in sui custodem Angelum, & seipsum. Coram his tribus turpe quid facere aut cogitare tam verecundaretur quàm coram toto Orbe terrarū. Carnem propriam nudam conspicere piaculum reputant verecundi. Sic Amon castissimus Licum flumen trāsiturus horrebat vestē ponere ne seipsū nudum cogeretur videre ideoq; in præmium pudicitiæ meruit occulta vi traijcere aquas. Sic D. Antonium, Hyacinthum, Casimirum, aliosque non minus in abscondito quàm in publico verecundos miratum est cælum.

Alij Actus verecundiæ.

Verecundia seu pudor, pro eodem enim à Doctore Angelico usurpantur, in omnibus quidem laudabilis: *Æquè pauperibus prodest locupletibus æquè. Æquè neglectus pueris senibusq; nocebit.* specialiùs tamē ad eius amorem religiosos adhortatur B. Athanasius: *Sit igitur,* inquit ille in exhortatione ad Monachos, *pudoris ac reverentiæ vestræ tuta ac firma custodia.* In eo amore & pretio apud gentiles etiam fuit ut quædam dixerit: *sed mihi vel tellus optem priùs ima dehiscat ante pudor quàm te violem.* Hic pudicitiæ ardor Religiosos decet, ad quos diriguntur illa Apostoli verba: *Omnia à vobis honestè fiant;* verecundia enim honestatem fovet quia cavet ne quid turpe & confusionē dignum committatur. Et profectò quia locum sanctitatis occupamus, maiori præ cæteris exprobrationi & linguis hominum patemus si quid turpe egerimus. Bonum opus quod in luce & propalam facimus, non tantū laudatur quantùm malum quodcunq; à nobis gestum exprobratur nec

q. 151. art: 4.

Horatius lib: 1 ep: 1.

tanta nobis gloria poſt victoriam quanta ignominia poſt ruinam. Soli eclipſato quidam appoſuit inſcriptionem: *Cum deficit ſpectatorem habet.* Nos tangit ſymbolum. Non mirantur homines vel certè non magnopere ſi luceat lux noſtra coram ipſis; at ſi defecerimus, ſi claritatem in tenebras peccati commutaverimus, tunc ſpectant, tunc mirantur, tunc ad exprobrandum habenas ori ſuo laxant, ut audire liceat: En Religioſum, en Monachum, en Dei Sacerdotem, qualia agit, qualibus ſe occupat? Iſta ne eſt Religioſorum vita? hæccine converſatio? Etiamne Deo ſacrati homines moribus ſeculi imbuuntur? Nec mirum quòd facilè conſpectui & exprobrationi occurrat turpitudo noſtra. *Crimen* enim *tanto conſpectius in ſe quanto maior qui peccat habetur:* ſeculares porro eam de nobis hauſerunt opinionem quaſi, de eadem maſſa, qua illi, formati non ſimus, quaſi peccatis non ſimus obnoxij, quaſi in cælis nidum collocaverimus, unde nos nulla tentationum vis detrahere valeat. Amuletum contra linguam humanam *quæ eſt quotidiana fornax noſtra,* verecundia eſt. Hanc igitur colamus, omnem deformitatem, omne quod nobis juſtè exprobrari poſſet & propter quòd confuſio faciem noſtram operiret, ſtudioſè vitemus. In altero ſexu omnia ſuſpecta putemus, imò etiam tuta timeamus. Oculos intra velum verecundiæ teneamus. Servemus lucentes hos globos aſpectui Chriſti, aſpectui hominum Sanctorum, conſpectus muliebres formidemus, affatus vereamur, conformes verecundiæ Marianæ ſic futuri.

Iuvenalis.

S. Auguſt: in Confeſſ:



HONESTAS.

FEſtum Purificationis Beatiſſimæ Virginis Mariæ craſtina die celebrat S. Mater Eccleſia: ſupponit proinde verè purificatam eſſe, & tamen nullatenus Beatiſſima purificari potuit vel eguit. Unde exclamat Bernardus: *Verè o Beata Virgo non habes cauſam nec tibi opus eſt purificatione.* Cui enim bono purificaretur in qua nullæ ſordes erant, cui nulla macula inhærebat. Tota totiſſima pulchra & per naturã & per gratiam quomodo poſt partum illum indigeret mundari quò in lucem editus ipſe Deus homo, puritatis non deſtructor ſed author? Certè non ſubjacuit legi Moſaicæ illa quæ non communi via, non ſuſcepto ſemine at ipſa virtute Spiritus Sancti obumbrantis concepit & peperit Filium Dei. Cur ergò ſolemni ritu purificationem Mariæ celebrandam inſtituit Eccleſia? Purgationem ſeu purificationem duplicem ego conſidero, paſſivam aliam & hæc locum in Virgine Matre non habuit: activam aliam & hanc in Deipara cultu religioſo veneramur. Puritas namq; Mariana non fuit ſterilis non infœcunda ſibiq; ſoli ſufficiens; at extra quoq; copioſis ſeſe diffundebat ſcatebris, ab ijs, quos attingeret, impuritatis affectum abigendo, & ſtudium ſanctioris vitæ imprimendo. Id dum brevibus documentis ex ſacra ſcriptura petitis comprobo, ſimul ad pulchritudinem ſpiritualem, quâ chariſmata Mariæ æmulemur, invito.

Apud D. Bonaven: in cap: 2dum: Lucæ.

Purificatio duplex.

Canticorum 2. Sponſus cæleſtis pulchritudinem Mariæ intuitus tali eam deprædicat encomio: *Sicut lilium inter ſpinas, ſic amica mea*

inter filias Adæ. Insigne elogium nisi cæteris præjudicium inferre videretur! Ergone sola Virgo beatissima lilium, cæteræ autem omnes mulieres ab Adam descendentes spinæ sunt? Nonne tot in veteri testamento fæminæ insigni erant ornatæ pudicitiâ, nonne tot Virgines eximia præcellentes castitate? Scio equidem Judithas, Estheres, Susannas, & millenas alias extitisse pudicissimas matronas: cur itaq; non mereantur lilium appellari? Nunc verò in novo testamento adolescentularum non est numerus quæ mori potiùs quàm castitatis jacturam subire eligerent? Cur ergò honorificum lilij nomen ipsis negetur? *Flos sunt Ecclesiastici germinis, decus atq; ornamentum gratiæ spiritualis, læta indoles, laudis & honoris opus integrum atq; incorruptum,* cur non lilium? Persistit in sua sententia Divinus Spiritus & solam MARIAM lilium, omnes extra illam, spinas nuncupat: *Sicut lilium inter spinas.* Quid ita? Nimirum estò aliæ Virgines ac mulieres, fuerint sintq; defacto non minus castæ quàm pulchræ, estò penes suam formam sint pudicissimæ; aliorum tamen corda venustate corporis tanquam spinæ pungunt, vulnerant, cruentant, & ad fædam concupiscentiam nolentes trahunt. Sola Virgo superbenedicta non tantum non pellexit quempiam aut pupugit ad impuros affectus & motus, verùm quos aspexisset aut qui eam aspexissent, in eis comprimebat sopiebatq; ad tempus saltem, libidinis sensum. Omnium sui spectatorum animos ab illicitis purgabat & purificabat cogitationibus. Sane lilium! *Hoc enim rebelles castitati motus compescit, hebetat proclivem sensum in libidinem, & casta dat somnia.* Unde quidam: *castos dant lilia somnos.* Si respectu Virginis Beatissimæ, Matronæ Virginesq; pudicissimæ, spinæ sunt; quid erunt illæ quæ naturam adulterant dum vultus cerussâ & pigmentis colorant imò potiùs decolorant. contra quas invehitur acriter D. Cyprianus. *Si quis pingenai artifex vultum alicuius & speciem & corporis qualitatem æmulo colore signasset & signato jam consummatoq; simulacro manus alius inferret ut jam formata jam picta quasi peritior reformaret, gravis prioris artificis injuria & justa indignatio videretur. Tu te existimas impunè laturam tam improbæ temeritatis audaciam, DEI artificis offensam? Quod ornari te putas quod putas comi, impugnatio est ista Divinitatis prævaricatio est veritatis. Quanta hæc amentia effigiem mutare naturæ, picturam quærere. Tolerabiliora propemodum in adulterio crimina sunt. Ibi enim puditicia, hîc natura adulteratur.* Sed redeo ad MARIAM.

D. Cyprianus.

Pannon: in Cantica.

De habitu Virginum.

Idem Divinus Sponsus defixus in admiratione speciei Marianæ & in quandam amoris raptus extasim sic ait: *Oculi tui columbarum absq; eo quod intrinsecus latet.* acsi diceret: Oculi tui o MARIA, columbini quia simplices, modesti, nitidi, pudici & præter hoc aliquam specialem insignem & planè Divinam habent sibi inhærentem occultam qualitatem. quæ autem hæc qualitas? quid illud intrinsecùs latens in oculis Marianis? Virgines ac mulieres aliæ habent etiam oculos columbarum si in obtutibus suis sint modestæ, quietæ & pudicæ; licet nihilominus eiusmodi columbino gaudeant aspectu, nocent qualitate insita luminibus suis, quâ animos spectatorum inficiunt ac instar fascini cuiusdam illigant, uirusq; concupiscentiæ medullis miserorum immittunt. Unica Beatissima Virgo contrariam proprietatem sacratissimis innatam luminibus possedit, quâ non modò non inficiebat verùm etiam, quisquis infectus

fectus esset, expurgabat & contagionem concupiscentiæ depellebat. Suffragatur huic expositioni D. Bonaventura in hunc modum. *Oculi tui columbarum absq; eo quod intrinsecus latet, scilicet quod nullus ex aspectu gloriosæ Virginis quamvis esset pulcherrima urebatur aut inflammabatur ad fœdam carnis concupiscentiam in hac scriptura demonstratur, sed eam potius extinguebat Divinus ille aspectus quasi frigidus ex oculis Virgineis ros efflueret.*

Tertium hieroglyphicon puritatis Marianæ alios purificantis depromo ex Ecclesiastico ubi seipsam Virgo Beatissima comparat cum myrrha & Cedro: *Sicut Cedrus exaltata sum. Sicut myrha electa odorem dedi.* Sint aliæ similitudines appositæ ad Mariam Virginem; mihi ista comparatio non videtur quadrare laudi eiusdem. Credrus spinosa & aspera est, myrrha amara: quid autem asperitatis & amaritudinis in MARIA? tota lenis hoc est suavis & benigna, tota dulcis, imò dulcedo ipsa ut nec nominari possit quin accendat, nec cogitari quin recreet affectus nostros, nec unquam sine dulcedine portas memoriæ nostræ ingrediatur. Quia tamen his seipsam assimilat arboribus, proportio & analogia secum non potest ijs non inesse. Credrus & myrrha infestæ sunt venenatis insectis. Illa enim odore suo serpentes abigit, ista vermes. Et Virgo sacratissima odore Angelicæ puritatis suæ fugabat excetras Avernales cum suis illecebrosis sibilis ac suggestionibus, propulsabat lascivos ex cordibus humanis affectus & quidquid vermem conscientiæ germinare potest exterminabat. *Puritas MARIÆ* ait Bernardinus de Busti *omnium corda penetrabat & omnes motus illicitos in eis comprimebat. Et ideo comparatur Myrrhæ & Cedro, quia sicut odor Myrrhæ fugat vermes & odor Cedri fugat serpentes sic & odor suæ Virginitatis de cordibus aliorum expellebat motus brutales.* *Serm: 4. de V. MARIA.*

Scripturæ authoritati accedunt testimonia Sanctorum Patrum. S. Ambrosius: *Tanta,* inquit, *erat gratia castitatis in MARIA ut non solum in se virginitatis gloriam servaret sed etiam his quos viseret integritatis insigne conferret.* Hugo de S. Victore. *Quia in corde MARIÆ amor Spiritus Sancti singulariter ardebat ideo in carne eius mirabilia faciebat.* Doctor Angelicus in 3. senten: distin: 3. 9. art: 1. ad 4. *Pulchritudo* inquit *B. Virginis ad castitatem excitabat.* Testes appello veritatis huius convictores Deiparæ Josephum, Joannem Apostolū, Dionysium Areopagitā quantū ex conspectu & cōvictu Virginis in castitatis totiusq; justitiæ Christianæ cultu profecerint, notissima eorū clamat sanctitas. Guilelmus Marchio à Turrè Majoris, usus pro symbolo Sole eclipsato cum lemmate: *Sic mutor ad illam,* designans, ut sol obiectu lunæ mutatur ita se in alium mutari præsentiâ consortis. Si sacra profanis miscere & conferre liceat, luna mystica Virgo Beatissima eam habet virtutem ut immutet homines in suum candorem defixos. Ardeas licet ut Sol diebus canicularibus, si te statuas contra eam, si aspicias, si ores, mutaberis: ex impudico fies pudicus, ex lascivo continens, ex improbo sanctus. *Sæpè tulit blandis argentea lilia Nymphis,* canit Propertius de vestali Tarpeia. Hæc, hæc sacratissima vestalis, lilia castitatis nobis afferre & conferre & vult & potest si illos suos misericordes oculos ad nos convertat. *Lib: de instit: Virg: cap: 7.* *Apud D. Tho: in exposit: salut: Angel:*

Pulchritudo MARIÆ etiam aliquid ad informandos mores nostros

 innuit.

Pulchritudo MARIÆ docet ne simus spectatores corporalis pulchritudinis.

innuit. Quid illud? ut à pulchritudinis corporalis quæ in omnibus extra Virginem Beatissimam spinosa est caveamus intuitu. Cruentabitur quisquis inhæserit. Cogites, cui aliena decoris blanditur species, spinas, rubum, viscum te videre. Cogites quòd flos iste, flos spinarum, sit, ferit & perit; ferit quia sub lenocinio formæ latentes infigit aculeos, perit; momento enim rapitur fulgor qui radiat genis, & quævis dies formosi spolium auferre potest corporis. Sit quispiam vel quæpiam, rosarum & liliorum calathus, eboris ostriq; commercium, habeat in vultu omnes veneres cupidinesq;, hora sequens totam hanc formositatis gratiam morbi alicuius accursu dissipabit. Proposito Monastico nihil magis contrarium quàm nitoris corporei vel in se ipso studium vel in sexu diverso admiratio. Decus Monachi pallor & macies. Acriori animaduersione dignus Religiosus nitidioris formæ amator quàm Sabinianus Diaconus his ab Hieronymo redargutus: *Quasi victima paratus Libitinæ in proprium funus ornaris, amiciris linteis, unguenta fragras, mutas balneas & contra renascentes pugnas pilos, per forum ac plateas nitidus ac politus amator incedis.* Puerorum est auratos codices spectantium, circa deaurationem & picturam occupari, medullam libri doctrinam nimirum non quærere: ita puerile est in externa corporis specie sistere & immorari nec ad Authorem eius amandum intendere, non intendere ad animam quæ sustentat carnis pulchritudinem imò ipsa est corporis forma, eaq; recedente corpus in cadaver, color roseus in pallorem, in saniem & putredinem vigor commutatur. Nisi ergò pungi velis, nisi uri desideres, ardenti venustatis rubo nè appropies! spinas sauciandus ne complectere!

Docet item ut simus pulchritudinis spiritualis amatores.

Aliud est quod ex consideratione Marianæ pulchritudinis docemur, nimirum ut simus *pulchritudinis spiritualis amatores & bono Christi odore de bona conversatione fragrantes.* Etiam enim hæc magnam habet vim spectatores ad amorem puritatis & rectitudinis excitandi. Suadet id Doctor Angelicus dum ait: *Contemplatio pulchritudinis spiritualis est principium amoris spiritualis.* Et Tullius ab eodem adductus: *Forma ipsa & species honesti si oculis cerneretur mirabiles amores excitaret sapientiæ.* Nec pulchritudo corporea Virginis perbeatæ aliunde, crediderim, habuit quòd impuros sopiret affectus & ad sectandam stimularet castitatem nisi à decore spirituali qui fulgorem corporalem non tantum magis magisq; cohonestabat sed etiam ita moderabatur ut nonnisi sancta, non nisi honesta alienis ingereret mentibus. Ita fuit contemperata & ordinata pulchritudo corporea cum spirituali in speciosa præ filiabus hominum Virgine ut illa huic cederet vimq; istius non impediret nec minueret sed promoveret & augeret. Quemadmodum si beatus aliquis in glorioso speciosissimo corpore alicui mortali appareret, non ad turpitudinem sed ad honestatem moveret quia in eo pulchritudo externa corporalis regeretur & regularetur ab interna; ita MARIÆ intuitus in qua ad instar beatorum subiectissimus erat appetitus sensitivus rationali, rationalis DEO; non ad impura pelliciebat ast sanctitatis procreabat amorem, quia animæ pulchritudo externam corporis venustatem regebat ordinabat & ad vim effectumq; spiritualem elevabat. Si namq;, quod ait Aug: *Rationalis substantia quæ ab omni peccato munda, est DEO subiecta, subiectis sibi cæteris dominatur;* profectò anima

2.2. q.27 ar. 1

Pulchritudo MARIÆ corporea à spirituali pulchritudine pendebat.

De vera Religione.

ctò anima Virginis auguſtiſſimæ, utpotè ſemper munda à peccato, ſemper Deo ſubiecta, corpori eiuſq; pulchritudini ita imperabat ut nonniſi ſancti per ſpeciem corpoream produceretur effectus. Omnis ergo gloria pulchritudinis Marianæ, omnis efficacia eiuſdem ab intus, à ſpirituali.

Virtutem præfatam attribuit pulchritudini ſpirituali ſcriptura Cant: 4. *Dentes tui ſicut grex tonſarum quæ aſcenderunt de lavacro. Omnes gemellis fætibus & ſterilis non eſt in eis.* Per dentes intelligit Pannonius Doctores Eccleſiæ qui populo Dei concidunt & comminuunt cibum verbi Divini. Ex his alij anteriores qui & inciſores, alij poſteriores qui molares vocantur: anteriores ſunt Apoſtoli qui doctrinam Chriſti in 4. Evangelia inciderunt. poſteriores ſunt qui hucuſq; molunt ſcripturā expoſitionibus & prædicationibus. Plerumq; in ſacris literis, quæ ſpecialiter dicuntur, etiam generaliter intelligi poſſunt. Sæpe enim talia tractantur de ſpecie ſeu parte quæ etiam generi, hoc eſt toti, apertiſſimè congruunt. Quare monet Auguſtinus de doctrina Chriſtiana libro 3. ne Lector quærat in ſpecie quod in genere poteſt melius & certius inveniri. Quia ergo præfatus Canticorum textus omnibus in genere fidelibus aptiſſimè convenit, à ſpecie ad genus inoffenſo pede tranſeamus. Omnes quotquot faucibus Eccleſiæ inſerti ſumus, dentes ſumus. Omnes panem quotidianum Divini Verbi mandere & ruminare neceſſe habemus ut in aluum memoriæ traijciamus, vitam ſpiritualem hoc pacto conſervaturi. Quæris quæ dentium proprietas? Candidi debent eſſe ut oves candidæ ſunt ex lavacro aſcendentes. Candidi, inquam, immaculati, nullo ſpurcitiarum atrore contaminati. Quid porro inde? ſi candidi fuerint non plus certè nec magis maſticabunt quàm quos aliqua infecit nigredo? Fructus candoris fidelium eſt, quòd ſicut oves gemellis fætibus gaudentes, multiplex pietatis germen in alijs procreabunt. Non erit ſterilis in eis honeſtatis candor, non erit ſterilis pulchritudo ſpiritualis; cogitationes ſanctas, affectus pios, decentiſſimam converſationem admirabili fæcunditate in alijs pariet. Sed iterum, quod in expoſitione ſacræ ſcripturæ licitum eſt, à genere ad ſpeciem deſcendo. Per dentes Sponſæ ex ſenſu Bernardi vel maximè intelliguntur Religioſi. Hi namq; fortes debent eſſe & duri ad maſticandos quoſcunq; groſſiores adverſitatum bolos; in carne radicati carnem tamen non habere; nihil fæcium intra ſe pati; per pacem & fraternitatis unitatem bene ſecum cohærere ne turbato vel unico dente caput totumq; congregationis corpus acri dolore vexetur; unus ſupra alium non promineře ne tota corporis deformetur ſtructura. Hi igitur dentes ſi candore niveo ſi candore albedinem ovium ablutarum æmulante refulſerint, fætus omnigenos variarum virtutum in ſpectatoribus proferent. Ex intuitu eorum fideles ſancta propoſita concipient & vitæ melioris parient exempla, uti oves Jacob ex aſpectu virgarum vario colore oculis ludentium concipiebant pariebantq; variegatos fætus. Etiam ex conſpectu uvarum quæ ad maturitatem ſolaribus coctæ radijs pervenerunt, liveſcunt aliæ & colore pinguntur violaceo. *uvaq́, conſpectâ livorem ducit ab uva.* Si tanta vis pulchritudinis uvarum; quanta honeſtatis per oculos totumq; corporis habitum ab anima fulgurantis?

Pulchritudo ſpiritualis excitat proximū ad virtutem.

Eggerer in anathem.

Vide Ticonij regulas apud Augu. lib: de doctri: Chriſtiana.

Iuvenalis.

At viſio, inquies, eſt principium amoris. Quomodo ergo honeſtas quæ ſecundum Auguſtinum, eſt pulchritudo intelligibilis, & ipſa amari

& ad amorem boni honesti cæteros provocare poterit quæ videri nequit. Spirituale enim & intelligibile est extra obiectum visus. Qui hæc opponis, velim scias honestatem seu pulchritudinem spiritualem in eo consistere quòd conversatio hominis sivè actio eius sit conveniens cum rationis lumine; sicut pulchritudo corporalis ex eo pendet quòd corpus habeat membra proportionata cum quadam debiti coloris claritate. Enimverò ad rationem pulchri & decori concurrit & claritas & debita proportio, ait D. Thomas. Hæc duo si adsint in corpore, pulchrum vocatur: si adsint in vita moribusq; nostris, pulchritudine spirituali nitemus. Ne igitur putes me de animæ loqui gratiosissima venustate quæ uti cunctorum corporum superat formositatem ita & oculorum transcendit capacitatem. De spirituali pulchritudine quæ posita est in ordinatissima & juxta lumen rationis regulata vita & consuetudine, ago. Hæc subiecta oculis est, ideoq; sanctò fascinò trahere potest ad honestatis studium. Jam ad nos ipsos lumina retorqueamus, per speculum examinis nos contemplemur, studiosiùs consideremus an pulchritudo hæc exornet faciem genasq; vitæ nostræ, an ad claritatem rationis universas moderemur actiones, an mores nostri sint cum dictamine intellectus, cum statu Religioso cum dignitate sacerdotali consoni? Videamus an simus dentes, nitidi, candidi, immaculati an è contra atri putridi fætentes! Utinam profectò pulchritudinem & prima lineamenta vitæ quam ad initium conversionis tenuimus retineamus! Fulgebamus antea speciosi, specie & pulchritudine intendebamus, proficiebamus gratiâ coram Deo & hominibus. Jam vereor ne lachrymabili lamentatione plangi mereamur: *Candidiores nive, nitidiores lacte, rubicundiores ebore antiquo, saphiro pulchriores. Denigrata est facies eorum.* Ubi illa pudicissima compositio, ubi mores nivei, ubi constantia & maturitas eboris antiqui firmitatem superans, ubi pudicitia in gestis in oculorum aliorumq; sensuum gubernio, ubi infantilis in lacte expressa simplicitas & innocentia? *Periere cuncta, concidit rerum status.* Faciem nostram interioris & exterioris hominis deturpavit & fuligine infamiæ resperſit vita deterior. Hinc mirum non est quòd simus absq; fætura, quòd Deo spiritualem non procreemus sobolem quòd nemo ex nostro aspectu ad Deum laudandum ad virtutis amorem excitetur. Imò forsan exemplis pravis facimus nobis bis plus filios gehennæ. *Nec hoc dico quod aut in vobis aut in sanctis viris ista formidem sed quod in omni proposito & in omni gradu & sexu, & boni & mali reperiantur malorumq; condemnatio laus bonorum sit.*

S. Thom: 2. 2. q. 27.

Spiritualis pulchritudo in quo cōsistit

Sen: in trag:

Hier: ad Nepotian.

Omnia igitur honeste & secundum ordinem in nobis fiant. Pulchritudinem ex duobus coalescere dixi, ex proportione & claritate. Utrumq; solicitè curemus Divinis humanisq; in ædificationem placituri oculis. Vita rationi, actio congruat nomini, ne sit nomen inane crimen immane, status sublimis, vita declivis: claritas luminis naturalis nec non supernaturalis quod donum intellectus vocatur, conspicuam nostræ conversationis semper illustret & serenet faciem. Intelligere est quasi intus legere. Intellectus est facultas intimè aliquid cognoscendi. Studeamus ergò per intellectus donum nobis à Spiritu Sancto cum gratia superaddi solitum intimè penetrare bonorum & malorum spiritualium naturam ut illa amplectentes, hæc fugientes, nunquam honestatis subeamus jacturam.

AMOR



AMOR
DISCIPLINÆ.

PRincipes & legum conditores supra legem esse nec vi coactivæ legis subiacere constans est & vera assertio. Regulari sanctionibus à se latis possunt Principes juxta illud: *Patere legem quam ipse tulisti*, & juxta capitulum. *Cum omnes* extravagan: de Constit: *Quidquid juris aliquis in alterum statuit, ipse eodem jure uti debet*, regulari inquam possunt, cogi non possunt. Quis enim feret judicium condemnationis adversùs Principem si contra legem agat? Christus Dominus per quem legum conditores justa decernunt an etiam regulari ordinationibus legum creatarum indigebat; an item Mater sua sanctissima, directione præceptorum opus habebat? minimè verò. Quippe errare non poterat ille per naturam, hæc per privilegium. Sufficiebat Christo abtq; institutionibus juris ipsa voluntas Divina cui se conformaret & secundùm quam velut regulam rectissimam & fallere & falli nesciam operaretur. Suffecerat & Virgini Beatissimæ lux naturæ & gratiæ limpidissima per quam ita dirigebatur ut nullum erroris meturet periculum. Cur ergò se legi subijciunt? cur Mosaica impleturi sancita templum subintrant? Nos docent exemplò suo ut legibus, legislatoribus, Magistris, Superioribus ritè & recte subijciamur. *Virtus cuiuslibet subditi est* (ait Doctor Angelicus) *ut benè subdatur ei à quo gubernatur; sicut virtus irascibilis & concupiscibilis in hoc consistit quod sint bene obedientes rationi.* Vis Christum Matremq; eius superbenedictam in subiectione imitari? ausculta, quomodo seu per quid possis rectè subdi illis à quibus gubernaris.

Ante festum Purificationis B. Virginis.

2. 2. quæ: 43.

Subiectio & disciplina nomine solùm non re discrepant ut patet ex statuto Constantinopolitanæ Synodi 7. 9. 1. ubi dicitur. *Vita Monachorum subiectionis habet verbum & disciplinatus.* ubi disciplinatus & subiectio pro eodem usurpantur & unum per aliud explicatur. Quidnamq; disciplina est nisi subiectio sui ad audienda præcepta sive literarum sive morum & ad pænam pro transgressionibus suscipiendam. Actus legis, 4. assignantur: Imperare, vetare, permittere, punire. Quia enim in triplici sunt differentia actus humani: alij ex suo genere boni, alij mali, alij indifferentes vel modicè boni, aut modicè mali, ideo etiam alij imperantur ut boni, alij vetantur ut mali, alij permittuntur ut indifferentes & quorum malitia vel bonitas modica est. Medium verò per quod lex inducit ut sibi obediatur, est timor pænæ atq; ideo spectat ad legem, etiam punire. Cum igitur disciplina sit subiectio ad leges discendas servandasq;, est pariter subiectio ad pænas suscipiendas. Si ergò cupis rectè subijci, in disciplinatu oportet vitam agas. Si vis esse bonus subditus, sis bonus discipulus à discendo vel disciplina vocatus. Amor disciplinæ solus est qui te bene subditum efficere queat. Sed quia disciplina ipso suo nomine horrorem incutit, amandam eam non fugiendam ostendo & suadeo.

Disciplina quid?

Amari diſciplinam ſcripturæ volunt dum neceſſariam prædicant. Pſalmo ſecundo vates Regius monet: *Apprehendite diſciplinam ne quando iraſcatur Dominus & pereatis de via iuſta.* Et Salomon quod à Patre didicerat alijs inſtillavit: *Fili ne deficias à diſciplina Domini neq; fatigeris cum ab eo corriperis.* Et: *Collum veſtrum ſubijcite jugo & ſuſcipiat anima veſtra diſciplinam.* S. Auguſtinus de bono diſciplinæ. *Nihil profectò eſt* inquit *quod non diſciplina aut emendet aut ſalvum faciat. Hæc mores hominum irata corrigit, inflammata cuſtodit. Abſq; diſciplina quid adultero caſtum quid furi eſſet non tutum, quid latroni non pervium? quid non præſumptio poſſideret niſi furorem animorum ſub metu pœnæ, diſciplina compeſcèret ac niſi conſtitutus eſſet ordo vivendi nunquam profectò finem poneret natura peccandi. Nihil eſt quod non gula ſuadeat ſi gulæ diſciplina conſentiat, nihil eſt quod non luxuria perdat ſi amore vitiorum à te diſciplina diſcedat, nihil eſt quod non cupiditate habendi, animas occupet niſi avaritiæ vitium diſciplina condemnet.* Tandem orationem ſuam inſigni claudit epiphonemate: *Omnia ſub metu diſciplinæ vitia jacent.* Et Hieronymus amandæ ſubiectionis ac diſciplinæ author eſt dum ad Demetriadem hæc ſcribit. *Bonum eſt obedire maioribus, parere præfectis, & poſt regulas ſcripturarum, vitæ ſuæ tramitem ab alijs diſcere nec præceptore uti peſſimo ſcilicet præſumptione ſua.*

Neceſsitas diſciplinæ.

Eccl: 51.

Omnibus quidem hominibus at potiſſimum Religioſis neceſſarium ſtudium diſciplinæ quorum *ſtatus, diſciplina & exercitium quoddam perfectionis*, gymnaſium virtutum, patientiæ & ſubiectionis paleſtra. *Si illi rei* (ait Auguſtinus) *ad quos diſciplina nunquam pervenit quid de illis judicandum quos deſtituit? Planè minor culpa non perveniſſe ad diſciplinam quàm legem diſciplinæ reſpuiſsè.* Ex miſerabili filiorum Heli exitio & damnatione diſce luctuoſum & infelicem indiſciplinatorum Religioſorum finem. 1. Reg: 11. Filij Heli ſuæ vocationis immemores, ſuæ dignitatis conditionem non attendentes, ſanctitatis gradum temerantes, peſſimas res & gravia peccata perpetrabant. Corripiebat eos Pater & obiurgabat: *Quare facitis res huiusmodi, res peſſimas, quas audio ab omni populo. nolite filij mei, nolite. non enim eſt bona fama quam ego audio ut transgredi faciatis populum Domini.* Quam quidem obiurgationem ſæpius repetebat. Quid autem illi? non acquieverunt eius monitis, nihilo meliores facti ſunt, in eodem hæſerunt luto. Ob id vocat eos ſcriptura aptiſſimo vocabulô filios Belial, abſq; jugo, hoc eſt, abſq; lege, exleges, contemptores Parentis, imò ipſius DEI, effrænes in omnem licentiam, diſciplinæ oſores. Sed attendite quid dicat ſcriptura. *Non audierunt vocem Patris ſui, quia voluit eos Dominus occidere.* id eſt proiecit eos, reprobavit, æternæ maledictioni addixit. Dominus igitur eorum duritiei Author? Minimè. illi ipſi ſua prava voluntate & quæ ex prava voluntate naſcitur peccādi libidine & quæ ex libidine dum ei non reſiſtitur ortum habere ſolet conſuetudine, & quæ ex conſuetudine gignitur delinquendi neceſſitate obdurarunt cor ſuum ne ſalutaria Patris monita ſuſciperent. Qui habet aures audiendi audiat. Ecce filij Heli damnati decreto Divino dicuntur, quòd abſq; jugo, abſq; lege, abſq; correptione voluerint eſſe; ut diſcas ſignum eſſe æternæ reprobationis increpationibus nolle acquieſcere, in monitorem maledicta retorquere

S. Thomas 9. 186. art: 5.

Quàm neceſſaria ſit diſciplina Religioſis ſubditis oſtenditur exẽplo filiorum Heli.

post correptiones deteriorem fieri, dura cervice & incircumcisis auribus & cordibus Spiritui S. per Magistrum spiritualem loquenti resistere. Prævidit id & prædixit Paremiastes Proverbiorum 19. *Viro qui corripientem dura cervice contemnit, repentinus superveniet interitus.*

Nec solùm ex parte subditorum necessaria disciplina, etiam Prælatos si eam negligant, districta DEI manet ultio. Quia Heli lenitate Patris non authoritate & severitate Pontificis corripuit, quia non juxta modum delicti punivit, quia ab altaris ministerio non abiecit, non suspendit, non deposuit, quia spirituali mucrone excommunicationis seu è synagoga eiectionis non ferivit, quia corporalibus non flagellavit pœnis, qui per suam conniventiam complex fuerat transgressionis, complex factus perditionis. Fractis cervicibus, qui cervices filiorum frangere neglexerat, expiravit. O verè! verè periculosus est, vel ex hoc solo capite prælatorum status quòd peccata corrigere, evellere, extirpare, destruere, rigorem districtæ castigationis adhibere, nihil impunitum relinquere tenentur, ne dum dissimulant, Divinæ justitiæ pro alijs reddãtur rei. D. Hieronymus Sabiniano vitæ profligatæ Diacono glorianti se ab Episcopo sancto ordinatum reponit: *Tantum abest ut te Episcopi tui justitia valeat liberare ut timendum sit, ne de solio suo corruens pereat insanabilis*, propter suam videlicet indulgentiam quâ tua peccata nutriuntur. Sed necdum hîc modum finemq; ponit vindicta DEI. Etiam locum ipsum ubi vitia perpetrantur nec plectuntur, sua damnatione fulminat. Quia enim in tabernaculo Domini peccabant filij Heli, *locus ipse tabernaculi subversus est & propter vitia sacerdotum sanctuarium DEI destitutum est.* Timendum profectò ne & Asceteria & Monasteria in quibus Divinæ violantur leges nec pervicacia violatorum rigida animadversione mulctatur, ne inquam & ipsa ultricem cum peccantibus, cum conniventibus sentiant DEI manum & eversa, aut igne, nobis quidem fortuito at per Divinam justitiam destinato, in favillam & cineres redacta, memoriale fiant metuendi judicij Divini.

Quàm item necessaria ex parte superiorum.

Nec non ex parte Monasteriorum.

Ad Sabinianū

Indisciplinatis & pervicacibus Religiosis quomodo bonum exitum ominari possum qui ijsdem perseverentiam in Religione augurari nequeo?

Religio est velut arca Noe supra tumentes fluctus in quibus mundani homines miserabili pereunt naufragio elevata & natans. Habet intus arca hæc columbas, habet & corvos. Columbina proles sunt boni, disciplinati, legibus & superioribus obtemperantes atq; pœnitentiæ ferulam humiliter sustinentes Religiosi. Est enim columba simplicissimum animal & innocuum: non lædit unguibus nec morsu petit, cum occiditur non retrahit collum sed exporrigit; at verò corvina progenies sunt illi qui morum fuscedine denigrati emendationem ad cras & cras differunt. quodsi vel minimùm in eos, feriens & paternè castigans extendatur manus, statim crocitant. De corvo tradunt scripturæ & interpretes quod emissus ex arca semper redibat antequam aquæ siccarẽtur; postquam siccatæ sunt, amplius non comparuit. Rebellantes Religiosi neq; se humiliter seu ad doctrinam seu ad correptionem submittentes, tandem, tandem aufugiunt à Religione, cum commoditatem viderint cum occasionem apprehenderint, cum impedimenta apostasiæ abesse adverterint. Tunc tunc quâ data porta quà data via avolant ad

Religiosi indisciplinati ad apostatandū faciles.

lant ad libertate fruendum ad cadavera depaſcenda ad lambendas putidas carnes, ad ingluviem ventris ſectandam ad corporis curam faciendam deniq; ad faciendum id omne quod libet non quod licet. Revocate in memoriam exempla apoſtatarum quos veſtra complecti poteſtis reminiſcentiâ, unam hanc reperietis fuiſſe illis apoſtatandi cauſam quòd pro ſuis tranſgreſſionibus ſuperbam & toris adipeis tumentem cervicem ad correptionem humiliare nollent, aut regulares caſtigationes inter ſævas computarent afflictiones. Præſtò rei huius ex ſcriptura documentum. Gen: 16. lego quòd fugit Agar Dominam ſuam, quia affligebat eam. At quomodo poſſibile ut Sara mulier tam ſancta affligeret famulam ſuam in tantum ut eam ad fugam compelleret. Hoc ſanctitati Saræ non congruebat, affligere, amaricare, & ita irritare ſuam pediſequam ut ampliùs pati non valens injurias, fugam meditaretur & arriperet. Lyranus in hunc locum commentatur quòd non erat iſta afflictio ſed diſciplina competens ſuperbæ ancillæ ac neceſſaria quam illa per ſuperbiam, ſuam afflictionem judicabat. Verba ſunt Lyrani: *Non affligebat eam injuſtè ſed caſtigabat & humiliabat rationabiliter quæ humiliatio erat ipſi Agar afflictio eò quod ex elatione volebat Sarai ſe præferre.* Si ad praxim hæc deducas (ait de Ponte) & præcipuè ad Religioſorum ſtatum, inde educes quòd multi illorum afflicti vivunt ex ſuperiorum mortificationibus, duras has afflictiones vocantes cum non ſint niſi rationabiles humiliationes. Superbire volunt non humiles vivere: mortificationes flagella dicunt; quid mirum ſi in dies ampliùs ex illis ſuperbientes apoſtatant? hucuſq; ille. *Apud DEUM non attenditur diverſitas ſexuum ſed mentium.* Ideo aptè per Agar ancillam quiſq; Religioſus ſubditus figuratur. Certiſſimum eſt quia fugiet quia à Religione deſciſcet, ſi non amat diſciplinam ſi correptiones humiliter non acceptat ſed detrectat ſed minatur ſed furit & injuſtè ſe vexari concrepat.

In Math: Ca: ix. annot: 48.

S. Hieronymus

S. Auguſt: de bono diſcip:

Nemo diſciplinam irrationabilē putet nemo abjiciat ſub qua videt omnipotentis DEI circa omnia quæ in cælo & ſub cælo ſunt ſtare conſilium. Nunquid ſine diſciplina agitur curſus ſolis; qui quamvis diurni itineris neceſſitatem infatigatus impleverit ad officium tamen ſuum matutinus occurrit Nunquid ſine diſciplina eſt quod tanti maris fluctus humili terrarum littore continetur & in ſuo ſinu frequenter incitata ventis altior aggere unda concluditur. Omnia perfecto inſipiens natura confunderet niſi mundum diſciplinæ ratio gubernaret. Quid jam non eſſet tenebroſum quid non incompoſitum quid non haberetur abſurdum niſi conſtitutis legibus cuncta ſtarent elementa. Egregiè Doctor Angelicus deducit omnia prorſus creata ſubijci legi Divinæ æternæ ſecundum illud ſcripturæ Proverb: 8. *Quando circumdabat mari terminum ſuum & legem ponebat aquis.* Dat rationem inſignem, *quia*, inquit, *DEUS inprimit toti naturæ principia propriarum actionum & ideo omnes motus & actiones totius naturæ ſecundum hanc rationem legi æternæ ſubduntur in quantum nimirum moventur à Divina providentia: non autem per intellectum Divini præcepti qualiter naturæ rationales DEO ſubjiciuntur.* Quid porro animæ rationali atq; ad DEI imaginem factæ conveniat, facile homo poteſt intelligere cum videt ſacratis per voluntatem DEI conſtitutionibus etiam elementa ſervire. Docent nos & animalia ſervare diſcipli-

Motiva ad amorem diſciplinæ. à rebus inanimatis.

à brutis.

diſciplinæ ordinem. Videmus enim quomodo mannuli tolutim incedunt pedeſq; ad numeros colligunt, & ſub unius habenæ retinaculo ita laxari ſe conſentiunt ut & currendi & ſtandi modus ſub quadam legum diſpoſitione ſervetur. Videmus quomodo fortia boum corpora plauſtro ſubiacent & tumentia cum palearibus ſuis levi jugo colla ſupponunt. In Camelis quis docile non miretur ingenium dum ſivè flectere ſive erigere genua jubeantur ita Magiſtri ſui virgam tenentis imperio deſerviunt ut ingenti illi corporeæ moli aliquid rationis ineſſe putes. Urſi, barri, aliaq; animalia ad obedientiam aptantur juſſiſq; humanis obtemperare conſueſcunt ut cum opus fuerit, etiam armatis legionibus & telis hoſtilibus ſe obijciant. Picto quod collô delicata pardus juga ſuſtinet, rabidæq; tygres flagello patientiam indulgent: quòd aurea lupata remordent cervi: turpes quòd trahunt eſſeda biſontes: & molles facere juſſa choreas quòd nigro nil negat magiſtro bellua, quis non imputet diſciplinæ? Ad verecundiam noſtram & humanæ confuſionem negligentiæ hæc dicuntur quòd tam parum apud nos proficiat magiſterium, cum videamus paſtoralem diligentiam etiam circa bruta non fruſtrari. Beſtiæ à natura feroces & ratione carentes cicurantur & noſtris ſe ſubmittunt imperijs, prompto obſequio humanæ conditionis venerando dignitatem: nos humanitatis lege ad manſuetudinem comparati ferocimus & frænos coercitionis non patimur acſi plus poſſit in illis naturæ inſtinctus quàm in nobis lumen rationis, & magis nos impediat ab officio obſecutionis libertas quàm beſtias naturalis feritas: & tamen è nobis, *nemo adeò ferus eſt qui non miteſcere poſſit. Si modò culturæ patientem accommodet aurem.* Ad ſtudium diſciplinæ non verecundemur item accendi ex hominibus quos nativitatis lex ad perpetuos damnavit labores. Continui illi in ſervitijs, in laborum inſtantia, in æſtu & frigore, in ſudoribus; ad omnia ſubiecti, Domino non refragantur, non recalcitrant. Fuſtibus frequenter tuſi Dominum tamē ſuum agnoſcunt. Ab his magiſtris magnus ille Arſenius eruditus, in virtutis proficiebat agone. Aliquando enim cum ſene quodam Ægyptio ruſticano miſcens ſermonem & aliquid ad inſtructionem ſpiritus expoſcens, cur id faceret tantæ vir eruditionis in latina & græca lingua, miranti cuidam anachoretæ reſpondit: *Latinam quidem & græcam ſecularem ſcientiam nactus ſum ſed alphabetum ruſtici iſtius necdum didici.* Quod verò iſtud alphabetum? Puerorum alphabetum ſunt primi literarum characteres: Colonorum ac ſi maſtigiarum pænæ & labores. His frequenter ſubijciuntur, in his de die in diem exercentur. Hanc & nos niſi cognoverimus literaturam non introibimus in potentias Domini.

Ab agricolis.

In vitis SS.PP.

Finis, eſt una circumſtantiarum quæ ſolent maximè declarare conditionem & præſtantiam rei movereq; ad amorem eiuſdem. Ideo ad amorem diſciplinæ nos alliciens Doctor gentium, finem ipſius proponit. *Omnis,* inquit, *diſciplina in præſenti videtur non eſſe gaudij ſed mæroris ſed poſtea fructum pacatiſſimum exercitatis per eam reddet juſtitiæ.* ad Hebræos cap: 12. acſi diceret: ne diſciplinæ initia conſideres, finem reſpice: principium amarum eſt ſed jucundus finis. Incipit à fletu vel quaſi fletu, deſinit in vero gaudio. Seminat in lachrymis, in exultatione metit. Attende ad fructum pacatiſſimum juſtitiæ quem tibi conferet. O quantum æſtuas animo ut uberrimos juſtitiæ manipu-

à fine.

los in horrea æternitatis congreges? habebis quod desideras si non o- deris disciplinam. *Nolite mirari* (ait Chrysostomus) *si quum ipsa amara sit fructus tamen proferat dulciores. Nam & in arboribus cortex penè semper amarus & asper est, fructus tamen ipsi suavitate jucundi sunt.* Molestum pueris vapulare sed postea jucundum florere in seculo & excellere linguosis artibus ad honorem hominum & divitias famulantibus. Ridebantur, ut ipse testis est, Augustini ludum literarium frequentantis plagæ, magnum tunc & grave malum ipsius, ridebantur à maioribus & ab ipsis Parentibus. quare? quia sperabantur fructum copiosum pariturae. Et verè peperunt. nisi disciplina præcessisset, Augustinus non fuisset Augustinus. Si disciplina literarum procreat uberes fructus; quid morum, quid utraq;? veniet, veniet tempus quando post amara antidota dulcissimum sensum percipies sospitatis: post lachrymas in decorticatione passionum & ignaviæ tuæ fusas, poma delectabilia proferes & gustabis ipse: post putationes luxuriantium pampinorum & palmitum, uvas jucunditatis spiritualis colliges, uti colligebat D. Hieronymus, qui in disciplina linguæ Hebraicæ quid laboris insumpserit, quid sustinuerit difficultatis, quoties desperaverit, testem appellat conscientiam tam suam qui passus est quàm eorum qui secum vixerunt, omnis pressuræ postmodùm oblitus propter jucunditatem scientiæ quam nactus erat atq; ideo dicebat: *Gratias ago Domino quòd de amaro semine literarum dulces fructus carpo.*

Lib: 1. Confess.

Ad Rusticum.

Sed aies disciplinam duris legibus constitutam, præcepta gravia esse, superiorem plus justo rigidum, cuius mandatum imperium sit, qui animô superbo & potestate dominante præcipiat, tyrannico plectat pectore. Iudicem aut prætorem putes qui vix ante se fasces non curet portari & buccinam inflari. Quoties eum aspexero ollam furoris accensam & virgam vigilantem arbitror me videre. Respondet D. Augustinus: *Loquantur ista miseri quos ad omne facinus diabolus auctor mortis invitat, quorum mentes varia vitiorum genera captivas possident. Dulce onus est disciplinæ bonis & virtuosis & leve jugum Domini quod non gravat nisi aut perditos aut perituros. Multi sunt qui disciplinam imperium esse judicant & rationabilem castigationem superbiæ assignant cum non sit imperium nisi ubi aliquid jubetur injustum, nec sit superbia nisi ubi negligitur disciplina.* Vide igitur an non tu superbus qui superbū judicas Prælatum dum *disciplinam metuendus imponit.* Oppones iterum. Regula non vult nos esse sicut servos sub lege. Scimus ista, junge quod præcessit: *Donet Dominus ut observetis hæc omnia tanquam spiritualis pulchritudinis amatores non sicut servi sub lege sed sicut liberi sub gratia constituti.* quibùs monet ut leges omnes nostro præscriptas statui non ex servili timore sed filiali; non metu pænæ sed culpæ; virtutis amore non formidine pænitentiæ observemus. Quodsi pertinaciter libertatem obtendis, audi, libertatem non debere esse absque metu. quô si careat, ad præcipitium & non dubiam ruinam inducet. Franciscus Donatus Venetorum Dux pro hierographia habuit equum cursu incitato absq; sessore currere visum, cum lemmate. *Libertas sub metu.* Docuit eiusmodi ænigmate, libertatem quæ metu careat, vel in servitutem commutandam vel exitiô ultimo Cives involuturam, uti caballus libertatem adeptus dum excusso sessore per campos hinc inde gyrat,

De bono disciplinæ.

Imperium & superbia ubi nam?

Typotius.

gyrat, tandem luporum faucibus fit præda. Libertas absq; metu licentia est, malorum omnium occasio est. Liberos ergo voluit nos legislator sed libertate quâ à Christo donati sumus, libertate ordinata, libertate metum filialem non excludente sed urgente.

In disciplina igitur perseverate. *Tanquam filijs vobis offert se Deus. quis enim filius quem non corripit Pater? Quodsi extra disciplinam estis cuius participes facti sunt omnes, adulteri & non filij estis.* verba sunt Apostoli gladio ancipiti acutiora. Quis pater est, qui filij sui ulcera non curet secari, ut virus pestilens in cutem exeat? *Pars sanitatis velle sanari; tu si cicatrices tuas nec modicè tangi sinis, quomodo curari potes? Putridæ carnes ferro curantur & cauterio.* Putorem volo & quod emortuum est clementi resecare correptionis ferro, tu me quasi freneticus morsu laceras. Crudelem vocas qui miser sum, qui tuis doleo vulneribus, qui horreo infirmitatem quam tu qui pateris non horres ipse. Ergo crudeles omnes Chirurgi spirituales secantes vitia peccatorum & ad pænitentiam cohortantes. Crudelis Phinees Hebræum cum meretrice gladio confodiens. Crudelis Petrus Ananiam & Saphiram morte mulctans & in pæna duorum omnes instruens. Crudelis Paulus tradens Corinthium Sathanæ in interitum carnis. Crudelis demum Christus ipse flagello funiculorum eijciens templi profanatores. Atqui hoc est opus superiorum ante Deum, ut improba subditorum studia coerceant, malitiam expungant, innocentiam custodiant, & ad hoc *potestatem habent percutiendi terram omni plagâ quotiescunq; voluerint*, Apoc: 12. qui locus authore Pannonio ostendit Prælatos Ecclesiæ liberè posse uti plagis etiam atrocioribus in fontes pro varietate & modo culparum. *Perversi enim difficile corriguntur* ut habetur Ecclesiastici 2. Unde disce, si tu difficilè corrigeris, perversus es. Scito itaq; non crudeliter sed misericorditer tecum fieri si palpentur tua vulnera; noli indignari si ulcus tuum judicij scindatur novaculâ. Crudelitas ista pietas est. Non omnis qui parcit amicus est nec omnis qui verberat inimicus, meliusq; est cum severitate diligere, quàm cum lenitate decipere. Qui phreneticum ligat & qui letargicum excitat, ambobus molestus, ambos amat: sic & Superior molestus quidem est si te phrenesi iracundiæ & aliarum passionum furentem liget, si letargo ignaviæ soporatum excitet, sed te sic faciendo amat. Non ex rancore ligat non ex odio excitat at ex paternæ officio dilectionis. Quis potest nos amplius amare quàm Deus & tamen hic non solum docere suaviter verùm etiam salubriter terrere non cessat. Fur nonnunquam avertendis pecoribus pabulum spargit, pastor autem aliquando pecora errantia fuste aut loro revocat: dic mihi quis horum tibi videtur misericors an fur pascens an pastor percutiens? Ad rem Ambrosius. *Non semper Pater osculatur filium sed aliquando castigat. Ergo quando castigatur qui diligitur, tunc circa eum pietas exercetur.* Dulcior itaq; sit nobis Religiosa castigatio quàm blanda remissio. Dicamus cum David. *Corripiat me justus in misericordia oleum autem peccatoris non inpinguet caput meum.* Non simus de numero eorum qui illud obganniunt: *Omnia mihi licent & ego sub nullius redigar potestate.* Idæam disciplinæ Franciscum cognomento Pium imitemur qui jam in culmine Generalatus existens si forte ex familiaribus joco vel serio corriperetur ad instar rei errorem confessus aiebat: Mea cul-

Ad Hebræos cap: 12.


Superiores sunt chirurgi spirituales.

S. Hieronymus Ad Bonasum.

Disciplina nõ ex odio sed ex amore imponitur.

Annales nostri lib: 2. c. 19.

Mea culpa, mea negligentia, mea levitas, mea obtusitas in causa est. Amemus disciplinam, simus sapientes & caveamus eam abijcere. Sic rectè subdemur eis à quibus gubernamur pro subiectione huiusmodi supra multa constituendi & in gaudium Domini intraturi.



HONOR
ALIIS EXHIBENDUS.

NOn diu absq; officio erga homines latuit post conceptum DEI Filium Virgo Beatissima. Illa totius perfectionis Idea, virtutum omnium epitome, thesaurus gratiarum cælestium, vitæ sanctioris norma omnis complementum justitiæ exurgit & proripit se in montana. Pergit Regina ad ancillam, Domina ad servam, DEI Mater ad hominis parentem, MARIA ad Elizabeth. Venerabilis toti mundo humilem cognatæ suæ impendit venerationem, adorata & adoranda ab Angelis, hominibus in domo Zachariæ submissam exhibet servitutem. Prævenit honore quæ præveniri debuerat & quæ nuper à Beatissima Triade honorificentissimo salutata nuncio, Zachariam, Elisabetham & Joannem celeri ac officioso non dedignatur salutare accursu. Exemplum dedit nobis ut quemadmodum ipsa fecit & nos faciamus: nobis, qui à Spiritu DEI concepimus: nobis, qui in montana Religiosæ perfectionis assurgimus, qui ad excelsa virtutum luctamur fastigia. Dum Virgo properô gressu ad honoris & observantiæ præstandæ proficiscitur obsequium, ego præeuntem volentibus in hoc virtutis studio stadioq; sequi, calcar addere contendam.

Honor quid? Honor juxta D. Thomam & Philosophum, est exhibitio reverentiæ in testimonium virtutis seu in testimonium excellentiæ. Ii enim qui volunt honorari, testimonium suæ excellentiæ quærunt ut habet Philosophus 8: Ethic. porrò testimonium redditur coram DEO vel hominibus. Coram DEO quidem qui inspector est cordium testimonium conscientiæ sufficit; ideoq; honor quantùm ad DEI notitiam potest consistere in solo interiori motu cordis ut si aliquis recogitet vel DEI vel hominis cuiuspiam coram DEO excellentiam. *Quotuplex?* Sed coram hominibus non potest testimonium ferri nisi per signa exteriora vel verborum, ut cum aliquis alterius laudes ore celebrat vel factorum ut inclinationum, obviationum & huiusmodi vel quarumcunq; exteriorum rerum ut cum munerum oblatione, imaginum erectione & similibus, alterius protestamur amplitudinem. Hinc claret duplices esse honoris actus, internos alios, alios externos; illi coram DEO in secreto conscientiæ, hi coram hominibus in propatulo, ut ad notitiam deveniant exercentur. At qui nam *Qui honorādi.* sunt ij quos honore prosequi debeamus? Non hic de DEO ter optimo maximo cui soli honor & gloria neq; de Cælitibus quos utpote amicos DEI nimis honorificatos esse Propheta canit, res mihi est, sed de hominibus solis quibuscum nobis ut vita communis ita communis moriendi neces-

di necessitas. Occurrit D. Petrus aitq; *omnes honorate.* & Paulus Apostolus *honore invicem prævenientes.* Doctor Angelicus 2. 2. q. 107. art: inquirit an honor solis propriè debeatur Superioribus & resolvit ita esse honor enim est exhibitio reverentiæ propter excellentiam alterius. Qui autem excellit, superior est in eo in quo excellit. *neq; tamen oportet,* verba ipsius sunt, *quòd ille qui honoratur sit excellentior honorante sed vel quibusdam alijs vel etiam ipso honorante saltem quantum ad aliquid.* Idcirco omnes omnino honorandi homines quia ut ait idem Doctor inquolibet invenitur aliquid ex quo possit eum alius Superiorem reputare juxta illud ad Philipen: 2. *In humilitate Superiores invicem arbitrantes.* Potissimùm tamen honorandi Superiores secundùm strictioris vocabuli proprietatem accepti. Stringimur ad reverendum eos præcepto Decalogi: *Honora Patrem tuum.* Persona enim providentiam circa nos gerens, peculiari modo tenet proprietatem patris; quia sicut Pater est principium generationis, educationis, disciplinæ, & omnium quæ ad perfectionem humanæ vitæ pertinent, ita fascibus admotus est principium gubernationis in aliquibus rebus ut Proconsul in rebus civilibus, dux exercitus in rebus bellicis, Magister in disciplinis. Eo igitur honore colendus est Rector quilibet qui Parentibus debetur. Deinde ad eos qui regimen tenent, pertinet gubernare subditos; gubernare autem est movere in debitum finem, unde nauta, quia navim ducit ad portum, dicitur eam gubernare: omne porro movens habet eminentiam quandam & virtutem supra id quod movetur. Quare in omni eo qui est in dignitate positus duo, oportet, considerentur: status videlicet excellentiæ vi cuius debetur honor, & gubernationis officium, vi cuius debetur cultus quô vicem beneficijs pro suo modulo rependit subditus. Quia igitur Superiores gubernant nos, movent nos ad debitum finem, ad professionis vitæq; Religiosæ scopum, (ut hic de solis loquar Superioribus nostris regularibus) quia nos ad portum salutis æternæ ducunt, debetur eis honor, debetur & cultus juxta illud 1. ad Timoth: 5. *Qui bene præsunt duplici honore digni habentur.* Honor præmium virtutis est: jam vide sis quomodo præ reliquis fidelibus præmiet Deus præsides. Centuplum pro mercede assignavit communi vulgo credentium & mandata Dei custodientium; *at præsidentibus duplicatum servatur vitæ æternæ præmium. Ducenti his qui custodiunt fructus eius.* Si ita à Deo ipso, qui bonorum nostrorum non eget, honorantur Prælati, quali à nobis dignandi sunt cultu cum in nostram tota eorum authoritas, tota jurisdictio redundet utilitatem? Huc respexit D. Hieronymus quando Nepotianum & in eo unumquemq; Religiosum monuit: *Præpositum Monasterij timeas* (honores, colas) *ut dominum; diligas ut Parentem.* Neq; id arroganter dictum putes. *Homo enim,* si fides Doctori Angelico, *contrahit quandam similitudinem Divini dominij ex eo quod habeat potestatem super alios homines vel super quascunq; creaturas.* Assentabatur Cæsari Martialis: *Numen habet Cæsar, sacra est vis, sacra potestas.* Absq; blandimenti lenocinio & citra adulationis notam id de quovis legitimo Superiore usurpare possis, Numinis præsentiam & vicariam finitimamque Dei in ipso recolendo potestatem.

Honorandi omnes homines

Item Superiores quia sunt patres nostri.

Quia nos gubernant:

Quia honorātur à Deo, duplicato præmio.

Pannon: in Cantica.

Quia habent similitudinē Divini dominij.

Honorandi item peculiari modo Sacerdotes sæculares. Hi enim juxta Triden: sunt Vicarij Christi, sunt præsides & judices populi: vi ministerij

Item Sacerdotes sæculares.

quia Vicarij Christi nisterij sui, Curati præcipuè, habent ordinariam curam & potestatem baptisandi & prædicandi, ligandi ac solvendi, pænitentiam imponendi, orationes publicas instituendi, benedictionem impertiendi, sepeliendi, cæteraq; Ecclesiastica munia exercendi, ultra potestatem conficiendi Corporis & Sanguinis Domini. *Ut multis noti multis sunt authoritati ad salutem & multis præeunt secuturis.* Episcopis ordine & officio pares, solam si excipias introductam consuetudine authoritatem. Dicit enim Gratianus ex Hieronymo d. 14. *Olim idem Presbyter qui Episcopus.* & infra: *Sicut ergò Presbyteri sciunt se ex Ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit esse subiectos, ita Episcopi noverint se magis consuetudine quàm dispensationis dominicæ veritate Presbyteris esse maiores & in communi debere regere Ecclesiam.* Et in Concilio Carth: 4. dicitur *Episcopus in Ecclesia in consessu Presbyterorum sublimior sedeat, intra domum verò collegam se Presbyterorum esse cognoscat.* in quo etiam Concilio cavetur ne Episcopus in quolibet loco sedens stare Presbyterum patiatur. Et quamvis Religiosi Presbyteriô insigniti recensita munia demptis mere Parochialibus obire queant uti defacto obeunt, id tamen non ex officio neq; de jure ordinario sed per dispensationem cum illis in utilitatem Ecclesiæ factam præstant, quod claret ex decretali Gregorij Papæ sic sonante: *Ex Apostolico huius decreti moderamine & pietatis officio à nobis constitutum est, Sacerdotibus Monachis Apostolorum figuram tenentibus licere prædicare, baptisare, communionem dare, pro peccatis orare, pænitentiam imponere atq; peccata solvere.* ubi ex verbis illis, *moderamine Apostolico & pietatis officio constitutum est*, benigna concessione & dispensatione indultam regularibus Ecclesiasticas functiones peragendi facultatem intelligis. quæ dum allego, nolo suffragari ijs qui monasticum statum ex natura sua contrariari officijs Ecclesiasticjs opinantur quos refutat Doctor Angelicus cuius ego doctrinam ut hic quoq; veneror & amplector. D. Hieronymus Presbyter simul & Monachus, in tantùm prætulit gradum ministerij Sacerdotalis monastico proposito, ut scribere non erubuerit ad Heliodorum: *Alia est causa Monachi alia Clerici. Clerici oves pascunt ego pascor; illi de altari vivunt, mibi securis quasi ad radicem infructuosæ arboris ponitur, si munus ad altare non defero. Mihi ante Presbyterum sedere non licet; illi si peccavero, licet me tradere Sathanæ in interitum carnis ut spiritus salvus fiat.* Unde idem summo honore summa reverentia prosequebatur Episcopos, Presbyteros, aliosq; inferioris ministerij Clericos & non nisi sancta nonnisi honestissima de illis loquebatur ut protestatus est ad eundem Heliodorum: *Absit ut de his quidquam sinistrum loquar qui Apostolico gradui succedentes, Corpus Christi sacro ore conficiunt, per quos & nos Christiani sumus: qui claves Regni Cælorum habentes, quodammodo ante diem judicij judicant: qui Sponsam Domini sobria castitate conservant.* Ad Rusticum verò: *Non est*, inquit, *humilitatis meæ neq; mensuræ judicare de Clericis & de Ministris Ecclesiarum sinistri quidpiam dicere. Habeant illi ordinem & gradum suum.* In instructione Nepotiani magnificam texit panegyrim Ecclesiasticis. *Sancti*, inquit, *sunt Clerici & omnium vita laudabilis. Ita ergo age & vive in monasterio ut Clericus esse merearis.* Nec contentus sua erga Ordinem Clericalem observantia, alijs eam quoq; ingenerare studet dum sugillationes censurasq; sæcularium Prælatorum à Monachis factas

S. August: in Confess:

Quia olim Episcopis pares.

Vide Gratianum.

2. 2. q. 187. art. 1.

Quia à D. Hieronymo insigniter laudantur, & honorantur.

factas perstringit: *Pudet dicere! de cavernis cellularum damnamus Orbem: in sacco & cinere volutati de Episcopis ferimus sententiam.* Si omnes retroactorum temporum revoluam historias, semper debitum honorem sacerdotio impensum advertam: quod solùm ad nos attinet, commemoro. Princeps instituti nostri Divus Paulus, honoris (juxta Cæsaris Baronij ad annum Christi C. C. C. X.L. III. observationem) & propensionis suæ erga Athanasium Episcopum, causâ pallium eiusdem tegendo suo corpusculo expetivit. S. Antonius omnes Ecclesiasticos, Clericos, usq; ad ultimum gradum ante se honoris gratiâ compellebat orare, Episcopis atq; Presbyteris quasi humilitatis discipulis ad benedictionem submittens caput. Pachomius ipsum Christum se in Sacerdotibus in Ecclesiæ throno cernere deprædicabat. Plura taceo exempla cum cuivis facilè possint occurrere.

Quia àSS. varijs æstimati eximiè sunt.

Honorandi insuper quicunq; Religiosi tum confratres tum extranei & vel maximè quorum propositum ornatur sacerdotiô & sacerdotium propositô. Honorandi inquam. *Si enim* ut ait Nierembergius de gratia, *theca mortuis sanctorum referta cineribus tanto in honore est, si frigida ac sicca sanctarum mentium spolia tantopere honorantur; quo decet honore prosequi vivas Christi domos, spirantia Divinitatis sacraria, pulvinaria Augustissimæ Trinitatis? Anima sancta est* D E I *hospes, veneratio cælitum, amænissimus Sponsæ hortus, ac mille facibus suaviter fulgurans thalamus, Triados summæ prætorium sole ac Cælo capacius, Divinarum aula, solium & ara personarum.* Hinc est quod Religiosis viris præfulgentes potestate sæculari Principes sua plerumq; submittebant capita & quos totus adorabat Orbis, humili gestu monasticum venerabantur schema. Purpuræ ad saccum erubescebant: Coronæ cucullis humiliabantur: sceptra ligonibus aut scipionibus Eremiticis substernebantur. Constantinus, quo cultu Antonium magnum dignatus sit, continuata sæculorum celebrat memoria. Arsenium quâ veneratione aula Honorij & Arcadij habuerit, fama hucusq; per veridicos scriptores traducta buccinatur. Theodosius invisit Ægyptium Monachum ad Constantinopolim in cellula inclusum, cum eo familiarissimè collocutus, pane sicco & aqua jucundissimè refectus & non nisi post impendiò honorificam salutationem ipsi impertitam ab eo egressus. Imò, ut scribit S. Damascenus in vita Barlaam, Rex quidam obvios habens duos Religiosos statim è curru desiliens atq; humi prostratus eos adoravit ac deinde surgens amicissimè complexus est, ut taceam de honorificentissimis peregrinationibus Melaniæ, Paulæ, Rufini aliorumq; millenorum ad Ægyptios Eremicolas invisendos ab Urbe Romana institutis. *Hoc pretium virtus intaminata tulit.* Non mediocre honoris mutui in Monasterijs tuendi tenendiq; incitamentum ex D. Hieronymi ad Heliodorum gradatione sumitur. *Ubi,* inquit ille, *honor non est ibi contemptus est: ubi contemptus ibi frequens injuria: ubi autem injuria ibi & indignatio: ubi indignatio ibi quies nulla: ubi quies non est, ibi mens à proposito sæpè deducitur: ubi autem per inquietudinem aliquid aufertur ex studio, minus fit ab eo quod tollitur: & ubi minus est, perfectum non potest dici.* Ex hac supputatione illa summa nascitur, Monachum qui honorem non habet, perfectum esse non posse cum tamen in perfectionis sit statu & ad eam tendere obligetur.

Item Religiosi

Quia sunt viva tēpla Dei

Quia Principibus venerabiles.

Necnon varijs hominibq peregrè ad eos venientibus.

Religiosi absq; honore perfecti esse non possunt.

Deniq; omnes fideles.

Quia honorãtur à Deo propter imaginẽ suam.

Deniq; omnes generaliter homines honorandi præsertim verò domestici fidei. Quare rogo Deus propter hominem tot tantaq; creavit, cælum, terram, aërem, aquam & omnia quæ in eis sunt? Omne quod graditur in terris, quod natat in aquis, quod volitat per aëra, quod splendet in Cælo, quod vernat in floribus, rutilat in gemmis, blanditur in pupis, Omnipotentia Dei non superior in Angelis nec inferior in vermiculis, produxit propter hominem. Tam varia genera, tam varias species, individua prorsus innumera, non modò ad necessitatem, verùm etiam ad voluptatem hominis condidit. Cur ita liberalis in hominem Deus? *Honorat scilicet in homine imaginem & similitudinem suam* ut ait D. Augustinus in solil: Cap: 20. In testificationem excellentiæ nostræ, quòd ad imaginem suam formati simus, tantis mundum propter nos instruxit bonis, tantis auxit muneribus. Si ita est, cur nos non honoremus imaginem Dei in proximo? Filij principum gestant præ pectore bullas aureas sicut gestavit quondam filius Tarquinij Prisci ob rem in bello Sabino adhuc dum puer esset præclarè gestam bullà aurea, & prætexta à Patre donatus. Bullæ hæ, ut Macrobius ait, antiquitus solebant esse in figuram cordis formatæ, & aliquando, parentum imaginẽ præferebant. Bullâ aurea in cordis figuram efformata unumquemq; hominem decoravit altissimus Princeps, idemq; pijssimus omnium Pater, decoravit inquam corde rationali seu animâ usûs rationis, virtutum naturalium & supernaturalium, gratiæ gloriæq; capaci. Per hanc paulominus minoramur ab Angelis, per hanc à brutis infinito secernimur intervallò ideoq; propter hanc unicuiq; homini officiosum honoris & reverentiæ debemus pensum. Quantus verò est ad exhibitionem proximo nostro convenientis observantiæ impulsus si consideremus eum esse è numero electorum uti piè credere debemus. Si enim in peccato viderimus quempiam, non ideo protinus damnandus est, sed brevi surrecturus & ad finem usq; in gratia vitam producturus, honorifico reputandus judicio.

Quia sunt electi ad gloriam ut pie credendũ de singulis.

Eques aut Senator quiscunq; si ad Regni vel cuiusvis amplissimæ dignitatis possessionem inaugurandus proficiscatur, quo occursu turbarum quo plausu varij Ordinis statusuè hominum, quibus gratulationibus excipitur? Regni cælestis candidatus est quem lacernis videmus nunc vestitum, quem alpha penulatorum vocamus, inter Principes stolà immortalitatis indutos numerabitur; ex hara, quam nunc inhabitat, ad aram thronumq; Dei assumetur; quidni igitur honoremus quidni revereamur, quidni officio & beneficio devincire nobis satagamus? Pio calamo & affectu Ludovicus Granatensis censet talis hominis cuius nomen scriptum est in libro vitæ, osculanda vestigia, benedicendos gressus, lambendum pulverem, umbram etiam corporis eius reverenter colandam. Faciebat id D. Antonius Patavinus qui per revelationem edoctus quemdam Civem vitæ deterioris pro fide quandoq; glorioso agone occubiturum, profundissima inclinatione & exotica quadam veneratione, quoties obvium sors offerret, salutabat usq; ad bilis in cive illo commotionem. Ingentes certè hi sunt ad exhibendam cæteris reverentiam stimuli: quid si ponderatio præmij accesserit. Vis scire quid dabitur viro alios honoranti? incunctanter respondeo: honorabitur. Verissimum enim est effatum Chrysostomi: *vis amari ama, vis primis potirẽ*

In Duce peccatorũ lib: 1. part: 1. Ca: 6.

potiri partibus, prabe illas priùs alteri. Insuper honorabit eum coram Angelis Pater Cæleſtis. dabitur ipſi in cælo armilla honoris, diadema decoris de manu Dei, gloria & honore coronabitur.

Imitemur itaq; Virginem Beatiſſimam quàm qui fuit imitatus non potuit non eſſe ſalvatus. Honoremus quos Rex Regum & ipſe honorat & à nobis vult honorari. Honoremus in nobis Deum invicem cuius templa facti ſumus. Honor hic non excludit amorem, compatitur dilectionem; imò ex hoc ipſo promanat fonte. Fallitur Poëta aliter ſentiens. *Honor non excludit amorẽ*

Vis te, Sexte, coli volebam amare.
Parendum eſt tibi quod jubes coleris. *Martialis.*
Sed ſi te colo, Sexte, non amabo.

Officium honoris apud Chriſtianos ſtat cum amoris ſtudio. Fœdere indiſſolubili binæ hæ junguntur virtutes, ubi amor eſt ibi & honor, ubi ſincerus nec pſeudopoliticus honor ibi & germana nec fucata charitas. Qui igitur dilectionis ſtudemus officijs, etiam reverentiæ certemus fulgere inſignijs. Præveniamus invicem honore, ſuperiores invicem arbitremur, reverentiam ad invicem præſtemus, & pro reverentia, accedet nobis bona gratia. *Eccleſi: 32.*



FERVOR SPIRITVS.

SAcratiſſimum quadrageſimæ tempus, acceptabile, dies ſalutis ingredimur. Nec ſine Duce. Præit enim ſequentibus Chriſtus, docetq; ſequaces ſuos certa & ſecura imprimere veſtigia. De eo Evangelium ſequentis Dominicæ: Ductus eſt Jesus in deſertum à Spiritu. Quid eſt quod ducitur ille qui eſt dux peregrinationis noſtræ? ducitur ille qui eſt via omnibus in patriam cæleſtis Jeruſalem pergentibus? Non tamen ita ducitur ut extraneo & alieno egeat ſubſidio. A ſuo Diviniſſimo ductus eſt Spiritu, quia ut habet tranſlatio Siriaca, *à Spiritu ſanctitatis.* Ubi Mathæus Evangeliſta ponit: *Ductus eſt Iesus in deſertum à Spiritu,* Lucas alijs verbis utitur: *Iesus autem,* inquit ille, *plenus Spiritu Sancto regreſſus eſt à Iordane & agebatur à Spiritu in deſertum.* Marcus autem ſic ait: *Et ſtatim Spiritus expulit eum in deſertum.* Diverſa phraſi idem ſenſus exprimitur, Chriſtum videlicet eo fervore poſt acceptum à Jordane baptiſma in deſertum perrexiſſe, acſi agi, acſi pelli à quopiam videretur. Species tibi Chriſtiane, tibi Religioſe datur; forma præſcribitur quam debeas æmulari. Noſtræ id inſtructioni fecit dux & magiſter omnium Jesus ut diſcamus, nos ad deſertum ab Angelis prævaricatoribus cælum, toto quidem vitæ tempore at potiſſimùm intra quadrageſimam agi & pelli à ſpiritu debere, hoc eſt, cum fervore ſpiritûs omnia ad ſtatum noſtrum, ad officium noſtrum, ad ſalutem noſtram quocunq; modo ſpectantia exercere. *Lucæ 4.* *Marci 1.*

Fervor porro ſpiritûs, eſt quædam animi alacritas in bene operando. ſi rem ſpectes, fervor ſpiritus. ſeu quod idem eſt fervor charitatis aut

pietatis, eſt ipſa charitas Divina non utcunq; tepens ſed ardore incaleſcens. Eius proprietates aut affectus recenſet D. Auguſtinus. *Amor tenebroſa illuminat, clauſa reſerat, frigida inflammat mentem aſperam & iraſcibilem & impatientem mitigat, vitia fugat, reformat & renovat ſpiritum. Hæc omnia facit amor cum præſens eſt; cum verò abſceſſerit, ita incipit anima jacere languida, ac ſi cacabo bullienti ſubtraxeris ignem.*

Cauſa efficiẽs fervoris.

Hanc charitatem ferventem ſeu fervorẽ charitatis parit efficitq; in nobis gratia Spiritus S. teſtante Apoſtolo: *Charitas DEI diffuſa eſt in cordibus noſtris per Spiritum S. qui datus eſt nobis.* Hic agebat pellebatq; Chriſtum Dominum ut omnia in ſummo fervore, in ſumma alacritate, in ſũma intenſione operaretur quæcunq; ex voluntate Patris ad redimendum genus humanum operabatur: hic Virginem Beatiſſimam cum feſtinatione abire fecit in montana: hic Apoſtolos ita fervidos reddidit ad magnalia DEI prædicanda ut muſto madidi crederentur: hic omnes ſervos DEI quoſcunq; inhabitat ita inflammat, ut naturalis obliti tarditatis currant imo volitent ad Divina. Rectè quidam: *Fervor charitatis eſt ſignum inhabitantis Spiritus Sancti & filiationis Divinæ juxta Apoſtolum ad Romanos 8. Quicunq; Spiritu DEI aguntur ij ſunt Filij DEI.* Extinguitur ignis, ſi deſit pabulum. Et fervor à ſpiritu Sancto in cordibus noſtris excitatus tepeſcet niſi nutriatur. Quod autem eſt nutrimentum ipſius? Cito dico, eloquia Domini, teſſeræ ex ſcripturis ſacris, orationes breviuſculæ quas eiaculatorias vocamus. His alitur, his fovetur in nobis ignis Divinus. Propter hunc finem Magiſtri ſpirituales orationum eiaculatoriarum frequentem commendant uſum. Propter hunc eundem finem D. Auguſtinus manuale ex elegantioribus Sanctorum Patrum dictis contexuit quod ſemper ſecum haberet & ex cuius lectione quoties tepeſceret, in DEI amorem accenderetur.

A Ponte in Mat: ſup: c.

Cauſa conſervans, ſeu nutrimentũ fervoris orationes ejaculatoriæ.

In præf: ad Manuale.

Inductiva fervoris. Primum ultimus finis noſter.

Innumerata ſunt quæ torpentem & remiſſum animum excitant ad fervorem è quibus principem locum tenet finis ultimus noſter, beatifica DEI fruitio quæ quanta bona quos voluptatis torrentes quam caſtarum ubertatem deliciarum complectatur nec oculus videre nec auris audire, nec cor hominis valet comprehendere. Nullius pretij eſt quod nullo acquiritur labore & propterea quod pretioſum eſt! magno quoq; debet redimi. In boni alicuius tranſitorij cura, papæ! quantùm ſudatur & ſi plerumq; ſpes conſequendi vana ſit & labor inanis. Si tanti vitrum, quanti margaritum! Si tanto ſtudio auri argentiq; divitias, honorem temporalem & imperandi ac ſuperandi potentiam, amicitiam carô nodô dulcem, variaſq; vitæ præſentis illecebras humana ſectatur cupiditas, quo æſtu flagrare debet charitas ut bonum illud aſſequatur in quo eſt plenitudo & indeficiens copia incorruptibilis ſuavitatis, divitiarum affluentia perennium, honoris & imperij infinita amplitudo! Habent & hæc ima delectationes ſuas ſed non ſicut DEus noſter qui fecit omnia & ipſe eſt deliciæ rectorum corde. Pulchra ſunt & decora ſed præ bonis ſuperioribus, & beatificis abiecta & jacentia, ideoq; ab illis averti debet animus ne pervertatur, ad beatifica toto conatu, tota converti fortitudine. Vladiſlaus Polonus Hungariæ Rex uſus pro ſymbolo, pyramide in cuius faſtigio erat corona ad quam genius repebat, adiecta Epigraphe *vel ſic enitar*, oſtendens hoc hieroglyphico ſe

S. Auguſt: lib: 2. Conf:

Typotius.

phico ſe

phico ſe ad conſecutionem coronæ Bohemicæ omnem moviſſe lapidem, omnem curam adhibuiſſe. Corona æternæ gloriæ eos meretur ſudores, eos conatus ut quamvis per obeliſcum à terra ad cælos pertingentem claviſq; confixum ferreis rependum eſſet, juſtum foret ſic ad eam eniti; quid verò ſi levioribus parari poteſt ſtudijs, ſi faciliori apprehendi modo?

Et fervor novitius magnum eſt animi noſtri ad ſpiritualem agilitatem incentivum. Certè nemo è nobis in prima converſione ſtatuſq; Religioſi profeſſione reſolvebatur tepore, nemo ſocordi languebat circa divina otio ſed tam interius corde quàm exteriùs fervebat opere. Credo ego quod nullus ſit qui tunc ſatiaretur dulcedine mirabili conſiderare altitudinem divini conſilij ſuper ſalutem generis humani, nullus qui ſatiaretur fletu in hymnis & canticis ſuave ſonantis Eccleſiæ. Principio igitur medium & finis reſpondeant. Hoc motivô languentem & tepidum animum in Epiſcopo Epheſino excitavit prioriq; reſtituit fervori Chriſtus ſcribens & dicens illi per Joannem Apoſtolum Apoc: 2. *Habeo adverſum te pauca, quòd charitatem tuam primam reliquiſti. Memor eſto itaq; unde excideris & age pænitentiam & prima opera fac.* ubi ſe ſtatim explicat quid nomine primæ charitatis vocet. Primam ergò charitatem prima opera dicit quæ in Epiſcopo cæpta erant in ardore ſpiritus tam in DEUM quàm in proximum: in DEUM quidem præter pios affectus erant in eo jejunia, orationes aſſiduæ, vigiliæ, contemplationes aliaq; idgenus exercitia bonorum operum: in proximum, proviſio corporalis, eruditio, ſpiritualis conſolatio & alia in quibus fervor ſpiritûs ſolet exerceri. Meminiſſe igitur primæ charitatis, fervidæ ſcilicet & in fervore operantis, inſigne eſt ad virtutes virtutumque opera alacritèr perficienda hortamentum. Unde Abbas Agatho cum adoleſcens quidam ingreſſurus Monaſterium inſtrui peteret, quomodo Religioſam vitam in fratrum contubernio acturus eſſet, ſaluberrimum hoc & quod Magiſtris ſpiritualibus nunc eſt uſitatiſſimum, dedit conſilium. *Obſerva præ omnibus hoc, ut qualis primo die ingredieris ad ipſos, talis reliquum peragas tempus.*

2. fervor novitius.

Pannonius in Apoc: C: 2.

In vitis PP. libro 7.

Sed exempla fortiùs urgent uti agnovit inſemetipſo quem ſæpius memoro D. Auguſtinus ſub initium converſionis ſuæ: *Exempla ſervorũ tuorum,* inquit ille, *congeſta in ſinum cogitationis noſtræ urebant & abſumebant gravem torporem ne in ima vergeremus & accendebant nos valde.* Jam ante inſinuavi quanto Chriſtus fervore opera exercuerit omnia, ſed quia *venerabile mihi eſt & præcordijs meis reverendiſſimum* (verbis utor præſulis Hipponen:) *de Filio DEI linguam ſermonibus occupare,* ideo hîc etiam pauca adijcio. Apoc: 1. Joannes Apoſtolus vidit in medio candelabrorum aureorum ſimilem filio hominis cuius caput & capilli erant tanquam lana munda, oculi tanquam flamma ignis, & pedes eius ſimiles aurichalco ſicut in camino ardenti Angelus hic erat perſonam Chriſti gerens, & qui in perſona Chriſti varia Joanni de ſtatu Eccleſiæ futuro anuntiaturus apparuit. De capite oculiſq; adpræſens mitto quærere, de pedibus velim ſcire cur ſimiles aurichalco & cur in camino ardenti viſi? Per pedes ſignantur affectus Chriſti chalcolibano metallo pulcherrimo, & pretioſiſſimo ſimiles eò quòd ſint mundiſſimi & pretioſiſſimi; vel certè per pedes humanitas Chriſti ſignificatur ſi-

3. exempla.

Confeſ: lib: 9.

De Aſſumpt:

catur ficut per Caput Divinitas; dicitur autem fimilis aurichalco in camino ignis ardentis quòd ardentiffimo amore, inflammatiffimis æftuaret defiderijs ad opus redemptionis noftræ perficiendum. Nonne pedes Chrifti, affectus Chrifti, totaq; *Deificata*, ut eam vocat Nazianzenus orat: 36. humanitas ardebat velut in camino ardenti quando Chriftus noftram operabatur falutem, quando in oratione pro nobis pernoctabat, quando vicos caftella urbes integrafq; peragrabat regiones, fatigabatur ex itinere, prædicare, miracula patrare etfi convitijs & contumelijs impeteretur, imò etiamfi propter exceffivum ut ita dicam fervorem pro malè fano & emotæ mentis homine haberetur, non defiftebat. Corpus & fanguinem fuum ante paffionem fub fpeciebus facramẽtalibus, Ecclefiæ fuæ in perpetuum ultimis quafi tabulis confignavit: ad paffionem oblatus eft quia voluit: & tandem amore noftri victima fimul & victor in ara crucis occubuit. O verè pedes Chrifti fimiles aurichalco in camino ardenti.

Ex lib: gratiarum Spiritualium S. Mechtildis.

Sancta Virgo Mechtildis, cum fe aliquando poft preces matutinas ad dormiendum compofuiffet, vidit Chriftum Dominum in fublimi fedentem folio pofitis in fcabello pedibus dicentemq; audivit: *Hic fupra pedes meos inclinata recumbe.* recubuit illa atq; illico de vulnere pedis Chrifti audivit fonitum quafi aquæ in fidelia ferventis. Interrogat Chriftus: *Quem dat fonum olla coquens?* cumq; Mechtildis cogitaret fe nefcire, refpondit: *olla coquens fonitum dat, ac fi dicas: Curre Curre.* Sic & me Amor cordis mei inftigabat, urgebat, ut currerem de labore ad laborem, de civitate in civitatem, de prædicatione ad prædicationem donec omnia faluti humanæ neceffaria confummarem. Nonne hoc eft in camino ardenti pedes habere? Quid memorem Virginem Beatiffimã quæ ut pote plena Spiritu Sancto non poterat in bonis torpere operibus. *Nefcit enim tarda molimina Spiritus Sancti gratia.* Nofter certè inftitutor & Antefignanus D. Paulus Eremita primus non valuiffet in eremo ut monftrorum ita, & tentationum feraci diu perfiftere nifi à Spiritu Sancto in defertum actus pulfufq; fuiffet, eodemq; impellente fervidè fuis orationibus meditationibus contemplationibus lectionibus operiq; manuali inftitiffet. Num modicus ille in Antonio Magno fpiritualis ardor, quô fub ipfa ftatim fuæ vocationis primordia, proprias fingulorum fratrum hauriebat gratias: huius continentiam, jucunditatem illius fectabatur; illius lenitatem, illius vigilantiam, alterius legendi æmulabatur induftriam; iftum jejunantem, iftum humi quiefcentem mirabatur; alterius patientiam, alterius manfuetudinem prædicabat omniumq; bona in fe nitebatur exprimere: & cum adverfùm neminem moveretur, ea folùm flamma egregio viro crefcebat in pectore ne fecundus cuiquam in bonis operibus videretur. D. Bernardus ferventiffimus & ipfe in tantum amavit in tantum æftimavit diligentiam & alacritatem in agendo ut cuidam fratri in æftu folis impigrè operanti in agro, prophetico dixerit fpiritu: *Age mi frater, polliceor, pofthac purgatorium ignem nullum fenties.* Ante dies me deficeret quàm copiofum retexerem indicem infignioris faltem ardoris quô fancti DEI ad profectũ ad virtutes & varia pietatis exercitia rapiebantur. Generatim indubitatum eft neminem algentem tepentemq; fpiritu perveniffe ad arduam virtutum palmam raro appetitore pretiofam, neminem fine fudore con-

D. Atha: in Vita S. Antonij M.

fecutum

ſecutum eſſe coronam gloriæ & diadema decoris de manu DEI. Quippe *non coronabitur niſi qui legitimè certaverit.* Legitimè certat cuius certamen victoria conſequitur; vincit autem nemo qui languidè & remiſſis pugnat brachijs. Hos omnes figurant animalia apud Ezechielem quæ propter agilitatem non modò pennata eſſe perhibentur ſed etiam ire redireq; in ſimilitudinem fulguris coruſcantis. Hos repræſentat Sponſa Cant: 3. dicens: *Inveni quem diligit anima mea tenui eum & nec dimittam.* Hebraica verſio legit: *Tenui eum nec venteſcam ſuper eum.* Nimirum vult dimittere & periculo ſe exponit dimittendi Chriſtum qui lenteſcit ſuper eum. Qui lentè tenet aliquem eo ipſo dimittit.

Taceo hîc ego ſtadiodromorum, mercatorum, agricolarum, opificum diligentiam quorum antelucana induſtriâ vinci ſe dolebat & erubeſcebat Demoſthenes. Taceo maximum in minutis creaturis DEI apibus & formicis fervorem dum illæ ſummo mane ex alvearibus erumpendò, hic inde per fragrantia tymo rura volitant ut ſuas collecto nectare diſtendant cellulas; hæ verò pigrum & deſidioſum hominem velociſſimo curſu & recurſu ac intra ſubterranea horrea ſarcinularum futuræ hyemi comportatione condemnant. Omnia hæc adverſùm nos clamant ne in bonis ſegnes ſimus operibus ſed quodcunq; operatur manus noſtra, inſtanter operemur.

Univerſa quæ dixi, eò tendunt ut quæcunq; facimus ſeu ex mandato, ſeu ex inſtituto in flagrātiſſima charitate & in alaritate animi faciamus, ad quam præterea operoſa cum tētationibus permovet lucta. Salvator noſter invincibilis licet & qui gentes avernales quæ bella volunt, unico nutu diſſipare poterat, obarmavit ſe fervore ſpiritûs ad pugnam cum ſathana. Nobis eiuſmodi armatura omnino neceſſaria. Auctore Rufino dixit quidam ſenex: Sicut ad ſuccenſam cucumam muſcæ non appropinquant, cùm verò amoto igne tepuerit, involant eam & ligurientes conſpurcant; ita Monachum flagrantem igne amoris Divini fugiunt dæmones, tepidum autem illuſionibus remorſu conſcientiæ varijſq; peccatorum lacerant & fædant punctionibus. Ad profectum ergò noſtrū ferveamus, ſimus diligentes & vigilantes in DEI ſervitio & cogitemus frequenter ad quid venimus & cur ſeculum reliquimus. Pudeat pigritare ubi in præmium laboris corona immarceſcibilis gloriæ eſt propoſita, ubi fervor noſter novitius & ſanctorum exempla nos ſtimulant, urgent, excitant. Memores ſimus horrendæ comminationis Divinæ adverſùm tepidos: *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo.* Quod commentans cælicus Cælius exclamat: *Quis non expaveſcat in negotijs regni DEI tepidus ac piger eſſe? Tepidos evomet Chriſtus & adhuc tibi in ignavia places? Excute ſocordiam, quoniam non ſomnolentis obvenit regnum DEI ſed vigilantibus ſed ſtrenuis ſed impigrè agentibus.* Quiſquis igitur eiuſmodi intentatàm à Chriſto metuis eiectionem & abjectionem, vigila ſuper te ipſum, excita te ipſum, admone teipſum & quidquid de alijs ſit non negligas teipſum. Tantum proficies quantum tibi ipſi vim intuleris. *Remiſſio ſeu tepor eſt via quædam ad extremam perniciem. Sicut enim ignis ſenſim extinctus in favillam deniq; ac cineres reſidet ut ultra ignis non ſit ſed favilla & cinis; ſic & charitas ubi virtute remiſſa ſit atq; à primo fervore tepefacta quem dederat Spiritus*

Quartū evaſio tentationū diabolicarum.

In vitis PP.

Thom: à Kempis lib:1. C. 25

Pannonius.

Fervidus comparatur igni.

Sanctus in cor hominis, lentescit ac deficit. Languens ac tepescere inci-piens animus, brevi moriturae charitatis principium est. Ignem Chri-stus venit mittere in mundum, ignem misit in corda nostra, illum ergò retineamus. Conservetur ardore, nutriatur operationibus & orationi-bus, nunquam sit otiosus. Simus velut lapis Asbestes cuius proprietas accendi semel, ardere semper: simus velut sphaera in plano posita le-vissimo motu imò flatu ipso mobilis; non sicut onusta navis etiam ve-hementissimo vix cedens impulsui, qua similitudine Ludovicus Grana-tensis fervidos à tepidis distinguit. *Homo fervidus & diligens,* inquit Thomas à Kempis, *ad omnia est paratus;* sphaera est rotunda perfectè, ideoq; facilè mobilis; non est necesse illum urgere stimulis, stringere praeceptis, comminationibus terrere, paenis compellere. Insinues tan-tùm quae facta velis & sufficit. Sed in fine sermonis iterum exorsus sum? Amor id fecit. *Amor* teste Hieronymo *ordinem nescit.* O Amor! qui semper ardes & nunquam extingueris, dulcis Christe bone JESU lu-men aeternum & indeficiens accende nos & magis magisq; inflamma igne tuo amore tui dulcedine tua delectatione tua desiderio tui cha-ritate tua jucunditate & exultatione tua pietate & suavitate tua ut toti dulcedine amoris tui pleni, toti flamma tuae charitatis vaporati dum tempus habemus operemur bonum.


Lapidi Asbesti

Sphaerae.

In Concione de B. V.

Ad Iovinian: & Chrom:

Ex manu S. August: Ca: x.



LÆTITIA
SPIRITUALIS.

S. Leo.

S*ALVATOR noster dilectissimi natus nobis est gaudeamus. Neq; enim fas est locum esse tristitiae ubi natalis est vitae. Una cunctis laetitiae communis est ratio.* Quis nolit gaudere, praesertim dum caelum ipsum gratiosò Angelicae buccinae concentu gaudium annuntiat? Omnes quidem suopte ingenio gaudere volunt homines sicut omnes beati esse naturali desiderant appetitu, at non omnes conveniens & verum appe-tunt gaudium. Conqueritur Augustinus de sua tenebricosa adolescen-tia: *Exhalabantur,* inquit, *nebulae de limosa concupiscentia carnis & sca-tebra pubertatis atq; obfuscabant cor meum ut non discerneretur sere-nitas dilectionis à caligine libidinis.* Idem in nobis fumosae aestuantium cupiditatum praestant nebulae ut lumen auferant ne serenitatem & cla-ritatem gaudij veri à falsò dignoscamus. Orta est lux quae illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: huius beneficiò, quod sit verum gaudium demonstrabo & in eius amorem animos inflammare contendam.

In Confess:

Gaudiũ quid?

Gaudium latiùs patens quàm delectatio atq; in solis creaturis in-tellectu praeditis locum habere capax, est quies appetitûs rationalis in bono convenienti. Unde secundùm diversitatem boni, etiam diver-sum numeratur gaudium. D. Augustinus eleganti divisione triplex as-signat: aliud iniquitatis, aliud vanitatis, aliud veritatis, seu Spiritus S.

In Manuali Cap: 27.

Gaudium,

Gaudium, inquit, *iniquitatis polluit, gaudium vanitatis effundit: gaudium iniquitatis facit vas sordidum, gaudium vanitatis facit rimosum: gaudium iniquitatis est cum peccatum diligitur, gaudium vanitatis cum transitoria amantur. Et hæc gaudia mala sunt quia alterum habet culpam, alterum occasionem culpæ. Spiritus Sanctus gaudium est. Spiritus diaboli operatur gaudium iniquitatis: Spiritus mundi gaudium vanitatis: Spiritus Sanctus operatur gaudium bonum & amorem bonum. Ejice spiritum diaboli & spiritum mundi huius, ut accipias Spiritum* DEI. huiusq; ille. Ex hac gaudiorum triade intelligis puto quodnam sit verũ, illud nimirum quod ipse Spiritus Sanctus operatur, quod non de peccato non de transitorijs sed de ipso DEO rebusq; Divinis concipitur. Expressa est hac de re memorati Doctoris sententia asserentis gaudium esse verum gaudere de veritate per quam vera sunt omnia quod quidem gaudium, beatum efficit hominem adhuc peregrinantem, beatum inquam si non plenè saltem pænè, si non in re certè in spe. Suffragatur sua quà authoritate quà ratione Doctor Angelicus dum censet verum gaudium esse quod nascitur ex charitate DEI. *Gaudium enim*, inquit ille, *causatur vel propter præsentiam boni amati vel etiam ideo quia ipsi bono amato proprium bonum inest & conservatur.* Unde sicut charitas duplex est secundum duplicem respectum Divinæ bonitatis ita gaudium de DEO duplex est, unum quidem procedens ex amore benevolentiæ tendente in bonitatem Divinam secundum se acceptam: alterum ex amore concupiscentiæ terminato ad eandem bonitatem quatenus se nobis communicantem. Prius rectè benevolentiæ gaudium dixerim per quod de DEO eiusq; Divinis attributis & perfectionibus gaudemus; posterius concupiscentiæ, per quod nimirum DEUM nobis propitium in creando, redimendo, sanando, regendo, gratulamur. Quia igitur ex amore boni gaudium generatur & nullum bonum verum præter DEUM quia nemo bonus nisi solus DEUS; consequitur, etiam nullum verum gaudium posse esse nisi de solo DEO.

Quotuplex?

Quod verum gaudium.

2. 2. q. 28. art: 2.

Gaudium de Deo duplex.

Et certè quomodo verum gaudium potest esse quod solùm externè corpus circumfluit, in cor autem non illabitur; in externa sistit superficie, ad internam mentis sedem non pervadit. Gen: 17. describitur risisse Abraham, risisse & Sara. Sed huius risus reprehenditur, illius non. Quare? quia Sara risit in ore suo: Abraham in corde. nam in quibusdam biblijs hæc verba habentur: *Risit Abraham in corde.* Nimirũ lætitia illa quæ in solo natat ore, tanquam fallax & adulterina reprobatur; quæ verò è corde nascitur, vera esse & germana censetur. Imò Sara risisse se negavit, ut discas, externam lætitiam tam inanem esse ut nulla reputetur ac proinde qui ea perfusus ridet, negare se possit ridere & qui exultat, exultare. Cordis porro lætitia tantopere solida est ut non modo negari nequeat sed nec occultari quidem. E corde in frõtem emicat & intus inclusa, erumpit foras. Non risi, inquit Sara, hoc est veram solidam & ab omni mæstitudine defæcatam lætitiam non concepi quamvis aliquod eius signum visa fuerim ore prætulisse. Non risi, neque enim in ore sedet vera sinceraq; lætitia, intus, intus in corde conservatur. Lætitia quæ in rebus externis sentitur non cordis sed oculorum vel aliorum sensuum lætitia est; non est autem, si credimus scripturæ, oblectamentum super cordis gaudium, id est nullum illud aut sanè modicum

Gaudium de trãsitorijs mũdanis rebus, cor non afficit

Mendosa in Cant: Annæ.

modicum oblectamentum quod foris in corpore commoratur, ad cordis ima non penetrat; sensus illecebroso scalpit pruitu, animum delectatione non implet. Quia igitur gaudium mundanorum & omne illud quod non est de DEO, exteriùs duntaxat titillat hominem, cor non afficiendo, verum gaudium nullatenus dici potest. Hinc est quod plerumq; exhilarato ore tristatur animus. *Risus dolore miscetur & extrema gaudij luctus occupat.* In hebræo legitur. *In risu dolebit cor & extremum gaudij dolor.* En vides quomodo mundana tripudia risûs nomine nuncupata non pertingant ad ima pectoris, imò verò illis forinsecus blandientibus intus cor dolore lancinetur.

Bonitas Divina in se spectata causat in nobis lætitiam.

Gaudium de DEO diximus pullulare ex amore bonitatis Divinæ jam in se, jam nobis beneficæ. Bonitas igitur Divina quoad utrumq; hunc respectum amata à nobis ac per amorem quodammodo possessa nostrum ad spiritualem exultationem percellit animum. Cant: 1. gloriatur sponsa se abunde & regia liberalitate tractatam: *Introduxit me Rex in cellaria sua, exultabimus & lætabimur.* Quid est Sponsa? etiam ne DEUS habet cellaria in quibus amicis suis pleno poculó propinet vinum? Etiam, etiam. sed quæ illa cellaria? Cellaria vocantur à celando, eò quód in illis vinum aut alia vitæ sustentandæ necessaria occultentur. Cellaria ergò DEI, sunt profunda eiusdem mysteria quæ alibi potentiarum nomine indicantur sicut scriptum est: *Introibo in potentias Domini,* hoc est, perfectiones & attributa DEI considerabo. In his cellarijs mens subducitur, affectus ad spiritualia trahitur, jucunditas & exultatio generatur, amoris Divini recordatio excitatur. *Exultabimus & lætabimur in te memores uberum tuorum,* hoc est, juxta fontem hebraicum, *Amorum tuorum.* Quàm verè spiritualis quidam asseruit: Lætitia vera est consolari in his quæ in DEO sunt. Materia enim omnis gaudij in DEO est, scilicet potentia, sapientia, bonitas, largitas, pulchritudo, beatitudo, misericordia, justitia, veritas, nobilitas, sanctitas, fidelitas ac cæteræ perfectiones. Unde eadem Sponsa confitetur: *Oleum effusum nomen tuum.* Nunquid verò unum tantummodo nomen DEI? Censeo ego, nomen Domini DEI esse quamcunq; perfectionem eiusdem, & quot perfectiones, tot nomina. Unum tamen dicitur quia omnes perfectiones una sunt natura Divina & quia omnes pefectiones sunt unica in reali sensu perfectio. Hæc omnia nomina seu hoc unum nomen oleum vocatur effusum, oleum lætitiæ, plenum suavitate, plenum odoris fragrantia, amabile, afficiens, attrahens, delectabile. Expertus D. Augustinus qui in meditatione Divinæ essentiæ clamabat: *Te volo justitia & innocentia pulchra & decora honestis luminibus & insatiabili satietate. Quies est apud te valde & vita imperturbabilis. Qui intrat in te intrat in gaudium Domini sui & non timebit & habebit se optimè in optimo.* Sicut omnis creaturarum perfectio eminentissimè in DEO est ita omnium creaturarum, omnium sensuum lætitia ac delectatio eminentissimè in eodem reperitur. Per sensuum & illis respondentium oblectationū gradus, ascendebat ad delectabilitatē Divinam ille qui dicebat: *Cum DEUM meum quæro, quæro quandam lucem quæ est super omnem lucem quam non capit oculus: quandam vocem super omnem vocem quam non capit auris: quendam odorem, super omnem odorem, quem non capit naris: quemdam dulcorem super omnem dulcorē quem non capit gustus: quendam amplexum super*

Albertus Magnus in lib: de adhæ: Deo

In Confess:

Per sensus ascenditur ad bonitatem & delectabilitatem Divinam.

super omnem amplexum quem non capit tactus. Ista lux quidem fulget ubi locus non capit: ista vox sonat ubi spiritus non rapit: odor iste redolet ubi flatus non spargit: sapor iste sapit ubi non est edacitas: amplexus iste tangitur ubi non divellitur. Hic est DEUS *meus, & non æstimabitur alius ad illum.* conceptoque ex hac contemplatione cordis jubilo, in gaudiosas amoris raptus extases: *Sero,* aiebat, *amavi te pulchritudo tam antiqua & tam nova. Sero te amavi. Tu intus eras ego foris & ibi te quærebam & in ista formosa quæ fecisti ego deformis irruebam.* Gaudere & nos si volumus in Divinarum perfectionum maiestuosam jucunditatem & jucundam maiestatem mentales intendamus oculos. Si frigeat animus, si devotio torpeat, si in infimis hæreamus, saltem per sensus scalam nobis ad libandos voluptatis Divinæ torrentes faciamus. Jucunda oculis regina colorum lux perfundens cuncta quæ cernimus & multimodo allapsu blandiēs nobis aliud agentibus & eam non advertentibus; sed ô quanto jucundior fons ipse lucis! musica vocesq; seu artificioso seu naturali formatæ concentu delectabiles auditui; at infinities delectabilior increata Divinarum perfectionum ac relationum harmonia! olfactum flores unguenta atq; aromata mirificè recreant sed magis recreat author odoris DEUS! gustum mella manna aliaq; palato arridentia dulcorant sed ô quanto dulcior omni mellea suavitate Creatrix dulcedo! amplexui magnam voluptatem procreant mollia & ad tangendum amabilia, sed quid castis amplexibus amabilius eô qui corpus ipsum formasq; omnes convenientissima membrorum proportione & congruentia produxit.

Divina bonitas nobis se cōmunicās, causat item lætitiam in nobis.

Non minùs fertilem gaudiorum spiritualium campum exhibet Divina bonitas sui ad nos diffusiva quòd nimirum nobis in creatione vitalem suæ essentiæ portionem dedit: quòd humanam naturam ita sibi univit Verbum ut DEUS dicatur homo & homo DEUS: quòd nos redemit: quòd carnem humanam in dextera Patris collocavit. Hoc stimulô se ad jubilos spirituales excitabat, quem sæpiùs adduxi, Hipponensis Præsul: *Est enim,* inquiebat, *in te* DEO *& Domino nostro* IESU *Christo dulcissimo & benignissimo atq; clementissimo uniuscuiusq; nostrū & portio & sanguis & caro. Ubi ergo portio mea regnat, ibi me regnare credo: ubi sanguis meus dominatur, ibi me dominari confido: ubi caro mea gloriatur, ibi me gloriosum esse cognosco.* Accedit, quod ultra innumera alia beneficia, certificavit nos DEUS de futura æterna beatitudine nostra per promissa legis & Prophetarum, per privilegia 4. Evangeliorum, per pignus Spiritus Sancti in baptismo acceptum, per arrhā id est prægustationem æternæ gloriæ in devotione, per obsidem qui est Christus unigenitus DEI filius nobis in augustissimo Eucharistiæ Sacramēto relictus. quis non gaudeat, quis non exultet hæc mente ruminans? *Gaudete,* exclamat Christus ipse, *quoniam nomina vestra scripta sunt in cælis.* & Esaias non tam Propheta quàm Evangelista annuntiari justo voluit: *Dicite justo quoniam benè quoniam fructum adinventionum suarum comedet.* Bene justo in rebus naturæ: bene in gratiæ ordine: bene ô quàm bene in statu gloriæ! quoniam fructum comedet adinventionum suarum, meritorum suorum, industriarum suarum in custodia mandatorum DEI, in profectu spirituali. fructum comedet. quem illum? quem nec oculus videre, nec mens valet cogitare. Comedet

absq; fastidio, absq; nausea, cum jucunditate & dulcedine inexplicabili. Quis non exultet tali nuntio à DEO exhilaratus, quis non tripudiet imò verò quis non præ exuberanti gaudio exiliat, in sanctam quandam versus insaniam, ut D. Franciscus certior factus de sua prædestinatione insanire visus saltitabat nec aliud nisi, *Benedictus DEUS, Benedictus DEUS*, aliquot horarum spatio repetebat.

Sed inquies, quale gaudium mihi qui remorsum conscientiæ angoresq; internos ob peccata patior? Peccasti: ad pænitentiæ asylum confuge. Amaror pænitentiæ spiritualem non excludit delectationem. quin etiam, si fides B. Cypriano: *Dulciores sunt lachrymæ pænitentis quàm gaudia theatrorum. Exultet Sanctus quia appropinquat ad palmam; gaudeat peccator, quia invitatur ad veniam.* (S. Leo.) De lachrymis habetur in confessionibus D. Augustini, quòd tristitiam minuant, & gaudium loco mæroris inducant; quam materiam tractat quoq; S. Thomas. (De passionibus.) Si tale privilegium communibus lachrymis, multò maius illis quas amor DEI velut pretiosos uniones cordis doloribus medentes exprimit. Memoria peccatorum præpedit gaudij spiritualis accessum? dic: *Non possum terreri multitudine peccatorum meorum si mors Domini in mentem meam venerit quoniam peccata mea illum vincere non possunt. Clavi & lancea clamant mihi quòd verè reconciliatus sum Christo si eum amavero.* (S. August: in Manuali.)

At musica in luctu importuna narratio? In tribulationibus quas sive à diabolo impugnante, sive à mundo persequente, sive à carne titillante, seu à linguis rodentibus, aut undecunq; patior, quomodo gaudere possum qui vix vivo! *Mortis habet vices, lentè cum trahitur vita gementibus.* (Seneca in Thrag:) Qui hæc obtendis, auscultes velim quid loquatur Apostolus: *Communicantes Christi passionibus gaudete ut & in revelatione gloriæ gaudeatis.* Eo ipso quod pateris, amplissimus tibi lætitiæ spiritualis panditur sinus, quia videlicet nomen tuum scriptum esse in libro vitæ, certissimum habes argumentum. *Certa atq; secura est expectatio promissæ beatitudinis ubi est participatio Divinæ passionis* ait D. Leo. Gratulare tibi & exulta animam tuam subarratam & desponsatam esse DEO. *Patientia* enim *est pretiosus & præclarus annulus quo DEUS animam sibi desponsat* teste Ludovico Blosio.

Quando cum multis gaudetur, in singulis uberius est gaudium, quia fervere se faciunt & inflammantur ex alterutro. (August: Conf: lib: 8. *Multitudo spiritu gaudentium excitat in nobis simile gaudium.*) Quot porro & quanti sunt qui interna perfusi dulcedine, in externam quoq; exundant lætitiam! Tot socios habemus gaudij quot conservos. Nolo hîc Davidem cum cythara, Salomonem cum Canticis, Apostolos eorumq; succedaneos Sanctos Patres adducere cum spiritualibus nablijs: etiam defacto consolationibus Divinis abundat in terris sanctitas, etiam nunc spirantia tripudiorum internorum exempla nos circumdant. Quodsi vetera magis placent, recole mente atq; arbitrare te in Apollonij quingentorum Monachorum Rectoris degere Monasterio, ubi mira in omnium cordibus & ex his in vultus evibrata vernabat lætitia. *Supra modum*, ut author est Rufinus, *lætitia & gaudium inerat in eis & tanta exultatio quanta haberi ab ullo hominum non possit in terris. Nullus in eis tristis omnino inveniebatur sed & si aliquis visus fuisset aliquantulùm mæstior statim Pater Apollonius causam mæstitiæ perquirebat. Monebat ergo eos*, pergit idem Author, *non oportere prorsus inesse tristitiam his* (In vitis PP.)

quibus

quibus salus ex DEO *est & spes in regno cælorum. Tristentur*, aiebat, *gentiles, lugeant Iudæi plangant sine cessatione peccatores, justi verò lætentur. Nam si hi qui terrena diligunt, super fragilibus & caducis rebus lætantur; nos qui tantæ gloriæ spem & æternitatis habemus expectationem, cur non omni exultatione lætemur?* En quot quantivè sunt ex quibus ad spiritualis gaudij inflammamur amorem!

Ergò gaudete in Domino semper, iterum dico gaudete. Gaudete propter Divinæ naturæ cum humana unionem, gaudete propter assecuratam æternæ beatitudinis promissionem. Fructum charitatis dixi gaudium. Vis gaudere semper? semper in amore Divino persistas. *Secura mens juge convivium.* Vis fortem & virilem animum ad assultibus diabolicis resistendum? gaude spiritu. *Nemo fortior est ad diabolicas acies conterendas quàm qui spirituali exultatione obarmatur, juxta illud apud Esdram: Gaudium Domini est fortitudo nostra.* Vis dæmonem hostem tuum non modò vincere sed & flagris cædere? gaude spiritu. *Quoties enim in Domino gaudemus, toties diabolum flagellari assuerat* Origenes hom: de Elcana. *Vero fruere non superbus gaudio.* Vero inquam, non adulterino non falso non inani quod foris tantùm suo lenocinio & risu fatuos palpet sensus sed quod cordis interiora sua repleat suavitate: non illo ad quod mundanos & perversos mundanus & perversus ipse invitat Poëta: *Frange toros, pete vina, rosas cape, tingere nardo;* sed ad quod adhortantur Angeli Nativitatis Dominicæ præcones. Sacra gaudia, spiritualia, ex amore Divinæ bonitatis tam in se consideratæ quàm nobis se communicantis profluentia, hæc ama, his fruere, hæc *ambabus manibus complexuq; assere toto.*

Mendosa in Can: Annæ.

Mart: lib: 1.

Martialis.

PAX CORDIS.

In Pervigil: Nativit:

MIra etiam in DEO non quidem secundùm essentiam sed secundùm efficientiam (usitata Magistro Sententiarum utor distinctione) mira inquam metamorphosis. DEUS ultionum Dominus factus est Pater misericordiarum & DEUS totius consolationis: ille à cuius signis turbabantur gentes & timebant qui habitant terminos terræ, benevolentiæ & charitatis signa explicat: ille cui millia millium ministrabant cum ancipitibus gladijs ad faciendam vindictam in nationibus, nunc conterens scutum gladium & bellum, pacem ubiq; buccina cælesti proclamari & prædicari jubet. Pacificus sanè Christi in terras ingressus! Ab orbe enim condito non fuit usque adeo pacatum seculum quàm sub eius Nativitatem. Quippe toto mundo in pace composito apparere voluit ut jure sibi profanus tunc Orbis profano illo carmine gratulari potuerit: *Nulla ducum feritas, nulla est insania ferri. Pace frui certâ lætitiaq; licet.* At præstantiorem longè Author & Princeps pacis hominibus pacem attulit, quò bona interiora exterioribus, supernaturalia naturalibus præstantiora, pacem videlicet cordis, requiem animi, tranquillitatem conscientiæ, qua habitâ non nocent pressuræ mun-

di, non terrent Tyrannorum minæ, non quævis machinæ & impetus Avernales metum incutiunt. *Pax*, inquiunt præcones cæleſtes gaudium magnum evangelizantes, *pax hominibus bonæ voluntatis*; per quod, qualem pacem velint nobis, ſatis liquet. Cuius ut amore inardeſcamus, dignitatem ac neceſſitatem eiuſdem paucis volo depingere lineamentis.

Platonem ac Demoſthenem conſociare, hoc eſt, rerum pondera, philoſophica dogmata ac Theologica ſacramenta rhetorum ſtudijs & ſcholaſtico flore depingere difficillimum eſſe cenſet Hieronymus. Idem, diſputanti de ſcripturis ſanctis non tam neceſſaria eſſe verba quàm ſenſus affirmat, ad Tulliumq; legendum, eloquentiæ mendiculos remittit. Ideo ſic præluſi ne & à me verborum expectentur lenocinia quum profundiores ſenſus ex intimis Theologiæ diſciplinis ſcrutor, cum aliunde infantiſſimus ſim & tam ſermone quàm ſcientia imperitus.

2.2. q. 29. ar. 1. & ſequentibus. Intra ſuam amplitudinem conſiderata pax importat juxta Doctorem Angelicum, & appetituum unius appetentis & appetituum diverſorum appetentium unionem. Non modo autem appetituum ex cognitione procedentium, verùm etiam naturalium coniunctio, ad conſtituendam concurrit pacem. Unde univerſa, etiam inanima pacem expetunt in quantum videlicet omne appetens appetit tranquillè & abſq; impedimento pervenire ad deſiderij ſui conſecutionem. *Pax interna.* Quare ad mentem eiuſdem Doctoris pacem cordis ſic effigiare integrum: *Eſt propriorum appetituum inter ſe & cum* DEO *unio.* Inter ſe quidem ut una inclinatio alteri non repugnet; cum DEO autem, quia cum pax conſiſtat in quietatione & unione appetitûs, ſi motus omnes appetitivi conquieſcant in bono quod verè bonum eſt, erit pax vera; ſi in bono apparenti, pax apparens & fucata conſtituetur. *Non poteſt eſſe niſi cũ Deo quia ſolus is verè bonus & quia centrum noſtrum eſt.* Cum itaq; ſolus DEUS verè bonus ſit, per ſuam videlicet eſſentiam, omnia autem creata per participatam non niſi à DEO bonitatem, illud ſequitur, non poſſe pacem germanam & ſinceram nobis obtingere niſi noſtræ appetitiones cum DEO uniantur, cum rebus verò creatis ſecundùm DEUM coniungantur. Et ſanè, quonam pacto quiete animi gaudere valemus abſq; DEO, cum is centrum noſtrum ſit. Hæc in ipſis etiam inanimatis rebus natura & modus quotidie à nobis conſpicitur ut non quieſcant donec loca ſua ad quæ naturali feruntur pondere, attingant & obtineant. Ponderibus ſuis aguntur omnia, loca ſua petunt. Ignis ſurſum tendit, deorſum lapis: oleum infra aquam fuſum, ſupra aquam attollitur: aqua ſupra oleum fuſa, infra oleum demergitur. ponderibus ſuis aguntur, loca ſua petunt. Cum ergo requies noſtra, finis locuſq; noſter, ſit DEUS niſi eidem pondere amoris uniamur, nequaquam ſuaviter repauſabimus. *S. Auguſtinus.* *Fecit* enim *nos ad ſe & inquietum eſt cor noſtrum donec requieſcat in ipſo.*

Præſtãtia pacis internæ. Præſtantiam atq; utilitatem boni, quod prædico, ipſe Chriſtus Dominus evulgavit quando illud tanquam actum perfectæ virtutis nempe charitatis inter 8. beatitudines poſuit. *Beati* inquit, *pacifici, quoniam filij* DEI *vocabuntur.* Quam ſententiam ventilans atq; ediſſerens Auguſtinus ait: *Pacifici ſunt qui omnes animi ſui motus componentes & ſubijcientes rationi carnaleſq; concupiſcentias habentes edomitas ſunt regnum* DEI *in quo ita ordinata ſunt omnia ut quod eſt in homine præci-*

puum &

puum & excellens imperet cæteris quæ sunt nobis bestiisq; communia atq; id ipsum quod excellit in homine id est mens & ratio subijciatur superiori quod est ipsa veritas filius DEI. Idem est dicere: Pacifici sunt in quibus carnales concupiscentiæ & passiones non pugnant contra spiritum & sensualitas tota obtemperat DEO, ad instar beatæ in cælesti regno pacis.

Apostolus item 12. fructus charitatis recensens, in numero aliorum pacem tanquam finale quoddam bonum, spiritualem habens dulcedinem memoravit. Magistri spirituales & quicunq; sacrarum literarum tractatores non pigmentis verborum fucisq; puerilibus sed fortibus solidisque ut debent, condecorant eam laudibus ex eo vel maximè quòd sit præambulum & initium quoddam vitæ æternæ quæ visio pacis appellatur & cuius fines juxta Prophetam DEUS posuit pacem. Quædam enim prælibatio gloriæ æternæ est, quando mens nostra in jucunda serenitate & serena jucunditate eô perfruitur per fidem quô tandem fruitura est per speciem. Pax perfecta & consummata non nisi in cælo est ob plenam fruitionem summi Boni, per quam omnes appetitus uniuntur quietati in DEO: huius imago & inchoatio quædam in nobis sentitur, si sensuum passionumq; motus, animæ non rebellent & anima motibus suis in DEO conquiescat, quamvis interea multa intus & extra nostræ repugnant voluntati ideoq; nos interturbant. Quod pax interior initia & prægustationes voluptatis cœlicæ afferat quis ibit inficias quando instructi Divinarum scripturarum veritate novimus omnes, DEUM suavitatis authorem amabilissimam in corde pacato habere mansionem testante ipsomet: *In pace in idipsum dormiam & requiescam.* Et Psalte: *In pace factus est locus eius.* Apostolo item: *Pacem habete & DEUS pacis erit vobiscum.* Ex quo etiam capite quis non videat summè necessariam nobis esse, cum absq; ea nemo sanctuarium DEI, nemo templum Spiritus Sancti fieri possit. *Necessitas.*

Quid si dixero nec orationem quotidianum salutis nostræ præsidium absq; ea exaudiri à DEO? Equidem turbatum cor & passionum procellis involutum aut non orat aut si orat non ita suaviter ut DEUM inflectat. Ad quod probandum accommodata est Caietani versio super illum Genesis locum de sacrificio Noe ubi Dominus dicitur odoratus esse *suavitatem odoris.* pro quo Caietanus legit *odorem quietis.* Utique & sub tempus diluvij & ante orabat sæpiùs ac sacrificabat Domino Noe, cur ergo de nulla alia oratione & sacrificio testatur scriptura: *Odoratus est Dominus odorem suavitatis?* Quia ante diluvium turbabatur zelo & indignatione contra impios, odio scelerum nefandorum, impænitentiâ & obduratione malorum: sub tempus diluvij alterabatur metu judiciorum DEI, horrore tantæ pœnæ quâ universus Orbis deletus concutiebatur: incertitudo quoq; cessationis aquarum anxium reddebat, ideo non videbatur tunc suavis odor orationum & sacrificiorum eius utpote ex turbato corde procedentium; at postquam sublatis motivis justæ indignationis, siccato post illud purgati baptisma mundi diluvio, extincta hominum cum ipsius hominibus malitiâ, serenata orbis facie quietem cordis animiq; serenitatem nactus sacrificavit, tunc Dominus suavitatis odorem odoratus, quia odorem quietis. Alium ad rem, scripturæ passum accipite. Joram Israeliticus Monarcha adscitis in belli societatem

Pax cordis necessaria ad orationem.

4. Reg: 3.

cietatem Rege Juda & Rege Edom, post factam Principi Moab clarigationem movebat adversus eundem utpote fœdifragum vasallum. Per desertum Idumææ euntibus ipsi & socijs ac exercitibus mandrisq; eorũ aquæ nullæ suppetebaut. In ea angustia quærit Josaphat Rex Juda: est ne hîc aliquis Propheta Domini? accepit responsum, esse Elisæum. Igitur ad eum tres simul descendunt, exponunt adventus sui Oratore Rege Israel causam, ut subveniat per suas apud Dominum orationes, precantur. Erat porro Rex Israel & Edom idololatra, Rex autem Juda orthodoxus. Propheta insolito excandescens fervore invehitur in Regem Israel: *Quid mihi & tibi? Vade ad Prophetas Patris & Matris tuæ. Vivit Dominus exercituum in cuius conspectu sto quodsi non erubescerem vultum Iosaphat Regis Iuda non attendissem quidem ad te, nec respexissem, nunc autem adducite mihi Psaltem.* Jam ad quid amabo vocatur Psaltes? Non profanum choraulam qui indoctum aliquod carmen & suave bibenti nosset occinere sed unum de Levitis qui Psalmos Davidis consonè ex officio canere soleret accersiri jussit vates. At cui bono? Nempe turbatus erat vehementer, fervebatq; suus circum præcordia sanguis: ex alia parte orationem ad Dominum fundere in gratiam Regis Josaphat decreverat, ut ergo sua deprecatio accepta Deo fieret, priùs beneficio musicæ animum suum serenari tranquillari & pacari studet. sonorum enim concordi discordia suaviter in aures animumq; influentium ea vis est ut de pectore, mæroris omnisq; perturbationis nebulas depellant, quieti restituant spiritum, & ut Cassiodorus ait: *Incorpoream animam corporaliter mulceant.* Tantum valet serena & quieta mens ad inflectendum Deum! tam necessaria est ut absq; ea etiam sancto orationis operi sese accingere non ausit Propheta!

Apud Apon:in Mat:de Orat.

Pax cordis necessaria necessitate præcepti.

Quodsi hæc parva cuipiam videantur necessitatem tranquillitatis intraneæ adstruentia, audiat, necessitate præcepti nos urgeri ad eam quærendam & custodiendam. *Memento*, inquit Dominus, *ut diem Sabbathi sanctifices.* Quid rogo præcipit hoc loco Dominus? nunquid ut externo duntaxat feriemur otio? Minimè verò, sed ut spiritualiter observemus Sabbathum, non quomodo Judæi observant carnali otio, quibus solemne est in festivitatibus vacare ad nugas atq; luxurias suas: *Melius perfectò faceret Iudæus in agro suo aliquid utile quàm in theatro seditiosus existeret & melius esset si fœminæ eorum die sabbathi lanam facerent quàm tota die in Neomenijs suis impudicè saltarent*, ut ait D. Augustinus de decem chordis. Potissimùm ergo tenore huius mandati juxta eundum D. Doctorem præcipitur tranquillitas mentis, sabbathum videlicet spirituale quia propter hoc requies ab opere servili est indicta & per legem Divinam inducta. Hîc mihi occurrit quod in vitis Patrum libro 5. legi à sene quodam junioribus narratum & perpetuæ consignatum memoriæ. Tres juvenes quos inter erat tenera & dulcis amicitia cocta fervore parilium studiorum, abdicato sæculo vitam Monasticam amplexi sunt. E quibus unus elegit litigantes ad pacem reducere, alter ægrotos invisere, tertius in solitudine quiescere. Primus in labore suo, dum non posset pro voto irenarcham agere, tædio victus invisit alterum quem etiam sui laboris pertæsum animoq; deficientem invenit. Ambo igitur ad tertium iverunt cui cum suas exposuissent anxietates quantum ipse in proposito profecerit, quem gustum in suo

vivendi

viuendi instituto habeat rogarunt. Reticens ille aliquantisper, misit in scyphum lutulentam & turbidam aquam ac interjecto modici temporis spatio, aspicite, ait, aquam illam: limpidam mediusfidius cognoscetis. Obtemperantes aspexerunt & in ea velut in speculo vultus suos viderunt. Ita ergò, subjecit ille, ita se habet omnis qui inter strepitus mundi existens varijs animæ perturbationibus velut fæce terrena contenebratur, ita inquam se habet sicut aqua turbida: at quietem cordis in solitudine possidens est velut purissimum speculum vel fons limpidissimus in quo & seipsum ad imaginem DEI efformatum videat & à cognitione sui ad suavissimam divinitatis contemplationem ascendat. Hic solus vacando videre potest quàm suavis sit Dominus & in eiusdem suavitatis dulci contemplatione immorando præ lætitia cordis jubilare!

Impedimenta pacis internæ

Qui bonum aliquod consequi desiderat, impedimenta ab assecutione eius retardantia rimatur, ut cum ea sciverit, cautus studiosè vitet. Præcipuum porro tanti boni impedimentum est amor seculi. Hic namq; anxius est & perturbatus. Animas quas ingreditur, quietas esse non patitur. semper enim suspicionibus perturbationibus varijsq; timoribus solicitat eas. Phantasmata item, quæ nihil aliud sint quàm imagines corporum per sensus in imaginativa potentia formatæ, vel, ut placet ingeniorum apici D. Augustino, de specie corporis corporeo sensu attracta figmenta, vehementer pacem cordis interturbant. Quia dum eiusmodi imagines animo obversantur in multa vanissimo labore mens distrahitur & ab uno necessario, contemplatione nimirum & amore DEI elongatur. Unde monet vim suavitatemq; salutaris otij assecutus eandemq; nobis imprecans Propheta: *vacate & videte quoniam ego sum DEUS. Agite otium,* exponit quem toties nominavi Interpres, *agite otium, non otium desidiæ sed cogitationis ut à locis & temporibus vacetis. Loca offerunt quod amemus, tempora auferunt quod amamus, & relinquunt turbas in anima phantasmatū quibus in aliud atq; aliud cupiditas incitetur. Ita fit inquietus & ærumnosus animus frustra tenere à quibus tenetur exoptans.* Qui ergo suavitatem DEI gustare cupit qui in DEO suo dulciter repausare, qui tranquilla potiri mente, omni diligentia sensus suos & præcipuè visum custodiat per quem vel maximè imagines & phantasmata rerum locorum personarum in animo nostro generantur.

D. Augustin. libro de vera Religione.

Modus acquirendæ pacis præstò est Isaia indicâte: *Opus justitiæ est pax.* Fac justitiam & habebis pacem. Si non amaveris justitiā, pacem non habebis, quia duæ sunt amicæ justitia & pax quarum alia absq; alia non invenitur, ait Augustinus. Et ne quis hæreat in quo vis ipsius justitiæ consistat, planum sit cuiq; eam in fide & observantia mandatorum DEI communium & specialium positam. Justitia enim est quasi juris custodia ut scilicet jus Divinum non violemus, sed omni studio integrum conservemus. Ideo expressiùs alio loco idem Isaias: *Utinam* inquit *attendisses mandata mea, facta fuisset sicut flumen pax tua.* Quos textus non ita capere oportet quasi pax directè à justitia proveniat, cùm sola speciosissima virtutum omnium forma & fæcundissima spiritualium fructuum parens charitas pacem enitatur, sed quod justitia removeat pacis obices peccata nimirum quæ vel maximè pacem impediunt ac tollunt ut non sit pax impijs & ut cor improbum velut mare continuis tempestatum ferveat pro-

Pax fructus charitatis.

Peccata pacis interioris obstacula. Etiā justitiæ. & quomodo?

veat procellis ac indefinentibus externorum internorumq; fluctibus motuum concutiatur. Medium proinde pacis convenientissimum, immunem à peccato habere conscientiam. Murus aheneus nihil conscire sibi nulla pallescere culpa. Cur enim verò in periculis formidamus! *In culpa est animus qui se non effugit unquam.* E contra *justum & tenacem propositi virum, si totus illabatur orbis impavidum ferient ruinæ.* Finem jungo principio & quod initio sermonis dixeram repeto, omnes extrinsecus sævientes tyrannorum & quarumcunq; adversitatum impetus nihil nocere quieti internæ; tantæque eam soliditatis esse ut nulla eam queat vis temerare, nulla cuiuscunque brachij valeat violare ferocia. Pennas in fascem collectas & colligatas ventus quacunque tandem violentia afflans perturbare nequit: esto enim vehementiâ spiritûs inclinentur nihilominus illico ad suum redeunt locum & ordinem. Unde mysta quidam penicillo artificioso expressis, eiusmodi adiecit tesseram: *vi nulla invertitur ordo.* Potentiæ hominis pennæ sunt, quia se per eas securiori quàm Dædaleo volatu in altum librat. Hæ igitur si unitæ fuerint si convenienti modo ligatæ secum, nulla vi earum ordo invertetur & quod illaturus sum, nulla ratione pax quæ D. Augustino est tranquillitas ordinis interturbabitur; hæc autem tranquillitas in eo juxta Doctorem Angelicum sita est quòd omnes appetitivi motus in homine uno conquiescant.

Typotius.

Tenemus præstantiam, necessitatem, modum consequendæ internæ pacis: impedimenta nobis detecta: quid superest nisi ut ad sanctum ipsius nos excitemus, stimulemus & urgeamus amorem. Toto igitur mentis affectu, tota voluntate adhæreamus DEO & quieti erimus. *Ex creaturis autem laudemus* DEUM *Creatorem sed in illis non infigatur anima nostra glutino amoris per sensus corporeos. Eunt enim quo ibant ut non sint, animam vero conscindunt desiderijs pestilentiosis. In solo* DEO *locus est quietis imperturbabilis, ubi non deseritur amor si ipse non deserat, ubi nemo amittit nisi qui dimittit. Ecce in rebus creatis alia discedunt, succedunt alia ut omnibus suis partibus constet infima universitas: solus* DEUS *nunquid alio discedit cui non succeditur? in eo ergo figamus mansionem, in eo commendet quidquid habet anima nostra saltem fatigata fallacijs,* in eo recondat suum intellectum, suam voluntatem, suam memoriam, imaginativam facultatem, quidquid deniq; est totum in eo reponat & nihil deperdet. Cæterum omni custodia servemus cor nostrum & caveamus ne quid nos à dulci sopore quietis secretioris & sacratioris suscitet. Caveamus ne amor seculi, hostis internæ pacis occupet cor nostrum, caveamus ne phantasmata rerum corporearum volitent in memoria nostra; abigamus eà manu prudentiæ tanquam muscas & cyniphes Ægyptiacas miseros Ægyptios ubivis infestantes. *Quomodo corpus humanum à muscis affligitur ita cor inquietorum qui sabbathum spiritualiter observare noluerunt diversis cogitationibus inquietatur & compungitur.* Ne ergo demus locum in nobis eiusmodi muscis inquietantibus & perdentibus suavitatem orationis, contemplationis, pacis internæ. *Non vagetur mens nostra perniciosis cogitationibus & instar fornicantis Ierusalem omni transeunti divaricet pedes suos.* Caveamus præcipuo studio ac diligentia peccata, ex quibus tumultus bellorum ac seditionum in regno animæ nostræ oriuntur.

S. August: in Confession.

S. August: de Conven: 10. præceptorum.

S. Hieronymo ad Rusticum.

In pace

In pace Iesus *imperat quæ omnem ſenſum ſuperat. Hanc noſtra mens deſideret & ea frui properet.* Fiat itaq; pax in virtute tua, ô Princeps pacis! qui pacem nobis in ortu Nativitatis tuæ per cæleſtes tubicines annuntiaſti, fiat pax in virtute tua, & abundantia pacis fiat in turribus tuis, potentijs noſtris.



PAX CVM ALIIS
SEU CONCORDIA.

TRanſiturus de hoc mundo ad Patrem æternus Dei Filius non abſq; ſolatijs abſentiæ ſuæ nos relinquere voluit. Inter alia amoris inſignia & mæroris lenimina pacem bonorum omnium epitomen obtulit nobis. *Pacem relinquo vobis pacem meam de vobis.* Quæ ut ſtabili apud nos permaneret ſtatione, Sacramentum inſtituit eiuſdem non modò ſignificativum ſed & cauſativum. Præcipuus namque Euchariſtiæ fructus eſt, uti cum Deo ita ad invicem unire fideles. *Et propterea ſicut etiam ante nos hoc intellexerunt homines Dei* (loquor verbis D. Auguſtini) *Dominus noſter* Iesus *Chriſtus Corpus & Sanguinem ſuum in eis rebus commendavit quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis. Namq; aliud in unum ex multis granis conficitur, aliud in unum ex multis acinis confluit:* ut videlicet ex ipſa materia, effectus Sacramenti non difficili coniectura deprehendi poſſit. Imò verò tantopere amicum eſt Sacramentum hocce pacis & unitatis animorum, ut nonniſi à pacato ſubiecto dignè recipiatur & non niſi ubi pax unitaſq; eſt, ſuos abunde præſtet effectus Diviniſſimos; aliàs judicium damnationemq; juſtiſſimam recipienti operatur. Poſt buccellam intravit Judam Sathanas. Cur ita? cur non ante? *quia inſtrumentum pacis non pacatus accepit*, ait Petrus Damiani. Repudiat Chriſtus omnem infenſum animum ab altari velut indignum & peſſimè ad Divina diſpoſitum Math: 5. *Vade prius reconciliari fratri tuo & tunc veniens offeres munus tuum. Væ mihi miſero*, exclamat S. Hieronymus, *ne dicam & tibi, qui tanto tempore aut non obtuli munus ad altare aut ira permanente ſine cauſa obtuli.* Hîc mihi quiſquam dixerit, quonam modo Euchariſtia pacem, unitatẽ,& dilectionem inter fideles operatur cum eam inveniat & nonniſi ubi unanimitas eſt, ipſa ſuos ſalutares fructus faciat? Si pacem efficit cur prærequirit? aut quomodo facit, ubi iam eſt facta? Reſpondeo: Actus quidem dilectionis ſeu reconciliationis tanquam diſpoſitio legitima & neceſſaria requiritur in nobis ad corpus Chriſti fructuoſè manducandum; habitum tamen pacis & dilectionis fraternæ imò plenitudinem quandam eiuſdem confert nobis ipſa manducatio. Porro quia nemo eſt qui pacem non amet: omnia enim ſecundùm D. Auguſtinum appetunt pacem. & ſecundum Maronem: *Pacem te poſcimus omnes.* non mihi nunc per ſpatioſa encomiorum pacis prata ducendus eſt rivulus, nec laborandum ut pulchritudinem boni iſtius oſtendam, totum quod apprehenſa quaſi manu inſinuare vobis cupio eſt, ut vitia tran-

In Feſto Cœnæ Domini.

Ad Caſtrinam

quillitati opposita Lybicis. periculosiora Syrtibus noveritis & fugiatis, non aliter eum cui in pace factus est locus, dignè sub speciebus Eucharisticis suscepturi.

Quærit S. Thomas an pax idem sit quod concordia, resolvitq; latiùs patere pacem quàm concordiam dicendo quòd ubicunq; est pax, ibidem concordia refulgeat non tamen è converso. Concordia enim propriè est ad alterum utpote plurium cordium seu voluntatum in unum consensio; pax autem ultra hoc, unionem seu nexum apetituum unius appetentis importat. Duplex proinde unio pacem componit, quarum altera proprios jungit apetitus unanimesq; & concordes reddit, altera proprium cum alieno velle concatenat: utraq; autem, esse suum in acceptis refert charitati. E regione, bina statuitur dissensio: alia hominis ad seipsum, alia hominis ad alterum. In quātum ergo pax concordiam sonat, hîc in medium producitur. Hanc itaq; *Simonides noster, Pindarus & Alcæus, Flaccus quoq; Catullus & Serenus,* Davidem intelligo, *qui Christum Regem pacificum, lyrâ personat & in decachordo psalterio ab inferis excitat resurgentem,* hanc, inquam, pacem summo studio quæri præcipit. *Inquire pacem & persequere eam.* acsi diceret: non sufficit quærere nisi inventam fugientemq; summa contentione persequamur. Vis scire quisnam fugientem persequitur pacem? ille qui læsus non lædit, offensus non offendit, maledictis & cōvitijs appetitus non maledicit non cōvitiatur sed propter bonum pacis sustinet, condonat, ignoscit; ille qui non resistit sed cedit improbitatibus curans vincere in bono malum; ille demum qui non quærit occasionem garriendi contra fratrem suum, & contra filium matris suæ ponendi scandalum. Hic certè pacem persequitur, uti è contra qui ad minimam offensam totus excandescit, qui mordentes remordet, & genuinum læsus infigit dentem, qui fænum habet in cornu ut longè fugiendum sit, valere profectò jubet pacem permittitq; eam lubens à se pennato avolare gradu. Hoc modo patientes ac pacificæ sunt ipsæ bestiæ & reptilia. Scorpio tactu non provocatus acum virosam continet, tangitur? caudâ quamprimùm ferit: ita plurimi silent non læsi; si tangantur, ignes vomunt & venena. Hei mihi quot genera hominum sunt, qui monitum hoc Davidicum, satiùs Divinum, surdis excipiunt auribus! bilinguis & susurro quæritne pacem, persequiturne fugientem? minime. quin etiam firmatam debilitat & turbat, etiam stantem evertit, etiam manentem fugat. *Maledictus susurro & bilinguis: multos enim turbavit pacem habentes.* Eccl: 28. Proprium namq; susurronis est discordiam inter fratres & amicos seminare dum audita ab uno, animo contentionis & odij inter convenientes procreandi refert ad alterum augetq; & addit de suo ut eò citius flammam excitet: mendacijs nonnunquam suam narrationem aspergit ut audientem graviùs in alterum inflammet. Bifidæ quoq; linguæ officium est, aliud coram, aliud clanculùm dicere, præsentem mulcere laudibus, absentem rodere convitijs & pipulo differre. Bilinguis eximiè novit præsentibus abblandiri, arridere, amplissimis laudibus suffragari: de absentibus pessimè loqui, dictis prioribus omnia contraria dicere, atq; ita ex eodem ore calidum & frigidum efflare, eumque mordaci sale carpere, quem paulo ante largiter dilaudaverat. Ranis non absimiles sunt bilingues; harum clamor absonus de longe auditur, si ad paludem propius ac-

Hier: ad Ruf:

Quid sit persequi pacē in bonā partem?

Persecutores pacis in malam partem.

piùs accedas, conticeſcunt. Peſtes hæ ex omnibus domibus ac potiſſimum religioſis quàm longiſſimè fugandæ, utpotè quæ pacem amicam Dei, gaudij ſpiritualis matrem, arrabonem beatitudinis cæleſtis, ex loco quem inſederint exterminant ipſumq; authorem & amatorem pacis excludendo, diabolum omnis odij & diſcordiarum patrem introducunt. E claſſe turbantium pacem ſunt & detractores. Hi enim dum famam alterius coram altero obtrectatione ſua minuunt, minuunt ſimul & affectum audientis ad illum cui detrahitur. Si namq; ob famam bonam aliquem diligimus, poſtquam eam apud nos perdidit, neceſſe eſt ut odium aut certè imminutionem dilectionis incurrat. Quare *cum detractoribus ne miſcearis* (Proverb: 24.) *quoniam repente veniet perditio eorum & ruinam utriusq; quis novit?* tam videlicet eius qui obloquitur quàm qui audit obloquentem. Perſecutores pacis hos omnes rectiſſimè dixeris. Perſequitur pacem ſuſurro, perſequitur bilinguis, perſequitur detractor; at alio modo quàm Pſaltes juſſerat: *Inquire pacem & perſequere eam.* voluit ille ut perſequendo comprehendamus, comprehenſam teneamus, tentam foveamus nec unquam dimittamus. Illi porro perſequuntur ut fugent, ut à ſe exulem & remotiſſimam faciant, ut à ſedibus ſuis ad fines mundi abigant tanquam videlicet *turba gravis paci placidaq; inimica quieti.* Sunt & alij perſecutores pacis quos noſſe juvat ut tanto remotiùs nos ab eis elongemus ne vitijs eorundem implicemur. Diſcordes, contentioſi, ſchiſmatici, belligerantes, rixoſi jurati ſunt hoſtes beatæ pacis. Angelicus enim Doctor hæc peccata contraponit pacato animo: diſcordiam, contentionem, ſchiſma, bellum, rixam, ſeditionem. Diſcordia conſiſtit in diſunitione motuum voluntatis. quam diſunitionem facit inanis gloria. Contentio ſecundùm D. Ambroſium eſt impugnatio veritatis cum confidentia clamoris. quanquam etiam falſitas è mente Aquinatis contentioſè impugnatur. In eo diſcrepat à diſcordia; quia hæc contrarietatem in voluntate, illa contrarietatem in locutione ſignificat. Contentionem eſto falſitatis impugnatricem mortalem reputat eſſe, quem ſæpius honoris causâ memoro, Theologorum Princeps, ſi tanta inordinatione fiat ut exinde ſpiritualis aliorum generetur ruina, juxta illud 2. ad Timoth: 2. *Noli verbis contendere, ad nihil enim prodeſt niſi ad ſubverſionem audientium.* Nomen ſchiſmatis à ſciſſura animorum tractum eſt; ſciſſio autem unitati contrariatur. unde peccatum ſchiſmatis illud voco quod directè & perſe contravenit unitati quam efficit charitas quæ non ſolùm alteram perſonam alteri, nodô ſanctæ dilectionis colligat verùm univerſam quoq; Eccleſiam in unitate ſpiritus conſtituit. Et idcirco propriè ſchiſmatici appellantur illi qui ſponte & ex propoſito ſe ab unitate Eccleſiæ ſeparant, cùm hæc unitas præcipua & principalis ſit ad quam particularis fidelium adinvicem adunatio ordinatur, ſicut compoſitio ſingulorum in corpore naturali membrorū ad totius refertur compagem corporis. Eccleſiæ porro unitas in duobus attenditur, ſcilicet in mutua membrorū Eccleſiæ ſecum cohæſione & in eorundem connexione cum uno capite quod Chriſtus eſt, cuius vices gerit in Eccleſia Summus Pontifex. Bellum eſt mutua inter duas multitudines per arma impugnatio. Rixa, unius cum uno vel paucorum cum paucis impugnatio factô aliquô. Seditio eſt præparatio ad impugnationem unius multitudinis contra aliam in eadē

Martialis.

Vitia paci oppoſita.

Civitate, vel regno, vel congregatione. Alij, tumultum vocant ad pugnam. Vitia hæc illisq; irretitos homines rectè Scyllæos canes vocavero quibus latrare adversum innoxios, frendere ac faucibus suis eosdem absorbere volupe. Excetras appellabo sibilantes & veneno inficientes. dicam gladios versatiles quibus arctissimus unitatis & unanimitatis fraternæ nodus dissolvitur. Cum summo animi dolore audiebat Apostolus mala hæc inter Corinthios regnare: *Audio inter vos scissuras esse & ex parte credo.* & inter Galathas. inter quos affectu paterno cupiebat abscindi omnes simultatum & diffidiorum seminatores: *Utinam & abscindantur qui vos conturbant.* Atq; horum omnium Coryphæo judicium comminatur: *Qui autem conturbat vos, portabit judicium quicunq; est ille.* Nimirum tantum bonum est pax ut comparationem non habeat, ut non sit pretium eius in terra!

Motiva ad vitia paci opposita fugienda. Pacem amabimus si vitia ei repugnantia horreamus ad quorum detestationem & fugam persuadendam sufficit illud Apostoli rudem Ecclesiam instruentis capitulum in quo opera carnis recenset atq; inter ea dissensiones, contentiones, æmulationes ponit, subijciens quod qui talia agunt regnum DEI non consequentur. Nequicquam Religiosi, fallaciter sancti, ficto nomine spirituales vocabimur si discordes simus, si contentiones, si schismata & seditiones inter nos fuerint: hæc enim, opera carnis non fructus spiritus sunt; quia bella & lites ex concupiscentiarum carnalium utero velut ex equo Troiano procurrunt. Animo ab alijs averti, contentiosum ducere funem, & pertinaci verbositate litigare, scissiones facere ac seditiosorum instar unum adversùs alterum commovere, carnalis affectûs germina sunt in inferni ignibus arsura non in cæli refrigerijs mansura. *Quoniam qui talia agunt Regnum DEI non consequentur.*

Et verò ipsa bruta animalia suo monent nos exemplo ut in congregatione jurgia cæterasq; claustralis societatis pestes fugiamus. Elephantes cum Elephantibus concordi incedunt passu. Vaccæ & oves in suo armento vel grege unà pascuntur. Volucres eiusdem naturæ simul volitant. Grues unam interdiu sequuntur ordine literato; de nocte pro alijs una excubias agit. Formicarum apumq; concordia nota omnibus. Inter feras ipsas inter quas naturæ similitudo intervenit, aut rara aut nulla feritas. Leones placido ore ludunt haud tantùm cum scimnis suis verùm etiam cum paribus leonibus, nec sitim pascunt propriæ speciei sanguine. Tygris ab hyrcano gloria rara jugo, cum tygride non præliatur: aper apro non est infestus. Lynces cum Lyncibus bellum non gerunt & quæ aut fugaces capreas aut timidum cervos animal sub frondente arboris ramo captare ac rabido desuper ore dilaniare solent, inter se nullam penitus exercent feritatem estò alioqui venter vacuus siccum fame guttur exasperet. Quid multis? ipsi etiam maligni spiritus omnis nostræ dissensionis authores fædus inter se tuentur & de communi consensu tyrannidem in homines patrant. Ad ruborem nostrum imo ad nostram hæc narrantur institutionem ut à bestijs saltem & dæmonibus discamus quod ipsa humanitatis ratio nobis insevit.

A natura namq; ad pacem comparati sumus. Cunctis enim animantibus nativitas ad pugnandum arma contulit: Equis ungulas, tauris cornua, api-

nua, apibus aculeos, avibus ungues & roftra ufq; ad pulices & culices ipfos offenfivis pungendi mordendiq; fpiculis inftructos defcendendo. Solus homo nafcitur inermis & nudus ne quid habeat quo lædat. Confidera igitur quàm fit naturæ tuæ diffonum cum alijs quos non folùm nativitatis lex fed & juratæ fraternitatis conditio tibi copulavit non convenire? voluntate ac verbo diffentire? quàm contrarium dignitati tuæ belligerare, fchifmata ac feditiones inter fratres excitare, viperinis orbibus ac dentibus pumicatis contubernales carpere & de capite alterius comitia celebrare. Si hæc non flectunt animum noftrum ad profecutionem pacis & fugam diffenfionum, faltem amore diuturnioris & ad votum fluentis vitæ moveamur, quam promittit infallibili oraculo vates: *Quis eft homo, qui vult vitam, diligit dies videre bonos? inquire pacem & perfequere eam,* acfi dicat: Dierum noftrorum longitudo ac profperitas à pacis pendet profecutione; illam habebis, fi hanc inquiris.

Difficile eft, inquietis, concorditer vivere ubi offenfæ crebra occafio: ubi vel à Superiore vel à fratribus frequentes porriguntur caufæ averfionis & diffenfionis. Ita fanè eft. Concedo lubens difficile id effe fed carnalibus fed animalibus quales fumus: non fpiritualibus, non rationalibus, quales effe debemus. Si fpiritu vivimus, fpiritu opera carnis mortificemus, atque ita ad omnes offenfas, infenfibiles reddemur. Abbas Anub: in perenni concordia fratres fibi fubiectos confervare defiderans tali ufus eft artificio. Per unam hebdomadam fingulis diebus accedens ad ftatuam lapideam quæ in templo fui monafterij erat, manè faciem ftatuæ percutiebat, vefperi autem ab eadem veniam petebat dicens: ignofce mihi. Cum tranfiffet octiduum, occurrunt ei fratres caufam illius facti requirentes. Quibus Anub: Rem hanc propter vos ego feci. Quando vidiftis quòd faciem ftatuæ tunderem, num locuta eft, num indignata, num excanduit? minimè, refponderunt illi. Quibus iterum Anub: Quando item veniam precabar, quando ipfi humiliabar, nunquid turbabatur, nunquid contra me fremebat? minimè, refponderunt: Et nos ergo (fubiecit Abbas) qui fumus feptem fratres fi volumus in pace in quiete fimul habitare, imitari ftatuæ huius infenfibilitatem debemus ut ad nullas contumelias ad nullas turbemur offenfas. Fecerunt optimi Patris confilium boni filij ideoq; ut fonat ftylus hiftoriæ, tranfiverunt omne tempus vitæ fuæ in quiete & pace. Verè hi ex inftructione patris fui quærebant & fugientem perfequebantur pacem in eaq; locum habitatori DEO adornabant. Quorfum hæc omnia? nifi ut nos quoq; pacem quàm nobis reliquit Dominus habeamus, colamus, & fi à nobis abfceffit, ftudiofè inquiramus ac perfequamur profugam. Auguftiffimum Euchariftiæ Sacramentum non modò Symbolum pacis eft fed etiam reconditorium, aula, & thronus eiufdem. Veriffima enunciatio eft: ubi pax ibi DEUS & è converfo ubi DEUS ibi pax. Ergo cum fpeciali modo fub fpecibus Euchariftcis inhabitet DEUS, pacem quoq; fub ijfdem ftabili incolatu permanere, minimè dubitandum. Duas manus calicem tenentes quidam pinxit adijciendo epigraphen: *Æternæ concordiæ.* Nimirum calix Euchariftcus ligat ftipulatq; manus ac corda noftra æternæ mancipat concordiæ. Ante Summum Pontificem, longum iter peragentem in fignum pacis folemniter Sanctiffimum

Prolepfis.

In Vitis PP. auth: græc.

Typotius.

SACRAMENTUM gestatur quod Clemens VIII. Ferrariam tendendo obser-vavit. Ad illud igitur ferventes accedamus pacem cum alijs fructibus spiritualibus ex eo reportaturi, accedamus tamen reconciliatis priùs animis ne judicium nobis manducemus & bibamus. Provocet nos tanti dignitas SACRAMENTI ad mutuam dilectionem, provocet exemplum Christi, provocet jurata in professione fraternitas. Communio vocatur tanti Sacramenti perceptio hoc est communis unio animorum, hanc nobis infallibili omine conferet ille qui dilexit nos usq; in finem; modo recôciliati, & cum sancto pacis osculo accumbamus. Nostrum deinceps erit hoc pretiosissimum cælesteq; margaritum diligenti studio custodire & totis viribus in id niti ut nunquam redintegratam scindamus charitatem nunquam fraternitatis dilectionem rumpamus nunquam donatam nobis repudiemus pacem. Meminerimus, quod Christus pro crucifigentibus deprecatus est, ut dum affligimur, pacifici simus nec talionem reddere noverimus. Recurrat nobis sæpiùs in memoria quod jure baptismi, jure sacerdotij, jure professionis fratres vocamur, nomina pietatis gestamus, ideoq; *non est laus si nos diligimus; scelus est si oderimus.* Proponatur menti nostræ frequenter tribunal Christi ante quod in brevi reconciliata seu scissa concordia aut præmium recuperabit aut pænam. Ruminet sæpè intellectus noster, fugiat semper affectus noster pestilentissima vitia susurrationis, bilinguositatis, detractionis aliorumq; pacis inimicorum criminum ut nunquam eorum locus reperiatur in nobis. His considerationibus obdurescet animus noster adversùs omnes molestias quæ ipsum bono pacis privarent & velut insensibilis statua factus non frangetur ullis adversis, non turbabitur vexationibus, non inflammabitur confusionibus, semper unus, semper idem velut sol intra nebulas absq; ullo lucis detrimento mansurus. O si hoc fiat! o si hoc contingat! quomodo tunc jubilare licebit præ exultatione cordis: *Ecce quam bonum & quam jucundum habitare fratres in unum.* O si exaudiatur vox nostra! *Domine pacem tuam da nobis, omnia enim dedisti nobis,* pacem quæ exuperat omnem sensum, pacem quæ exultet in in cordibus nostris, ut tu DEUS pacis & dilectionis sis semper nobiscum.

S. Hieron: ad Castrinam.



DEVOTIO
AD PASSIONEM DOMINI.

Ante Dominicâ Passionis

S. Leo serm: de Passione D.

DEsiderata nobis dilectissimi & universo optabilis mundo adest festivitas Dominicæ passionis quæ nos inter exultationes spiritualium gaudiorum silere non patitur. *Difficile quidem est,* ait S. Leo, *de hac solemnitate dignè apteq; differere: non licet tamen in tanto misericordiæ Divinæ Sacramento subtrahere sermonis officium, cum ipsa materia ex eo quod est ineffabilis fandi tribuat facultatem.* Adsunt dies peculiari modo honori patientis Christi consecrati, dies recolendo nostræ redemptionis mysterio in Cruce consummato per ordinatissimâ Ecclesiæ dispositionem deputati. De tanto loqui mysterio temeritas

& præ-

& præſumptio videtur eſſe; ſed tacere ingratitudo eſt. Quamvis igitur laboremus ſenſu, hæreamus ingenio, deficiamus eloquio, enitendum eſt & aliquid ſupra vires audendum. Bonum eſt ſi etiam impar explicandis miſericordiæ Divinæ operibus infirmitas noſtra mutuis ſeſe exhortationibus ad Dominicæ paſſionis cultum ac devotam rememorationem excitet, per quam humanum genus vinculis mortiferæ prævaricationis abſolutum. *S.Leo ubi ſup.*

Devotio ad Paſſionem Domini prompta eſt voluntas faciendi id omne quidquid pertinet ad cultum eiuſdem paſſionis. Actus ipſius ſunt: meditari, loqui, contemplari de Chriſto patiente, ſignum crucis adorare, Miſſam memoriale Dominicæ paſſionis rite & rectè celebrare, expanſis orare manibus, & millenæ aliæ in memoriam honoremq; Viri dolorum Salvatoris noſtri imperatæ aut elicitæ actiones. Gratiſſimam Chriſto eſſe & ſcripturæ & traditionis fidelia convincunt teſtimonia. Luc: 24. hiſtoria ſacra memorat qualiter duo diſcipuli tertia poſt mortem Domini die iverunt in Emmaus mæſto animo de eadem morte conferentes. Dum fabularentur, ecce tibi non lupus ſed Agnus in fabula, ſpecie peregrini junxit ſe Jesus euntibus ſocium itineris. Quærit quaſi neſcius quidnam ad iuvicem conferrent, quidue cauſæ haberet eorum ex animo in vultum effuſa triſtitia? Cui unus ex diſcipulis: Tune inquit, cum ipſe ſis peregrinus, ignoras ea quæ facta ſunt diebus iſtis in Jeruſalem? Chriſtus urget; Quæ, quæ illa? Mirum eſt quod ſtudioſè interroget, *Quæ?* geſtorumq; explicitam petat enarrationem, cùm ille ipſe fuerit de quo loquebantur, ipſe paſſus, ipſe crucifixus, ipſe mortuus. Qui delectatur alicuius rei recordatione, narratam ſibi iterum iterumq; retexi jubet hiſtoriam; ſic & Chriſtus, *quia gaudet rememorari paſſionem ſuam, præbet narrandi occaſionem.* Jucundiſſima eſt Redemptori noſtro confabulatio in qua non Mileſiæ fabellæ, non teſtamētum Grunnij Corocottæ à pueris cachinnantibus decantari ſolitum, non mimorum & Lentulorum dicta geſtaq; ſcurrilia miſcentur ſed myſteria paſſionis Dominicæ devota narratione percurruntur. Sancta Mechtildis ex revelatione accepit, in eo maxime ſibi complacere Chriſtum Dominum ſi homo cum magna gratitudine perpendat & jugi memoria revoluat ſuorum operum exercitia, ſuorum cruciatuum, injuriarum, mortiſq; amariſſimæ atrocitatem amore animæ humanæ toleratam. Et in libro qui *ſpeculum humanæ ſalvationis* intitulatur legimus quod vir quidam religioſus cupiens divinitus doceri quodnam ſervitium vel quæ devotio foret ſervatori noſtro acceptiſſima, in pijs exauditus orationibus ac ſuſpirijs vidit aliquando Dominum Jesum ad ſe venientem cum crucis ingentis pondere dicentemq; audivit: Non poteris mihi gratius præſtare obſequium quàm ſi juves me in portanda oneroſa cruce. Cumq; modum juvandi devotus ille rogaret reſponditChriſtus: In corde portabis crucem meam per crebram recordationem & compaſſionem. In ore per devotam gratiarum actionem. in auribus per avidam pænarum mearum auditionem. In dorſo per carnis tuæ aſſiduam mortificationem.

Quàm grata Chriſto devotio hæc?

Avacinna in Medit:.

Lib: 1. Sp: Gr: S. Mechtil.

Quod Domino noſtro gratum, nobis non poteſt non eſſe utile. Stupendas olim nec unquam in ordine curſuq; naturæ auditas mutationes operata eſt mors Chriſti. Terra inſolitis concutiebatur motibus: petræ vix fortibus malleorum fiſſiles ictibus ſponte ſua ſcindebantur: ſepulchra *Utilitas eiuſdem.*

ultrò aperiebantur viamq; prodigioso officiô ad resurgendum pandebant mortuis: deniq; velum templi nullius violatoris attactum manu divisum est in duas partes. Recenset hæc miracula D. Mathæus cap: 27. *IESUS autem iterum clamans voce magna emisit spiritum. Et ecce velum templi scissum est in duas partes à summo usq; deorsum & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt.* S. Bernardus author est passionem Christi Domini usq; ad hanc diem facere ut terra tremat, lapides confringantur, aperiantur sepulchra, & templi velum scindatur. *Nam,* inquit ille, *qui in ea meditantur, si terra sunt ob terrenas affectiones, tremunt sancto DEI in filium suum justitiæ timore commoti & ad inordinatos affectus deserendos excitantur; si lapides ob duritiem cordis, emollescunt & confringuntur præ magnitudine doloris; si sepulchra causa ob pudorem manifestandi suas culpas, aperiuntur cõfessione. Omnibus deniq; scinditur velum quod dividebat inter DEUM & nos ut possimus juxta Apostolum revelata facie gloriam Domini & abyssum cælestium eius secretorum contemplari.* O verè nobilissimi mortis Dominicæ per meditationem cum pijs affectibus ruminatæ fructus! rigorem animi tollit & facit hominem salutari timore percelli; duritiem aufert & cordis compunctionem donat; pudorem vitiosum ac damnabilem amovet ut per confessionem è sepulchro vitiorum redivivus exurgas; demum cæcitate mentis ablata, quæ inter effectus reprobationis numeratur, quasi quodam velo inter DEUM & homines dividente rupto, ad speculandam Divinæ celsitudinis claritatem inducit. Quis maiora his suspiret bona? Cui quæso altiores in animum venire possunt gratiæ? Hinc jam verum esse nemo dubitabit quod Albertus magnus asserebat, simplicem videlicet passionis Christi meditationem plus utilitatis afferre homini quàm si integro anno in pane & aqua jejunaret, flagellis se quotidie ad sanguinem usq; cæderet, psalterium totum quavis die recitaret. Hæc enim exercitia esto bona sint ac laudabilia, fructu nihilominus eo carent quo multiplici pollet attenta ac devota dolorum mortisq; Christi recogitatio. Extat liber antiquus concionum de Passione Domini in cuius præfatione leguntur ista: *Qui magnas opes exiguo labore consequi & fulgentem coronam tuto ac nullius periculi certamine mereri cupit, is dedat se exercitio meditandi vitam ac mortem & doctrinam & merita Salvatoris IESU Christi. In ea meditatione si ad finem usq; perseveraverit, gratiam DEI tam certo sibi promittat ac si pignus certum in sua potestate haberet.*

S. Tho: 2.2. q. 79. art: 4.

Adamovius in præf: ad Medit: de Passione Domini.

Oportebat Christum pati, & ita intrare in gloriam suam. Et nos oportet passionem eius percolere in eiusq; contemplatione immorari ut in eandem gloriam intrare liceat. In via qua ad regnum cælorum itur infinitæ insidiæ. Ubiq; infernales circumvolitant accipitres ut miseram animam discerpant, dilanient. Actum de ea nisi in vulnera crucifixi meditationibus, orationibus, pijs affectibus quasi quibusdam pennis involet. Cant: 2. Amoroso dilectam suam solatur affatu Sponsus cælestis: *Columba mea in foraminibus petræ in caverna maceriæ.* Hebræi locum hunc intelligunt de populo Israelitico à facie Pharaonis velut cuiusdam rapacis alitis fugiente ad desertum ibiq; in montium & petrarum speluncis latitante. Catholici expositores per columbam allegorico sensu Ecclesiam; per foramina petræ, vulnera & protectiones

Necessitas.

Christi;

Christi; per cavernas maceriæ, scripturæ sacræ mysteria nobis à Christo reserata, clausa verò ante adventum ipsius signari docent. Et rectè. Ecclesia enim grandes sustinuit persecutiones, inprimis à Judæis incredulis, deinde à Tyrannis & Principibus idololatris; tandem ab Hæreticis qui vel maximè & supra modum persecuti sunt Ecclesiam, columbam speciosam argenteam nitidam macula omni carentem. *Et quis*, ait Pannonius, *percensere queat ab initio qualia bella hoc infame hominum genus adversus hanc candidam & immaculatam columbam excitavit, quam perniciem intulit, quàm fœda sui oris sanie candorem polluere tentavit? sed quid ipsa interim fecit? memor foraminum petræ, memor & cavernarum maceriæ sese subito illapsu eò recepit unde & vires colligeret & tutius se ab infestatoribus protegeret. Bene ergo*, pergit idem Author, *Columba in foraminibus petræ inq; cavernis maceriæ describitur quia dum acriùs bella insurgunt non adeo aliud refugium requirit Ecclesia quàm JESUM Christum Dominum nostrum, qui & vulnera pro nobis suscepit tanquam foramina in quorum fide se tutius abscondit.* Moraliter per columbam animam intellige. Habet & hæc infensissimos hostes qui eam à volatu ad supernas sedes præpedire imo crudeli tyrannide dilacerare contendúnt. Mundus, Caro, Diabolus, falcones sunt Acherontei qui huic columbæ absq; ulla intermissione insidiantur. Periculo se aliter non subducet nisi in foramina petræ, vulnera JESU Christi, in cavernas maceriæ, textus videlicet scripturæ de Passione Domini sonantes involet ibiq; mentis & cordis devotione immoretur. In his foraminibus se tutatur & circumvolitantem intrepida intuetur milvum. De his dicebat Augustinus: *Tuta & firma requies est infirmis & peccatoribus in vulneribus Salvatoris. securus illic habito. patent mihi viscera per vulnera. Longinus aperuit mihi lanceâ latus Christi, & ego intravi & ibi requiesco securus.* En columbam in foraminibus petræ securo refugio latitantem! Vide mihi & aliam in ijsdem fiducialiter exultantem: *Tanto illic securior habito*, inquit Bernardus, *quanto ille potentior est ad salvandum. Fremit mundus, premit corpus, diabolus insidiatur; non cado quia fundatus sum supra firmam petram.* Metuis & tu rapaces ac sanguinolentos ungues? En foramina in petra, illuc confuge, illuc te abde & tutò conquiesces. Libidinis rostro pungi & lacerari pertimescis? ad hæc foramina advola. *Nullum tam potens remedium contra ardorem libidinis quàm mors Redemptoris nostri.* Siti arditatis usq; ad mortem cruciaris? *per has rimas licet tibi sugere mel de petra, oleumq; de saxo durissimo*, id est, gustare & videre quoniam suavis est Dominus. Times ultionum Dominum eò quod atrore peccati candorem in baptismo acceptum toties conspurcâris? *en patet arcanum cordis per foramina corporis. patet illud magnum pietatis Sacramentum. patent viscera misericordiæ DEI nostri in quibus visitavit nos oriens ex alto!* Nudus es inops pauper miser & miserabilis ideoque convivio Regni cælestis ineptus? en arca DEI aperta in qua omnes thesauri Divinitatis absconditi, non clavibus sed clavis reserata. Accede, accipe quantum placet. *Clavis reserans, clavus penetrans factus est tibi.* Aliter certè damnationis non evademus discrimen nisi in receptacula vulnerum Christi per devotam compassionem recondamur. Æternæ perditioni obnoxium reor quisquis non communicat passionibus Christi, non compatitur Salvatori pa-

In Cantica.

In manuali.

S. Augustinus.

S Bernardus.

tienti, non agit pro tam copiosæ redemptionis beneficio gratias, neq curat frequenti recordatione tantum recolere mysterium. Pensanda sunt verba Redemptoris nostri & memoriæ imprimenda quæ in revelationibus S. Birgittæ contra quandam damnandam animam loquitur: *Ecce*, inquit, *illa anima non est mea. De vulnere quippe lateris mei & cordis non plus compassa est quàm si perforaretur clypeus inimici eius. De vulneribus manuum pedumq; mearum tantum curavit ac si pannus gracilis rumperetur.* Deinde converso sermone ad reprobatam illam animam subdit: *sic ego tanto pretio tanta amaritudine te redemi sicut aliquem sanctorum meorum licet tu modicum curasti. Verùm sicut puer abortivus non habet dulcedinem de uberibus maternis, nec consolationem de verbis neq; de pectore calorem: sic tu nunquam habebis dulcedinem meam.* Cuiusnam carnes non configant timore verba hæc? cuiusnam indevotum ad passionem Dominicam animum salubri metu non concutiant?

Exempla devotionis huiq Manuduces fortasse desideras qui tibi ad foramina petræ, ad cultum amoremq; vulnerum Christi ac totius passionis viam aperiant? præsto sunt. S. Paulus Apostolus ultro se ad tam sanctum ingerit obsequiū cum ea protestatione quòd non putet se aliquid scire nisi JESUM Christum & hunc crucifixum. Offert se & beatus Andreas devotissimus ille crucis Christi discipulus. Turmatim Sancti alij ad huius officium ministerij sese offerunt. Stephanus Cænobij Æliotarum Presbyter teste Joanne Moscho à tribus Religiosis complura interrogatus constanter tacuit. Urgentibus autem illis dicentibusq;, nihil ne nobis respondes Pater? nos ideo venimus ut aliquas præceptiones spirituales à te accipiamus. respondit: *Ignoscite mihi, non attendi quid mihi hactenus loqueremini. Verùm quod habeo vobis dico. Ego diu noctuq; nihil aliud aspicio nisi Dominum DEUM nostrum JESUM Christum in ligno pendentem.* An non & illa vox Palæmonis flagrantissimum amorem devotionemq; erga JESUM crucifixum spirat? *Dominus meus crucifixus est & ego oleum comedam.* *In vita S. Pachomij.* Nimirum in solemnitate Paschatis ad manducandos cum oleo cibos invitatus flere ubertim cæpit prolataq; quam dixi aspiratione noluit acquiescere ut manducaret. O si vivam & nos Domini nostri de trabe fatali pendentis, confossas manus pedesq; habentis, sitientis, improperia variorum statuum patientis, inter summos internos externosque dolores, angores, amaritudines expirantis imaginem in mente cordeq; gestaremus, nullius equidem boni creati caperemur amore, nullius voluptatulæ inescaremur lenocinio. Diceremus: Dominus meus crucifixus est & ego sensus meos delectationibus deliniam? Diceremus cum D. Bonaventura: *Dominus meus pendet in patibulo cruci clavis suffixus & ego voluptati operam dabo?* Beata Paula dum terram sanctam pia peregrinatione obambularet, prostrata ante crucem quasi pendentem Dominum adorabat. Ingressa sepulchrum, resurrectionis osculabatur lapidem quem ab ostio monumenti amoverat Angelus & ipsum corporis locum in quo DEUS jacuerat, quasi sitiens desideratas aquas, fideli ore lambebat. *S. Hier: in vita eiusdem.* Quid ibi lachrymarum, quantum gemituum, quid doloris effuderit, testis est cuncta Hierosolyma, testis est Dominus ipse quem rogabat. *In vita eiusdem* Euphrasia infantula Antigoni Senatoris Romani filia in Ægypto cum Matre visitans quoddam Monasterium sacrarum Virginum atq; interpel-

interpellata vellet ne ibi manere? volo, respondit, monstratamq; sibi Crucifixi imaginem osculata: Ego, inquit, Christo me devoveo & amplius hinc exire nolo. Pudeat ab infantibus & lactentibus in devotione ad passionem Domini superari. Ecclesia ipsa universalis dum hoc Paschali festivitati contiguo tempore circa venerationem passionis Dominicæ occupatur, nobis imitandi præbet exemplum. Quid enim ceremoniæ lugubres, quid planctus luctusuè, squalor & nuditas in templis, ligni Crucis adoratio, Passionum decantatio, sepulchrorum erectio, Sacrificiorum intermissio, silentium musicæ & campanarum, quid inquam hæc omnia indicant nisi Matrem nostram absorptam esse in vulnera Jesu Christi ipsiq; morienti velle commori. Mundus totus, generatim loquendo, post Deum incarnatum atq; in carne nostra crudeli ac infami supplicio morientem abijt: abijt non pedibus sed affectibus non corporis gressu sed religiosæ ac venerabundæ mentis incessu. Passionem Christi eiusq; resurrectionem, ait Hieronymus, cunctarum gentium voces & literæ sonant. *Taceo de Hebræis Græcis & Latinis quas nationes fidei suæ in Crucis titulo Dominus dedicavit. Bessorum feritas & pellitorum turba populorum qui mortuorum quondam inferijs homines immolabant, stridorem suum in dulce Crucis fregerunt melos, & totius mundi una vox Christus est.* Dicam amplius, neq; enim sermonem conceptum continere valeo. Etiam gentiles illæ fatidicæ Virgines, Sibyllas vocant, & cum his Poëtæ mortem Salvatoris suo venerati sunt vaticinio. Virgilius cecinit: *Unum pro multis dabitur caput.* Et: *Talia perstabat memorans fixusq; manebat.* quem versum applicat Christo Domino D. Hieronymus in Cruce verba ultima proferenti. *In Epitaph: Nepot.* *Ad Paulinum in Epist: quæ incip: Fr: Ambrosius.*

Hæc ideo perstrinxi ut Christus formetur in nobis, Christus funibus, verberibus, flagellis, spinis, sputis; ligatus, contusus, attritus, terebratus, deformatus, in Crucem deniq; actus, in eaq; pro nobis ad Patrem suspirans & tandem inter immensos dolores expirans. Hoc ipse desiderat, hoc in tanti memoriam & gratitudinem amoris postulat. Typotius hierographias suas à Symbolo Crucis auspicatus, initio voluminis visendam exhibet Crucem in cuius fastigio pelicanus pullos sanguine nutriens. Medio Crucis inscriptionem inseruit: *Pone me ut sigillum super cor tuum.* His verbis ex Cantico Canticorum desumptis compellat nos Redemptor noster, ac si diceret: Pro eo quia dilectam animam meam salutis tuæ causa in ligno posui, quia factus sum tibi non fictitius Pelicanus sanguine meo te vivificans, quia inter brachia Crucis velut in pyra quadam amore tui exustus sum, nihil aliud requiro nisi, *Pone me ut signaculum ut sigillum super cor tuum.* me tui Creatorem, me tui Redemptorem, me tui talem ac tantum amatorem. *Signa me ipso tali & taliter amante cor tuum & non solum cor tuum* sed etiam brachium tuum ut toto corde tota fortitudine memineris me rediligere. In brachia enim fortitudo intelligitur. *Pannonius in Cantic.*

Attende itaq; & vide ô homo qui transis per viam mundi huius, attende & vide si est dolor similis sicut dolor eius. Justus moritur; tu recogita corde. Sol justitiæ eclipsatur obstupesce & contremisce. Et verò quis nòn obstupescat cùm supremi Spiritus tantum cernentes opus pietatis quadam sancta extasi ac tremore correpti fuerint. Ipsa natura stetit attonita & omnes creaturæ ab officio suo fuere suspensæ.

Inspice & considera vulnera pendentis, sanguinem morientis, pretium redimentis. attende & vide caput inclinatum ad osculandum, cor apertum ad diligendum, brachia extensa ad amplectendum, totum corpus expositum ad redimendum. Hæc quanta sint cogita, hæc in statera cordis appende ut totus tibi figatur in corde qui totus pro te fixus fuit in Cruce. (S. Augustinus.) Pro te in specie & in individuo. Ita enim mortuus pro omnibus ac pro singulis & unumquemq; ita ante oculos præsentem habuit ac si solus redemptione indigeret. O altitudinem charitatis! ô profunditatem immensæ humilitatis! ô magnitudinem misericordiæ! ô abyssum incomprehensibilis bonitatis! Quis non natabit in exoticæ admirationis pelago? in tantæ bonitatis oceano quis non demergetur? Si tanta tibi debeam Restaurator mi pro eo quod me redemisti quid non debeo pro modo quò redemisti. (Idem.) O mira! semperq; miranda semperque amanda Divinæ propitiationis benignitas! Quo nate Dei quo tua descendit humilitas, quo tua flagravit charitas, quo processit pietas? Ego iniquè egi tu pæna mulctaris: ego crimen edidi tu torturæ subijceris. Utinam amorem amore, humilitatem humilitate, passionem rependam compassione. Utinam clavis sacratissimos pedes manusq; terebrantibus configar ad Crucem tuam. Utinam mihi mundus per te crucifixus sit & ego mundo. Tu solus in me ô Jesu Crucifixe vivas & ego in te. Mater dolorum Virgo Beatissima adesto votis. Sancta Mater istud agas, Crucifixi fige plagas cordi meo valide.

DEVOTIO ET AMOR

ERGA CHRISTUM IN SS. EUCHARISTIA EXISTENTEM.

POst gloriosam Paschatis festivitatem, admirabilem Ascensionis triumphum, Divinissimum Sancti Spiritus in Apostolos illapsum veneranda sacratissimæ Eucharistiæ celebritas perseverentiam nobis exhibet gaudiorum, ut inter cognatarum solemnitatum vicina Sacramenta fervor fidei & exultationis vigor non tepescat. Et bene post festa Pentecostalia à cunctis solemnisatur fidelibus, ut illo specialiter tempore institutionem eius recolamus, quò Spiritus Sanctus corda discipulorum illuminavit ad plene cognoscenda tanti mysteria Sacramenti & quo Sacramentum hocce à credentibus frequentari cæpit. (S. Thomas in Opusc. 57.) Neq; puto magnificentiùs maioriq; pompâ ac devotione festum quodpiam celebrari quàm hodiernum. Quando enim aliàs tam solemnes tamque publici circuitus, tam gloriosæ per plateas urbium, civitatum, oppidorum, pagorum, Sacrosanctæ hostiæ circumductiones, altarium erectiones, Evangeliorum in vicis ad extemporaneas aras decantationes fiunt? Splēdor ornatûs in Clero ac Laicis, floreæ coronæ capita cingentes, ardentium lumina cereorum, labara & variorum insignia vexillorum, suavissimus vocalium atq; instrumentaliū symphoniacorum jucundis certantium modulis concentus, campanarum sonori fragores, triumphalia tormen-

torum

torum tonitrua, puellorum Angelici instar ordinis scenicè ornatorum seu in portandis armis Christi passi, seu in declamandis eiusdem laudibus ministeria, pegmata statuas, ac imagines sacras circumferentia, viæ floribus frondibus perinstromatibus stratæ, populi suspirantis & præ cordis gaudio illachrymantis conglobatio, omnia hæc augustissimam festivitatis huius ultra morem aliarum componunt scenam. Adimplet nimirum Ecclesia quod adhuc in Prophetis ac Patriarchis existens promiserat his verbis: *Dabo tibi poculum ex vino condito & mustum malorum granatorum.* Poculum ex vino condito juxta Pannonium est SACRAMENTUM Corporis & Sanguinis Christi. De solo autem poculo fieri mentionem ait ille, ut intelligeres tam perfectè in una confici quàm in altera specie & non plus in utrisq; quàm in singulis. Dabo ergo tibi, ait sponsa, poculum ex vino non herbis sed verbis Divinis confecto & saporato, transubstantiato in sanguinem vivificantem quo reficiuntur credentes. Et mustum malorum granatorum, id est, fervidam credentium devotionem quæ non sine spiritus dulcedine est. Duo ut vides appromisit: litationem sacrificij in Sacerdotibus, & devotionem, quæ per mustum significatur, in reliquo populo. Respexit citra dubium Sponsa ad tempus hoc octavæ Pentecostes conterminum quando nimirum peculiari modo poculum Eucharisticum Sponso suo offert, quà in sacrificijs quà in cõmunionibus; mustum item ex malis granatis, hoc est, flagrantissimam populorum uno charitatis cortice, unâ fidei coronâ tectorum religionem. In tantis devotisantis totius mundi flammis quis tepescat? Omnes & vel maximè Religiosos tanquam ignem spirantes Leones hanc mensam circumdare oportet. Quia tamen inter varias necessitatum curas atq; ipsius instabilis animi vicissitudines mox frigescit spiritus & à nobilibus cæptis deficit, suggeram stimulos qui torpentem nostram excitent & resuscitent devotionem ac dilectionem. *In Cantica.*

Proximam devotionis causam esse dilectionem Author est D. Thomas. Fieri enim nequit ut se DEO promptè non subdat, qui eundem dilectione ardenti complectitur. Porro nihil nos fortiore vi ad DEUM diligendum trahere valet quàm consideratio amoris quo ipsemet nos sibi adstringit. Magnes amoris ut communis fert parœmia, est amor. Non potes esto è duris cautibus horrentis Caucasi vel Hyrcanis Tygribus sis genitus, non potes non redamare si penitius amantem recogitaveris. Cum verò causa omnis ex effectibus perspicua reddatur, DEI amorem quem nobis in Sanctissimo SACRAMENTO testatur, effectus commonstrent. Hos 4. recenset Doctor Angelicus: Unionem, mutuam inhæsionem, extasim, & zelum. Unionem quidem seu præsentiam realem, effectum amoris esse clarum est. amantes enim ab invicem separari renuunt: quodsi separentur, tædio & mærore gravantur donec optatissimæ præsentiæ liceat potiri complexu. In Augustissimo Eucharistiæ Sacramento unitur nobis JESUS secundum præsentiam suam, fideliter adimplens quod amanter promiserat: Ego vobiscum sum usq; ad consummationem sæculi. Fuit nobiscum semper quoad Divinitatem triplici illo solemni modo: per essentiam, per præsentiam, per potentiam; at hoc non suffecit amori; effecit in Christo quod discessurus ad Patrem, etiam humanitatis conspectum miro sed vero modo nobis reliquerit, arcanis nodis carnis ac sanguinis sui vitalem substantiam ad spe- *2. 2. q. 31.* *1. 2. q. 28.*

cies sensibiles panis & vini illigando ita ut totus & integer Christus sub panis specie & sub quavis speciei parte, totus item sub vini specie & sub eius partibus existat.

Præsentia realis Christi in Eucharistia mõstratur ex veteri testamento & Rabinorum expositionibus.

Præsentiam realem Christi sub accidentibus panis & vini scripturarum ac Rabinorum veterum oracula, Conciliorum, SS. Patrum, & totius Ecclesiæ inconcussa fides adstruit. Non hæremus, non dubitamus, formidinem non admittimus, illud cum Matre Ecclesia concinentes: Verbum Caro panem verum verbo carnem efficit fitque sanguis Christi merum, & si sensus deficit, ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit; libet tamen etiam testimonia suffragantia rimari ut hinc ignis amoris & devotionis exardescat in nobis. Gen: 49. Israël benedicens filio suo Judæ excurrit, quod solent Prophetæ omnes, ad proferendum de Christo vaticinium: *Ligans ad vineam pullum suum & ad vitem o fili mi asinam suam, lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi eius vino & dentes eius lacte candidiores.* Prophetiam hanc à Jacob de Domino nostro JESU Christo pronunciatam esse liquet ex textu qui præcesserat: *Non auferetur sceptrum de Iuda & Dux de fæmore eius donec veniat qui mittendus est & ipse erit expectatio gentium.* Rabbi Cathona, verba: *ligans ad vineam pullum suum*, sic legit: *ligans ad vitem Civitatem suam.* Exponit deinde hoc modo: hæc verba, inquit ille, *ligans ad vitem Civitatem suam*, ostendunt sacrificium futurum in quo vinum transmutabitur in substantiam sanguinis Messiæ. Quod autem sequitur: Rubicundiores sunt oculi eius vino & dentes eius lacte candidiores, significat, quòd in eodem sacrificio panis adhibitus velut lac albus convertetur & ipse in substantiam Messiæ corporis. Psal: 71. ubi vulgata editio habet: *Erit firmamentum in terra in summis montium*, in Hebræa legitur: *Erit placenta frumenti vel frustum frumenti in capite montium.* seu juxta Chaldaicam versionem *in Capite Sacerdotum.* Rabbi Barachias nominè Isaac sic locum interpretatur: *Sicut Redemptor primus id est Moyses fecit descendere manna de cælo ita Redemptor ultimus id est Messias erit placenta frumenti in terra.* Malachiæ 1. *Non est mihi voluntas in vobis dicit Dominus exercituum & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim solis usq; ad occasum magnum est nomen meum in gentibus & in omni loco sacrificatur & offertur nomini meo oblatio munda.* Locus iste ad adstruendum novæ Legis sacrificium adeo celebris est ut vix ullum ex Doctoribus sacris invenias qui eum ad hoc propositum non adducat. Rabbi Simeon filius Johami passum hunc scripturæ commentans scripsit: *Hoc est sacrificium quod postquam venerit Messias facient Sacerdotes coram DEO sancto & benedicto. Tunc enim cessabunt omnia sacra quæ prius fiebant; facient autem ex pane & vino. Tunc DEUS misericordia implebitur & virtute ingenti verborum sanctorum quæ ab ore Sacerdotum manabunt, illud & omne sacrificium quod in unaquaq; ara celebrabitur, in corpus Messiæ convertetur.* Et verò quis non videat impletam esse & defacto impleri Malachiæ Prophetiam. Non enim in una duntaxat Civitate, non in uno altari sed per totam Ecclesiam ab ortu solis ad occasum longe lateq; porrectam ubivis locorum sacrificatur & offertur DEO altissimo oblatio corporis & sanguinis Domini sub panis & vini speciebus. quæ oblatio sic est munda ut exterius nullum

Apud Viegam in Apoc: c. 2.

Prophetia Malachiæ de sacrificio altaris exponitur.

Apud Povodo: de sacrificio Missæ.

nullum habeat cruoris horrorem & interius sive invisibiliter mundet cruentam omnis peccati pollutionem. Sic est munda ut nulla malitia & indignitate offerentium inquinari possit; sic munda ut sacrificia legalia esto duntaxat mundorum animalium mactatione & varijs lavacris ac purificationib9 prævijs perficerentur, immundicitiæ respectivè ad eam reputentur. Munda ex parte sui, quia ipsissima caro & sanguis eius qui peccatum non fecit; munda ex parte offerentium, qui cum peccati mortiferi conscientia non audent tantum tractare mysterium suspirantq; prius antequam comedant panem cælestem ac probant seipsos ex monito Apostoli, quæ probatio in eo est, ut nullus conscius peccati mortalis quantumvis sibi contritus videatur absque præmissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedat. Hæc ergo mundissima hostia in omni loco sacrificatur. Neq; enim hæc inter se pugnant ut ipse Salvator noster semper ad dexteram Patris in cælis assideat juxta modum existendi naturalem, & ut multis nihilominus alijs in locis Sacramentaliter] præsens suâ substantiâ nobis adsit ea existendi ratione quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse DEO, cogitatione per fidem illustratâ assequi possumus & credere constantissimè debemus. Erubescant jam Judæi & vel confundantur vel convertantur, manifestè videntes impletum Malachiæ oraculum & planè manu palpantes cessasse jam Sacerdotium secundum Ordinem Aaron & vigere Sacerdotium secundum Ordinem Melchisedech quod in æternum duraturum Propheta David cecinit. Salvator ipse in novo testamento non obscuris non perplexis sed disertis & perspicuis verbis præsentiam sui sub speciebus Eucharisticis asseruit & credendam proposuit dum dixit: *Caro mea verè est cibus & sanguis meus verè est potus.* Et *panis quem ego dabo Caro mea est.* In ipsa institutione huius Sacramenti ac sacrificij accepit panem & gratias agens fregit & dixit: *Accipite & manducate. Hoc est enim corpus meum quod pro vobis tradetur. Similiter accipiens Calicem gratias egit deditq; discipulis dicens: Accipite & bibite ex hoc omnes: hic est enim Calix Sanguinis mei qui pro vobis effundetur.* Ubi tam ex antecedentibus quam ex consequentibus realis Christi Domini infertur præsentia. Si namque non tropice, sed verè realiter ac propriè accepit panem & vinum, gratias egit, benedixit, oculos in cælum levavit, Apostolis porrexit; certè neq; tropice locutus est dicendo: Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus. Deinde non per metaphoram aut quemcunque alium tropum locutus verba hæc: Quod pro vobis tradetur: qui pro vobis effundetur. Non igitur & ista: Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus, ex quibus illa pendent. Sanè præfatorum verborum: Hoc est corpus meum. Hic est sanguis meus, non alium genuinum sensum adducere possis quàm hunc: *Hoc quod videtis in manibus meis non est ampliùs panis usualis sed est corpus meum, non alterum, non alterius, sed meum. non permutatum, vel noviter Creatum sed illud ipsum quod pro vobis tradetur, quod pro vobis crucifigetur, quod pro vobis morietur. Hic est sanguis non bovis aut arietis non agni, aut cuiuslibet hominis, sed meus. non alius vel nova Creatione productus sed qui pro vobis fundetur flagellis provocatus, clavis extortus, lanceâ excussus.* Nolo hìc ego producere veritatis huius assertores SS. PP. & veteres & recentiores, & græcos & latinos. nolo ad constituendam ca-

Ruper: apud Hosium de Sacramento Eucharistiæ.

Trident:

Trident:

Monstratur eadem præsētia ex novo testamento.

Petrus Abbas Cluni: apud Hosium.

dam castrorum aciem adversus hæreticos evocare Arnobium, Cyprianum, Augustinum ex Africa; Irenæum, Remigium Antisiodorensem ex Gallia; Ambrosium, & Aquinatem ex Italia; Chrysostomum ex Thracia; Theophilactum ex Mæsia; Hieronymum & Damascenum ex Syria; Cyrillum ex Ægypto; Eusebium ex Palestina; Lantfragium ex Anglia; Epiphanium ex Cypro; Amalaricum, Rabanum & Rupertum Tuitiensem ex Germania; Gerardum, & Cælium Pannonium, ex Hungaria; demum S. Adalbertum S. Stanislaum ad aras cæsum, Hosium Cardinalem ex nostra Orthodoxa Polonia: qui omnes unanimiter senserunt, prædicaverunt, literis consignaverunt atq; ad nos transmiserunt, vicissim à nobis in posteros transmittendam doctrinam de reali & substantiali Corporis & Sanguinis Domini sub panis & vini speciebus post factam consecrationem præsentia. Sufficiat ex generalibus concilijs robur dictis addere quæ quia universam Christi Ecclesiam repræsentant, nec fallere nec falli possunt præstatq; eorum authoritas omnium doctorum authoritati ut diserte asserit Doctor Angelicus, 2. 2. q. 10. ar: 12. In primo & antiquissimo Nicœno Concilio hic Canon reperitur: *Pervenit ad sanctum Concilium quòd in locis quibusdam & Civitatibus, Presbyteris Sacramenta Diaconi porrigant. Hoc neq; regula neq; consuetudo tradidit ut ij qui offerendi sacrificij non habent potestatem, his qui offerunt, Corpus Christi porrigant.* Ex Ephesino verò scribunt ad Nestorium Patres Concilij sic: *sicut secundùm carnem mortem unigeniti filij* DEI *id est* IESU *Christi & resurrectionem eius & in cælos Ascensionem pariter confitentes incruentam celebramus in Ecclesijs sacrificij servitutem sic etiam ad mysticas benedictiones accedimus & sanctificamur participes sancti corporis & pretiosi sanguinis Christi omnium nostrum Redemptoris effecti.* In Lateranensi hæc habentur. *Verum Christi Corpus & Sanguis in* SACRAMENTO *altaris sub speciebus panis & vini veraciter continetur transubstantiatis pane in Corpus & vino in Sanguinem potestate Divina.* Novissima Tridentina Synodus docet & aperte ac simpliciter profitetur in almo Sanctissimæ Eucharistiæ SACRAMENTO post panis & vini consecrationem Dominum nostrum JESUM Christum verum DEUM atque hominem verè realiter ac substantialiter sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Hæc est doctrina Christi, hæc fides Ecclesiæ, hic sensus Patrum, hæc traditio Apostolorum. Taceant ergo Hebræi neque suum illud: *Quomodo* obganniant. Quomodo potest nobis Dominus parare mensam in deserto & quomodo potest hic nobis carnem suam dare ad manducandum? Fides non habet meritum, ubi humana ratio præbet experimentum. Quid sibi speciale quid proprium reservaret incomprehensibilis illa maiestas si semper comprehendere posset sapientia humana cælestium altitudines Sacramentorum. Quid haberent superna pretiosum si nostræ familiariter scientiæ subiacerent. Excedit Divini opificij dignitas humanæ mentis angustias. Divinis rebus admiratio quidem adhibenda est, sed credulitas non abneganda. Credant Judæi & intelligent. *Dixit Dominus & facta sunt omnia mandavit & creata sunt.* Nimirum operatorius est sermo Domini & eo quidem magis si benedictionem in se contineat; cùm benedictione etiam natura ipsa mutetur. Sic virga Moysis in serpentem mutata. Sic virga Aaron arida & à radice præcisa nullumq; habens vitalem succum, rutilanti-

Item ex Concilijs.

Quomodo *Hebræorum refellitur.*

S. Ambrosius.

tilantibus virentium florum veſtita gemmis. Sic petra aquas produxit. Quodſi tantum valuit benedictio humana ut naturam converteret, quid dicemus de conſecratione ubi ipſa Domini verba operantur? Et ſi tantum potuit ſermo Eliæ ut ignem de cælo deponeret, non poterit Chriſti ſermo ſpecies mutare elementorum? Quodſi non ceſſas Judæe tuum illud *Quomodo* ſucclamare, dico tibi: claude oculus tuos & percipies. Patres tui dum manna colligerent, propter candorem nimium diſgregativum viſûs non poterant illud fixè aſpicere ideoq; clauſis oculis ne cæcutirent colligebant. Ita Philo veſter & alij. Figura fuit noſtri Sacramenti & ſacrificij. quanto magis in hoc voluerit aliquis figere lumen rationis, tanto magis cæcutiet. Claudas ergo oportet rationis tuæ lucernam; mitte diſcurſus naturales & ſoli virtuti Divinæ effectus ſupernaturales attribuendo agnoſce DEUM aliquid poſſe quod non capis. Sileant & hæretici & omnis iniquitas opilet os ſuum. non auſint hiſcere quaſi in hoc SACRAMENTO ſit imago rei non res ipſa, umbra Corporis & Sanguinis Domini non corpus & ſanguis ipſe. *Indigniſſimum enim flagitium eſt verba Chriſti perſpicua: Hoc eſt corpus meum quod pro vobis tradetur. Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effundetur, ad fictitios & imaginarios tropos quibus veritas carnis & ſanguinis Chriſti negatur, contra univerſæ Eccleſiæ ſenſum detorqueri quæ tanquam columna & firmamentum veritatis hæc ab impijs hominibus excogitata commenta velut Sathanica deteſtata eſt, grato ſemper & memori animo beneficium hoc recognoſcens.* Nos viva fide tantam erga humanum genus profitemur & adoramus bonitatem. O vere magna circa nos tuæ pietatis dignatio! o inæſtimabilis dilectio charitatis! Plane Salvator inſtitutione huius admirabilis SACRAMENTI morem ſecutus amantium, qui dum peregre profecturi ad invicem divelluntur modo quo poſſunt relinquunt ſe ſibi hoc eſt in ſignis quibuſdam ut imaginibus, annulis, literis. Quod naturæ nunquam valuit facultas hoc Divina in Chriſto prævaluit poteſtas ut tranſiturus de hoc mundo ad Patrem ſeipſum nobis relinqueret hunc ipſum qui diſceſſit, qui ad dexteram Patris conſedit; relinqueret autem ſub ſignis viſibilibus inviſibilem propter fidei noſtræ amoriſque experimentum & de ſua contriſtatis abſentia ſolatium ſingulare. Pauſanias in Laconicis refert, poſt celebratas inter Uliſſem & Penelopen nuptias ortam fuiſſe litem inter ſponſum & ſponſæ Patrem. Sponſus volebat in patriam ſuam abducere ſponſam. Pater verò Icarius nomine apud ſe eam retinere certabat. Res arbitrio Penelopes commiſſa. Illa inter cogitationum fluctus pendula nequivit ſe determinare. hinc pietas erga patrem inde amor erga maritum inſtabat. demum inops conſilij detraxit velum albicans de capite illoq; vultum obduxit dicens: In hoc velo velut in charta pugnanres inter ſe mentis meæ cogitatus legite. Nam cum uno diſcedere, cum altero remanere cuperem. His auditis conceſſit Pater ut ſponſum comitaretur, ſibi verò vivam ſui effigiem cum peplo illo relinqueret. Artis igitur Phidiacæ toreuma clarum filiæ ſuæ mirabili cælatura expreſſivum una cum flammeo conſecutus Pater, ſponſam cum Sponſo dimiſit. Non ego hæc ad Divina myſteria explicanda transferre præſumerem, profanis ſacra & gentiliſmi fabulis fidei Sacramenta polluere verendo niſi me erigeret Beati Hieronymi authoritas fuſè in Epiſtola ad oratorem Magnum deducentis ſalubriter

Hæreticorum error perſtringitur.

Trident.

Salvator præſentem ſe nobis relinquẽdo morem ſecutus amantium.

briter sæcularium literarum exempla spiritualium tractationi inseri, modò prius quod sine sensu & vita est, scilicet quod turpitudinem vel errorem redolet, abradatur. Itaq; filius DEI Naturæ humanæ sponsus postquam unionis hypostaticæ nexu in perpetuum eam sibi copulasset & in mundo inter homines triginta tribus, annis commoratus laborasset destinavit tandem in Patriam suam movere. Jam quale hîc dum abitionem parat, amoris certamen? Homo naturam humanam verbo Divino conjunctam retinere ardentissimis exoptat votis; sponsus juris sui prærogativam obtendens, in gloriam Regni sui abducere velle persevérat. Diremit litem Deificata Christi humanitas. Accepit de capite hoc est de plenitudine potestatis Divinæ candidum accidentium panis velamen eoque faciem suam seque totam occuluit. sicque velatam se reliquit mundo, in sua verò specie & absque ullo velaminis umbraculo, ad perenne sponsi sui regnum peregrè profecta est.

Mutua inhæsio contingit dupliciter.

Alterum amoris effectum dixeram esse mutuam inhæsionem quasi scilicet intus hæsionem. Amor facit ut amans sit intra amatum & vicissim. Hoc verò ut explicat Doctor Angelicus contingit dupliciter, nimirum secundum vim apprehensivam & secundum vim appetitivam. Secundum illam quidem, quando amans singula quæ ad amatum pertinent nititur intrinsecus disquirere, non contentus superficiali apprehensione amati & sic quodammodo ad interiora eius ingreditur. Secundum hanc amans dicitur esse in amato in quantum si amet amore concupiscentiæ non requiescit in quacunque extrinseca adeptione seu fruitione amati sed quærit perfectè illud habere & quasi ad intima illius pervenire. Si verò amet amore amicitiæ tunc inesse amato dicitur in tantum in quantum bona & mala amici reputat sicut sua & voluntatem amici sicut suam ut quasi idem factus sit cum amico. Inde est quod amicus vocatur alter ego & dimidium animæ. Inde illud manavit axioma: Amans transit in amatum. Et: Anima magis est ibi ubi amat quàm ubi animat. Effectum hunc accenset amori Augustinus in manuali ubi ait: *Amor facit unum spiritum de duobus. Amor facit idem velle & idem nolle.* Cicero de amicitia cap: 1. *Amicus amico anima una, una voluntas.* Idem lib: 1. de officijs: *Nihil amabilius nec copulatius quàm morum similitudo bonorum: in quibus enim eadem studia sunt, in ijs eadem voluntates, ut æquè quisq; delectetur altero ac seipso.* Hanc inhæsionem videre licet in Jonatha cuius anima conglutinata fuit animæ David, ut quasi in unam ambæ coaluerint; hanc in principibus terræ Apostolis qui sicut in vita se dilexerunt ita & in morte non sunt separati; hanc in primæva Ecclesia, quando omnium credentium cor unum fuit & una anima. Videre item in Augustino qui post abreptum sibi fati inclementiâ amicum lugebat amarissimè nec in amænis nemoribus nec in ludis atq; cantilenis nec in suaveolentibus locis nec in convivijs apparatis neque in voluptate cubilis & lecti non denique in libris atque carminibus requiem aut solatium capiendo. Sentiebat nimirum, quod ipsemet in Confessionibus fatetur, animam suam, & animam illius unam fuisse in duobus corporibus & ideo ipsi horrori erat vita quia nolebat dimidius vivere. Eandem amoris efficaciâ admirata est antiquitas in Oreste & Pylade de quibus traditur, si non fingitur, quod vellent pro invicem vel

Exēpla ipsius.

Mutua inhæsio in Christo & nobis virtute Eucharistiæ

simul mori.

ſimul mori. Quis verò adeò lippus cæcuſque eſt internè qui non advertat Chriſtum per hoc Sacramentum nobis inhærere noſque viciſſim illi. Qui manducat meam Carnem,& bibit meum Sanguinē in me manet & ego in eo. Quid clarius, quid expreſſius verbis iſtis: In me manet & ego in eo. Tanta eſt, ait Hoſius Præſes Tridentini, tanta eſt huius cibi vis ut ſi quis eum digne manducaverit, non ſpirituali modò coniunctione verùm etiam naturali quadam & ea certiſſima Chriſto copuletur particeps effectus verè vivificatricis quæ verbi propria facta eſt carnis & pretioſi Sanguinis Chriſti: quæ ſumpta faciunt ut & Chriſtus in nobis ſit & nos in Chriſto, non animum tantum reformante ſed carnem etiam noſtram ad vitam, incorruptionem, & immortalitatem præparante ſicut & ab Hilario & Cyrillo ante mille ducentos annos traditum legimus. O verè manet in nobis! & nos in ipſo quando eſu carnis ſuæ ſacratiſſimæ nos Chriſtificat dum nos Chriſtiferos, ut Cyrilli phraſi utar, facit: vel ut cum Chryſoſtomo loquar, nos unum corpus & unam ſecum carnem efficit. In alijs cibis alimentum vertitur in ſubſtantiam aliti; at alimentum Euchariſticum creatrice potentiâ nos in ſe convertit. quotquot enim receperunt eum in hoc Sacramento, dedit eis poteſtatem filios DEI fieri. Auguſtinus Dominum ipſum ad ſe talia dicentem introducit: Cibus grandium ſum creſce & manducabis me nec tu mutabis me in te ſicut cibum carnis tuæ, ſed tu mutaberis in me: quam metamorphoſim quis non deſideret? quis rationabili haud expetat votorum ambitu ex homine, DEI Filius; ex mendico,cæli hæres;ex materiali ſpiritualis; ex terreno cæleſtis, ex filio mulieris peccatricis, Filius MARIÆ Virginis fieri? Redeo ad amoroſiſſima illa Chriſti verba: Qui manducat meam carnem in me manet & ego in eo, ampliuſque eorum myſticam intelligentiam aſſequi deſiderans interpretem aſſumo D. Hilarium. Hic præfata verba expendens fuſeque diſcutiens infert: *Quod autem in eo per SACRAMENTUM communicatæ carnis & ſanguinis ſimus ipſe teſtatur dicens: Ego in Patre meo, & vos in me & ego in vobis.* quibus alijſque ſequentibus verbis deducit S. Doctor, ad eam cum Chriſto unitatem per ſacram communionem nos pertingere quam ipſe habet cum Patre ſuo. Porro quæ maior poteſt eſſe unitas quam inter Patrem æternum & filium coæternum, quorum eadem omnino & indiſtincta eſſentia ut prorſus unum ſint. Ut igitur nos quoque unum ſimus cum Chriſto ſicut ille unum eſt cum Patre, ſub ſpeciebus panis & vini ſemetipſum nobis immiſcuit & corpus ſuum in nos contemperavit. Id ipſum luculenter exprimitur in eo quod corpus & ſanguinem ſuum ſub ſignis earum rerum commendavit quæ ad unum aliquid rediguntur ex multis, ut diſcamus ſicut ex pluribus granis panis conficitur & ex pluribus acinis vinum confluit ita Chriſtum & nos virtute Euchariſtiæ in unum corpus convenire. Quis jam hic non obſtupeſcat? quis attonitæ admirationis abreptus impetu extra ſe non rapiatur ſi videt ſe in DEUM quodammodo mutari & in unam cum Chriſto coire perſonam? O pluſquam paterna noſtri Redemptoris viſcera! O nullis cognitum opinatumvè matribus amorem! o ſanè poſitos nos in ſuperbiam ſæculorum & regum mamilla lactatos! Neſciebat has artes natura? Amor humanus ſolummodo per intellectus & voluntatis actus in interiora amici facit amantem illabi: at Chriſtus mirabili invento etiam quoad rem ipſam tanquam cibus in noſtra ſe

In Euchariſtiæ ſumptione illam unitatē cum Chriſto imitamur, quam ipſe habet cum Patre

insinuat viscera absque ullo nauseæ vel horroris naturalis offendiculo. Non erat contentus quacunque nostri possessione & fruitione nisi perfectè secundum suæ potentiæ & sapientiæ dispositionem nos possideret ad intima nostra pervadendo. Sed & quantum ad affectum attinet, manet in nobis vi huius Divinissimi Sacramenti dum bona & mala nostra reputat tanquam sua, voluntatem nostram tanquam suam. Bona quidem nostra verissimè bona ipsius sunt: mala verò nostra reputat tãquam sua. Nam qui semel pro ijs in ligno passus est, hîc infinities immolatur non quòd iterum moriatur sed quod in isto passionis memoriali merita mortis suæ pro nostris quasi proprijs offerat delictis. Quotidie ergo in locis innumeris pro salute nostra moritur immortalis, immolatur inviolabilis, frangitur immutabilis ut quotidie delinquentibus semperque infirmitati ac morti spirituali obnoxijs, jugiter salutem operetur. *Mortuus ille semel licet ultra non moriatur. Idem quotidie sine vulnere sacrificatur. Nam quia peccantes medicina semper egemus hanc pro peccatis medicinam semper habemus.* Inter hierographias Crucis dominicæ visitur Crux cuius trabs longior ad terram acta transit per medium libonem panis. Author ænigmate hoc significare voluit quòd Eucharisticus panis indivisibilis sit à Cruce semperque Crux sibi inhæreat ut sciamus fructum passionis Christi Domini nobis in hoc Sacramento applicari & quoties cæleste epulum manducamus, ita planè rem se habere, acsi toties Christus mactetur pro nobis. Quia enim semel mortuus jam non moritur, modum Divina sua adinvenit sapientiâ, quo absque mortis iteratione idem præstat quod præstaret iterum iterumque sanguinem fundendo. O Divini excessum amoris! o verè mala nostra tanquam sua reputat dum talem curandis quotidie, providit medicinam.

Hilbertus apud Hosium.

Typotius.

Ecstasis duplex.

Ecstasis seu positio sui extra se, inter effectus amoris relata contingit pariter & secundum apprehensivam & secundum appetitivam facultatem. Secundum illam dicitur aliquis extasim pati quando ponitur extra cognitionem sibi propriam vel quia ad superiorem elevatur ut dum quis sublimatur ad comprehendẽda aliqua quæ sunt supra sensum & rationem; vel quia ad inferiora deprimitur. puta cùm aliquis in furiam vel amentiam vertitur. Secundum appetitivam dicitur ille in ecstasi esse, cuius appetitus fertur in alterum, exiens quodammodo extra seipsum. Amor enim directè facit ut extra nos exeamus. & amor quidem amicitiæ simpliciter id ac perfectè efficit quia per hunc amans vult & operatur amico bonum, gerens curam & providentiam amici propter ipsummet amicum: amor verò concupiscentiæ, quia fertur in bonum amici non propter ipsum amicum, sed propter amantis personã, non facit simpliciter ut amans extra se exeat sed in ipsomet amante concluditur. Non hîc de ecstasi intellectus sed voluntatis sermo mihi est. D. Dionysius asserit quod DEUS ipse propter amorem sic ecstasim passus. at ubi passus? utiq; in Cruce, respondebit memoratus Doctor. Fateor, fateor in Cruce DEUM ecstasim passum. *Si enim amans in tantum exit extra se inquantum vult & operatur bona amici*, quod ait Aquinas: quomodo non exivit extra se Christus in ligno fatali, quando quidquid de nostro assumpserat, totum nobis contulit ad salutem; dum corpus suum pro nostra reconciliatione hostiam obtulit DEO Patri, sanguinem

Cap: 4. de Divinis Nom:

Th: 1. 2. q. 28. art 3. ad: 3.

Idem in opusculo 57.

guinem suum fudit in pretium simul & lavacrum: quibus quæ rogò maiora bona nobis velle & operari potuit? Nec tamen minorem in augustissimo SACRAMENTO propter amorem passus ecstasim: quæ enim & quanta bona hîc vult atq; operatur nobis amicis suis, non ulla necessitate vel utilitate quæ ipsi exinde obveniat, bonorum siquidem nostrorum non eget, sed merè propter nos ipsos & ut nobis bene sit? Joel: 2. appositum scripturæ passum ad præsentem invenio tractationem. *Ecce ego ait Dominus, mittam vobis frumentum & vinum & oleum & replebimini eis & comedetis vescentes & saturabimini & scietis, quia in medio Israel ego sum & ego Dominus DEUS vester & non est amplius.* Alimonia Eucharistica hoc loco appromittitur in qua nimirum frumentum electorum & vinum germinans Virgines necnon oleum donorum S. Spiritus offertur convivis. In hac est nobiscum semper, imò in medio nostri, non tantùm per præsentiam deitatis sed per præsentiam quoq; humanitatis, nec solum manendo in templis, aut domibus, sed ad interiora quoq; nostra per modum cibi descendendo. At quid vult sibi particula illa: *Et non est amplius.* Equidem non videtur cohærere cum antecedentibus nec conjungi cum sequentibus. Sensus est, quòd ita divitias suas per eam effusurum se in nos pollicitus sit ut non sit amplius quod nobis largiri queat. Et profectò quid habet Divinus thesaurus quod in hoc sacramento non accepimus. Non habet, non habet quod ultra offerat. Audenter id asseuero fultus D. Augustini assertione qui tract: 84. in Joannem sic ait: *DEUS cum sit omnipotens plus dare non potuit, cum sit Sapientissimus plus dare nescivit, cum sit ditissimus plus dare non habuit.* Unde aptissimè Hieronymus appellat ditissimum hominem sacrosanctæ Eucharistiæ instructum epulo. Alludens enim ad morem primitivæ Ecclesiæ ait: *Nihil illo ditius qui corpus Domini in canistro vimineo, sanguinem portat in vitro*: quid enim ditius eo dici possit qui universas cæli possidet divitias? qui eum complectitur in quo omnes deitatis thesauri absconditi? Habet Christus esse Divinum, personalitatem Filij DEI, habet carnem humanam, animam rationalem, merita passionis suæ, dona Spiritus Sancti, fructus eiusdem 12. beatitudines 8. habet actualia auxilia motiones ac illustrationes supernaturales, virtutes quasuis, gratiam deniq; sanctificantem & gloriam æternam, præter universa naturæ & fortunæ bona. Hæc ideo habet in Sanctissimo SACRAMENTO ut nobis conferat nec est ultra quod habeat & non dederit nobis in eodem, ideoq; calix Eucharisticus rectissimè vocatur calix testamenti. Testamentum est instrumentum continens ultimæ voluntatis nostræ testimonium. seu juxta Ulpianum, est voluntatis nostræ justa sententia de eo quod post mortem nostram fieri volumus. Quia enim mors ultima linea rerum separat corpus ab anima, & quod sequitur, res omnes à nobis aut veriùs nos à rebus ut post mortem nihil possimus nisi bestias & vermes juxta Ecclesiasticum hæreditare; filijs & quos in charorum numero complectimur, bona nostra omnia ultimis codicillis consignamus possidenda. Eucharistia ergo testamentum Christi est, quia nihil habet quod donet quàm quod in ea continetur. In ea omnes eius divitiæ, omnes thesauri. hæc crumenam ipsius exhaurit. Quâ etiam de causa sub symbolo vituli saginati Luc: 15. describitur. *Adducite*, ait Pater familias ad servos excepturus Convivio filium prodigum,

Christus passus ecstasim in Eucharistia.

Ioelis loco explicatur: Et non est amplius.

Ad Rusticum.

Eucharistia testamentum.

Cur?

Eadem Vitulus saginatus. *adducite vitulum saginatum & occidite ut manducemus & epulemur.* Quis etenim iste vitulus est nisi, juxta glossam ordinariam, Eucharistiæ

Hom: in cap: 15. Luc: SACRAMENTUM Christum continens immolatum. Dicitur autem saginatus, hoc est ut ait Eusebius Emissenus, *omni gratia & virtute plenus de Patriarcharum & Prophetarum armento sumptus qui toties occiditur & à fidelibus comeditur, quoties in altaris ministerio immolatur.* Et ne apparatus convivij huius cælestis ad ornatum duntaxat formatus videatur, ipse Salvator noster invitatorem agit: *Accipite,* inquit, *& manducate. Bibite ex hoc omnes. Comedite amici, bibite & inebriamini charissimi.* ac si diceret: ideo ex me ipso bonisque meis lautissimum vobis instruxi convivium ut me ipso bonisq; meis impleamini, sicut cibo ille qui cibatur impleri solet. Et sicut qui bibit ad ebrietatem, non unum evacuat trientem sed multo se obruit vino donec à mente alienetur & vaporibus è stomacho ad cerebrum ascendentibus soporetur ita vos dulcedinem spiritus, & deliciarum donorumq; cœlestium ambrosiam usq; ad sanctam ebrietatem avidis potate labris donec obliviscamini rerum temporalium & sopore spirituali deliniti illud cum sponsa per somnum qui rationem non ligat pronuntietis: Ego dormio & cor meum vigilat. Cedat huic conviuio pretiosissimum Cleopatræ poculum in quo Antonio suo unionem centies centenis millibus sestertium hoc est ducentis quinquaginta millibus aureorum æstimatum propinavit. Apage mihi portentosissimos Caligulæ luxus qui nouum balneorum usum ac inaudita ciborum cænarumq; genera commentus margaritas aceto liquefactas sorbebat, conuivis ex auro panes & obsonia apponebat, aut frugi hominem oportere esse dictitans aut Cæsarem. Apage Clodij admiranda sympòsia qui experturus quantum saperent concharum nuclei singulos uniones comessatorum sorbitioni exhibuit. Facessant omnes adventitiæ & nepotinis sumptibus præparatæ cænæ. In his enim damnabili prodigalitate se suaq; in amicos aut verius in parasitos profundebant Principes non modo extra se sed & extra orbitam liberalitatis ac rationis exeuntes, quanquam extra se exisse dicendi non sint qui popularem auram & inanem adulatoriæ laudis quærebant fucum, luxuq; illo bonum suum mercabantur. At verò in hac sacratissima Cæna divitias amoris sui in nos effudit Christus, omnesq; nobis largitus thesauros nostrum duntaxat attendendo bonum non prodigus in dando quia nihil deperdit donando; non ditior servatis, non pauperior donatis quamvis & sanctè prodigum vocare liceat atq; cum Guerico Abbate exclamare: O DEUM si fas est ita dicere, prodigum sui! Spicas 7. triticeas cum culmis eminentibus ad designandum SS. Sacramentum pinxit Typotius adjecto lemmate: *Quid fæcundius.* Triticum est Eucharistia non tantum quia ex triticeo pane conficitur sed etiam quia illum continet qui est panis verus, panis vitæ, panis cor hominis con-

S. Chrysost: apud Hosium. firmans; ille inquam panis *qui floruit in lege, adolevit in Prophetis, maturuit in Cruce, manducatus post resurrectionem.* ille panis qui in statu legis naturæ fuit in fide Patrum velut in spica, in statu legis scriptæ fuit in doctrina Prophetarum velut in simila, tandem post assumptam huma-

S. Tho: 1. 2. q. nitatem formatus à Spiritu Sancto panis perfectus, atq; in clibano uteri virginalis pistus, in Cruce verò velut in craticula assus. Hoc igitur tritico in multiplices gratiarum aristas calamosq; non vacuos sed pin-

gue dine

guedine & medulla ſpiritualium donorum plenos exuberante quid fæcundius? Auguſtam hinc bonorum omnium meſſem ſperare licet. Ideo namq; ſub triticei panis velaminibus ſeſe poſuit Creator noſter, ut uberrima bonitatis ſuæ fæcunditate cordium noſtrorum horrea impleri faciat. Vult ergo & operatur nobis bonum Divina in hoc Sacramento pietas ſui quodammodo oblita & extra ſe egreſſa quando tam ſumptuoſum nobis in univerſo mundo apparat convivium *in quo totum quod ipſa eſt & habet, nobis in ſummo contulit* nihil penitus ſibi reſervando. S. Tho: Opuſc: 63.

Zelus tandem ultimus amoris effectus, eſt motus animi quo amans reſiſtit repugnantibus ſibi in amore alicuius. Affinis huic definitio illa quam gloſſa ſuper verſiculum illum: *Zelus domus tuæ comedit me*, adducit: Eſt bonus fervor animi quo mens pro defenſione accenditur eò quòd quælibet prava quæ videt corrigere ſatagit; ſi nequit, tolerat & gemit. Ex amore zelum prodire claret. Cum enim amor ſit motus quidam in amatum, intenſus amor quærit excludere omne id quod ſibi in proſecutione amati repugnat. Aliter tamen hoc evenit in amore amicitiæ, aliter in amore concupiſcentiæ. Iſto namque ſi quis æſtuet, bonum ſibi concupiſcit ac refragatur illis quæ conſecutioni ac fruitioni quietæ boni adamati adverſantur: & hæc refragatio zelus invidiæ vocatur. Jam verò in amore amicitiæ cum non proprium ſed amici quæratur commodum, ſi amor ſit ferventior, facit amantem moveri contra omne quod amico eiuſq; bonis obſiſtit. Secundum hunc dicitur aliquis zelare, verba recito D. Thomæ, *quando quæ dicuntur vel fiunt contra amicum homo repellere ſtudet*. & hoc in repellendo ſtudium eſt genuinus amoris zelus quem etiam Deo ſcripturæ appingunt dum zelotem prædicant propter *nimium* ad exiſtentia *amorem*. Eximium Chriſti Domini amorem erga nos in Auguſtiſſimo Sacramento calentem jam perſpeximus. Hic ergo quia inæſtimabilis, quia intenſiſſimus, movet eundem ad reſiſtendum omnibus quotquot ipſi in amore noſtri repugnant. Viderat id ſecretiore oculo Propheta Regius ideoq; canere auditus: Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus omnes qui tribulant nos. Reſtat amanti qui tribulat amicum. quem nimirum deſiderat ille nullis afflictionum pungi aculeis, nullis anxietatum offendi ſcrupulis. Zelo igitur accenſus amicus armat ſe ut à fido ſibi pectore infeſtos adverſantium avertat aſſultus. Proh quantos patimur inimicos! quanta ubiq; tribulationum ſeges! & plurima mortis imago? Fremit mundus, premit corpus, diabolus inſidiatur & tot tantiſq; malis ſibi invicem ſuccedentibus vita noſtra conſtringitur ut jam vivere tædium ſit. Actum de nobis niſi Dominus tutanum ſe obtuliſſet. Paraſti in conſpectu meo menſam adverſus non aliquos ſed omnes, qui tribulant nos. quam menſam? equidem Euchariſticam quæ figurabatur in manna Iſraelitis conceſſo quod in modum valli ac muniminis caſtra per circuitum cingebat. menſam pane ſubcinericeo deſignatam qui ad caſtra Madian volvebatur eaq; ſubvertit. Zelat nimirum pro nobis Chriſtus in hoc Sacramento nihilq; mali patitur evenire ulli noſtrum. Ipſe pro nobis pugnat, ipſe vincit, ipſe hoſtes noſtros proſternit. Apocalyp: 12. mirabilis deſcribitur viſio. Mulier ſubnixa alis duabus fugit in deſertum, in locum ſibi præparatum à Deo alenda ibi per tempus & tem-

Duplex zelus amoris & invidiæ.

S. Dionyſius.

Zelus Chriſti in Euchariſtia adverſus hoſtes noſtros.

Probatur ex David.

Item ex Apocalyp.

pora & dimidium temporis, à facie serpentis: post quam fugientem misit serpens ex ore suo aquam tanquam flumen ut eam faceret rapi à flumine & adiuvit terra mulierem arsorbuitq; flumen quod misit draco de ore suo. Seriem visionis audivimus, mysterium requiramus. Mulier Ecclesia est semine verbi Divini fæcundata. hæc post ascensionem Christi à dracone diabolo Principes & Hæreticos ad persecutionem Ecclesiæ instigante infestata concito motu subduxit se ad desertum, scilicet ad interiorem cordis solitudinem vel certe gentium multitudinem, densissimam veluti sylvam relicta Judæorum ingrata natione. Duabus nitebatur alis quia bino charitatis præcepto velut geminis elevabatur pennis, sicq; duplex amor fugam salutarem meditanti addidit alas. Fugit porro alenda ibidem pabulo spirituali per tres & semis annos hoc est ad usq; finem mundi, à facie serpentis. Sed vide quomodo fugientem Ecclesiam vel ad vastissimam gentilium eremum vel ad interiorem pectoris recessum insectatus draco. Misit post eam ex ore suo aquam tanquam flumen ut eam fluminis impetu rapi faceret & sinuosis aquarum implicari vorticibus. Vim gravissimæ persecutionis aqua hîc denotat, ex qua emergere cupivit ille qui dicebat: Salvum me fac DEUS, quoniam intraverunt aquæ usque ad animam meam. Torrente hoc abrepta Ecclesia perijsset nisi terra adiuvisset. quænam terra illa? Principes mundi ab aliquibus intelliguntur ut Constantinus & alij Christianam fidem amplexi Imperatores qui impressionum adversus Christianos violentiam represserunt. Ego cum Haymone per terram carnem Christi Domini intelligo elementaribus terreni panis ac meri velatam accidentibus. Terra hæc superbenedicta os aperuit flumenque absorbuit, quia omnes persecutionum inundantes fluctus compescuit & conjuratos ad demergendam Petri naviculam fugavit ventos. Quid enimverò in illo sævientium Neronum & Diocletianorum furore roborabat quid adiuvabat Ecclesiam ne periret? profectò Sanctissimum SACRAMENTUM, quo seu in cryptis & subterraneis testudinibus; seu in privatis ædibus inter devota suspiria communicabantur imò communiebantur fideles. unde & ex Oratorijs secum asportare sacram Synaxim integrum erat ut ingruente Tyrannidis procella præsentissimum haberetur tutamentum. Et felicissimo prorsus habebatur eventu, quia etiam imbecillus sexus, etiam infirma ætas, nec pridem nata corpora, inter flammas & secures invictam servando fortitudinem, mundum fidei orthodoxæ in virtute Divinissimi cibi subiugarunt. Testem appello D. Augustinum qui ait: SACRAMENTO Corporis Domini subiugatus est mundus. Sopitam Tyrannorum truculentiam advertens draco, per hæreticos infames impugnare cæpit Spōsam Christi & ex ipsorum imò suo, quia ipsorum ore teterrimum mendacij flumen & fæculentum blasphemiarum lacum evomere ut rapido gurgite mulierem obrueret ac in putentem doctrinæ corruptionem raperet. Sed adiuta à carne Christi speciebus Eucharisticis vestita, etiam hanc superavit tempestatem. Devicit ac protrivit universos Ecclesiæ adversarios Vatiniano odio in innoxiam furentes sacratissima hostia: *Hostibus à domitis hostia nomen habet*. Proinde nunc in signum victoriæ solemni pompa & apparatu deportatur publicis in circuitibus augustum novi Salomonis ferculum ut palam fiat Orbi per quid Ecclesiæ & Tyranni & Sectarij in triumphum cesserint & ut inimici nostri in conspectu tanti

Haymo apud Pannoniū in Apocalypsim.

Ovidius.

Cur in processionibꝰ defertur SS. hostia.

tanti splendoris & in tanta universi orbis orthodoxi lætitia positi vel debilitati & fracti tabescant vel pudore affecti & confusi aliquando resipiscant. Nec tibi subrepat, tutamen istud ex Eucharistia toti credentium cætui non singulis fieri credentibus, non inquam id suprebat tibi. Christus namque ita singulos atque omnes complectitur nec minor ipsi de unoquoq; nostrum cura ac de omnibus nec minor pro uno zelus ac pro universis. Ut sol non minùs unum speculum quàm mille illustrat, æque idem indivisus in exhaustus in singulis atque in omnibus; ita Christus in circulari specierum sensibilium figura velut in cælo quodam resplendens, amoris sui beneficiorum & protectionum radios non modo in pulcherrimum lunæ mysticæ Orbem sed & in quævis seorsim accepta sublunaria evibrat. *Sumit unus sumunt mille quantum isti tantum ille nec sumptus consumitur.* O vere ingens amor erga nos Redemptoris nostri! o vere fortis ut mors dilectio! dura sicut infernus æmulatio. Mors & infernus tam durus est ut quos absorbuit non sinat eluctari nec ullum redemptionis admittat lytrum pro ijs quos glutivit: Sic Christi dilectio nostris dura est hostibus, quia eorum hostilitati ad erebum pro trusæ regressum & redemptionem interdixit. Blandiemur igitur nobis ex tanto Divini amoris pro nobis zelo? absit, absit. Etiam contra nos ipsos, si ei in amore nostri repugnemus dura zelabit æmulatione, & velut lampas ardentissima accendetur si amans ipse non inveniat redamantes. Calculus sacrosanctæ Eucharistiæ qui vincenti candidus pretiosus salutaris & in vitam suffragatorius æternam, idem fiet asper durus & gravissimè lædens atq; conterens si in certamine succumbas, si vitijs scateas, *si invidus, iracundus, iners, vinosus, amator existas.* Manna absconditum continens in se omne delectamentum & deserviens omnimodæ uniuscuiusque justi voluntati, fiet grando perpetuam afferens calamitatem. S. Augustinus author est ibi manna generatum aut ministerio Angelico formatum esse ubi nix & grando generatur: porro locus in quo nix & grando producitur, vocatur armamentarium DEI: *Nunquid ingressus es thesauros nivis aut thesauros grandinis aspexisti quæ præparavi in tēpus hostis in diem belli & pugnæ*, Dominus percontatur Jobum. Unde liquet quòd quemadmodum grandinem & nivem signavit DEUS in thesauris suis contra hostes ita & sacratissimum novæ Legis Manna. Eadē mensa ad quam anima lautiùs nutritur, si conscius sceleris accumbas, sagittas emittet & fulgura; eadem mensa ad quam suaviter deliciaris & & voluptuosè vesceris, judicij & damnationis grandinem, nisi reciproco æstues amore, jaculabitur. Intra sacratas solemnitatis huius ferias repræsentabantur alicubi scenicè sub tempus processionis tres abaci: Mundi, Carnis, & Christi. In primo artocrea claudebat columbarum vivarum par, quæ aperto panis ergastulo avolarunt; inscriptio supra visebatur: *Hic deficit.* In secundo bombardulæ inter artolaganos latebant cum adiecta epigraphe: *Hic interficit.* In tertio Salvator intra fontem aquæ vivæ stabat; superscriptio legebatur: *Hic reficit.* Hos ego effectus & inscriptiones rectè ad mensam Christi Domini accomodavero. Reficit enim justos. deficit tepidis quoad virtutem Sacramenti. interficit peccatores. In Alemmanica lingua frustum panis eadem voce effertur qua tormentum: peccatoribus bolus Eucharisticus idem omnino est quod tormentum non solùm ex quo globus, pyrij pulveris ignisq;

Zelus Christi inEucharistia etiam adversus nos.

Horatius.

potentiâ cum horribili fragore eijcitur sed etiam quod cuiusvis torturæ inflictionem significat. Expertus Judas quem post buccellam intravit Sathanas ingentium malorum examen in miseram proditoris inducens animam breviq; eam ad lernam infernalem malis & quibusvis atrocissimis refertam pænis deformi fato protrudens. Expertus miser ille Vdo cui hostiæ sacræ quas inter fætores luxuriæ sumebat damnationem ah æternam accerserunt. Et Presbyter ille, de quo in vitis Patrum, non levi experimento didicit rei quam tracto veritatem. Lascivijs hic & stubationibus deditus, non emūdata per exomologesim conscientiâ ad altaris accessit ministerium, ideoq; horrida fædi morbi infectus lue, naribus in putredinem versis, corrosa totius vultus pulpâ, dentibus & capitis ossibus prominentibus planeque toto cranio apparente spirans cadaver & monstrum informe factus, sed demum D. Macarij Alexandrini prodigiosa curatione pristinæ integritati redditus ea cum pactione ne amplius tremendum offerre sacrificium præsumeret. Si talis putor extra, qualis putas interius fuerat? Si ea corruptio in corpore, quæ & quanta animâ insederat? Experientiæ huius magna pars sunt infelices Sacerdotes qui propter indignum ad aras accessum, sua ante tempus prægestant funera & ante fatum præmortui justas improbitatis suæ exoluunt pænas. Quā verum est quod prædixit Apostolus: Ideo inter nos multi infirmi & dormiunt multi. Quia nimirum propter sacrilegam communionem & multo magis sacrificij litationem infirmitatibus varijs malorumque & morborum iliade ac demum morte inopina obruimur. Sol, vitæ licet author sit, alias tamen plantas ut quæ radici cohærent, vivificat; alias quæ recisæ sunt, arefacit. Panis hominem alit, accipitrem necat. vinum ægris & lippis venenum est. Unde Poëta: *Phryx vinum, oculus bibit venenum*: & Eucharistia mors est malis vita bonis vide paris sumptionis quam sit dispar exitus.

Ægritudinū & præcocis mortis Sacerdotum quæ causa.

Martialis.

Sed nimius sum feraq; coronide longus. Materiæ nimirum magnitudo placitam modernis brevitatem exclusit. Contraho protensa effusi sermonis vela, & transuadatis quæstionum scopulis fragilique inter canas spumeis fluctibus cautes deducta ad littus cymba, epilogi celeuma lætantium more nautarum cantare incipio. O incomprehensa Divinæ dilectionis magnalia! ô SACRAMENTUM! ô clibanum flammæ erga nos exæstuantis! *Poteſtne æstimari quale vel quantum sit hoc sanctum sanctorum, Sacramentum Sacramentorum, amor amorum, dulcedo dulcedinum! Hîc sunt verè vitalia fercula justorum & Sanctorum. hic bibuntur in loco uberi torrentes lactis, flumina mellis, liquores balsami cælestis. hic efficitur una caro Sponsa cum Sponso, unus spiritus sancta anima cum Christo.* Hîc dulcissimus JESUS præsentiam suam nobis communicat, hic in nobis manet velut in templo DEUS, velut in throno Rex, velut in thalamo sponsus, velut in cathedra Doctor. hîc omnia sua, vult & impartitur nostræ indigentiæ bona. hic zelantissimum se nostri defensorem exhibet. denique hic ex omni parte decoraris, cingeris, atque protegeris. & ornamento tibi sunt & tutamini cælestia margarita corporis & sanguinis Domini: gemmæ vertuntur in scuta. Quid retribuam Domino? quomodo tanto amori respōdebo in redhibendo amore? Si me totum effudero, quantillum id erit ad Divinæ profluvium charitatis? quæ cōparatio lucis ad tenebras? Creaturæ ad creatorem, amoris humani ad Divinum

S. Bernardus.

S. Augustinus.

Divinum? tamen si ex me toto dilexero, nihil deerit ubi totum erit. Amat Deus ut ametur: solusq; amor est ex omnibus animæ motibus in quo potest creatura, & si non ex æquo, mutuam creatori rependere vicem. Quid enim non faciam si Deum toto corde tota virtute redamavero. Amor negotiosus est non otiosus. Anima amans fertur votis, trahitur desiderijs, ferventi spiritu opera intexit operibus. nescit tarda molimina. Amans ita est devotus, ita cantat, ita legit, ita in omnibus actionibus est providus ac circumspectus quasi Deus adsit præsens ante oculos eius sicut revera adest: ita orat quasi sit assumptus & præsentatus ante faciem maiestatis in excelso throno. Nimirum musicam docet, devotionem docet amor. O dulcis Christe! cuius ignis in Sion hoc est in Eucharistia ex qua velut specula nos contemplaris: & cuius caminus in Jerusalem cælesti, fac ut hic tanquam ignis ardeam, arsurus demum in cælo ut quoddam vastissimum heliocamini incendium. O voluptas cordium! ô lux serena animarum! ô fax inflammatissima mentium! accende me, inflamma me. Audi o lumen oculorum meorum, & sicut desidero, sicut tota mente peto, da mihi amorem tui sanctum & castum qui me repleat, teneat, totumque possideat ut nihil inposterum me possit separare à te ut continuo in te maneam per charitatem, tibi velim & operer quidquid volo & operor, demum zelus honoris tui semper comedat me.



DEVOTIO

ERGA BEATISSIMAM VIRGINEM.

TRiumphus Assumptionis Beatissimæ Virginis MARIÆ in cælum cum anima & corpore toti mundo festivissimus. Terra quidem devotis abeuntem Virginem prosequitur studijs, celebrat cantilenis, encomijs extollit, revocat suspirijs: at cælum quò terraqueo globo altius, eò altioribus adorat Dominam suam officijs. *Non credo* ait D. Hieronymus *unquam in cælo solemniorem processionem fuisse, quamvis enim magna fuerit in Christi ascensione, ista tamen videtur fuisse solemnior.* S. Bernardus gloriam Assumptionis interiori contemplans oculo exclamat: *Quis cogitare sufficit quàm gloriosa hodie mundi Regina processit, quanto devotionis affectu tota in eius occursum cælestium legionum prodijt multitudo, quibus ad thronum gloriæ deducta Canticis?* Quid putas gaudij quid honoris ac devotionis fuit in venerando Patriarcharum Prophetarumque Senatu quando Jacob mysticam illam scalam aspexit quam aliquando in somnis viderat: quando David virgam ex radice Jesse ortam adoravit: quando Isaias intemeratam illam Virginem intuitus quam prædixerat Deum & hominem parituram: quando Ezechiel portam soli Principi perviam, alijs clausam demiratus est: quando demum parens generis humani mulierem contemplatus quam serpentis infernalis caput contrituram ex ore Divino didicerat. Sed

infinities excellentior in Christo erga Matrem suam honorificentia. Ille qui legem venerat non solvere sed adimplere, legem de honoranda Matre oppidò implevit quando secundùm corpus ab omni putredinis fætore præservatam, trumphali curru ad cælos deportatam, filiali dignatus reverentiâ ad dexteram suam collocavit. Deas aliquando variorum animalium aviumque in sui vectura usas ministerio, damnabilis superstitioso commento finxit antiquitas. Ægypti Regem 4. devicti Reges in carpento trahebant. Josue cum suis Ducibus capita debellatorum calcabat Principum. Elisæus in epirhedio igneo & equis igneis in aëra vectus. Parva sunt hæc si cum pompa qua cælum Virgo petiit conferantur. Bene est, abunde est Cælicolis, quòd tam pretiosum thesaurum, eximium universi terrarum Orbis decus, ornatissimum DEI templum & cælo augustius domicilium, solatium mundi, inæstimabilem margaritam obtinuerint: at nos tanto orbati bono quid agemus, absq; Patre absq; Matre pupilli facti? Num recedis Virgo & tuos deseris filios? num misericordiæ Mater miseros derelinquis? Quis nutriet infantes? quis servabit servos tuos? Non exuit materna viscera erga nos: quin imo in tantæ gloriæ ingressu & consecutione, Matrem se nobis pulchræ dilectionis exhibet, omnes in consortium sui triumphi, suive gaudij invitando. Vidit aliquando S. Philippus Benitius, dum orationi ferventius instaret, Virginem Beatissimam in cisio splendidissimo cuius rotæ sedesq; aurum purissimum erant pretiosis lapidibus segmentatum, vidit inquam vehi cum ea allocutione: *Philippe adjunge te ad currum istum.* Iisdem nos, progrediens ad thronum Cælestem compellat, & Materna vocat suavitate. Quomodo vero nos currui Augustissimæ Reginæ nostræ adjungemus? quomodo in societatem Marianæ gloriæ pertingemus? Devotio est quæ nos associat Vigini Beatissimæ, devotio ad MARIAM nos suæ gloriæ facit participes: ad quam proinde varia hodie è sacris fontibus derivo incitamenta & Religiosis auribus animisq; instillo, gratiæ Divinæ & favori Virginis Matris innixus.

In vita eiusdem lib. 1. c. 5.

Devotio juxta S. Thomam est voluntas prompta tradendi se ad ea quæ pertinent ad DEI famulatum. seu est voluntas prompte faciendi quod ad DEI servitium pertinet. Devotio igitur ad MARIAM erit voluntas promptè faciendi quidquid ad servitium eiusdem spectat. Hinc liquet non modò in eo esse devotionem erga Dominam nostram quòd quis orationes vocales frequentet, quòd rosaria recitet, quòd sacrificia celebret; illud enim totum devotionis est quidquid alacri animo in nostri famulatûs testimonium operamur. Loqui, legere, audire sancta de Virgine MARIA, obedire, virtutesq; imitari, misericordiæ opera exercere, omnia hæc ad DEI & Matris suæ servitium attinent, ideoque à virtute devotionis imperantur. Virtus hæc si cui statui certè Religioso apprimè conveniens & necessaria. In hac præcellere debent Religiosi & suo exemplo alios inflammare homines. Devotio enim est actus religionis quæ juxta S. Augustinum de doctrina Christiana, nomen suum trahit à religando eò quod nos religet uni Omnipotenti DEO. vel juxta Romanum Oratorem à relegendo & retractando ea quæ sunt cultus Divini: porro vitam regularem professi peculiari modò insistunt debentq; insistere religioni, quia arctiori professionis vinculo religantur & adstringuntur ad servitium cultumque Divinum & quia retractant ac rele-

2.2. q. 81. ar. 1.

Devotio vel maximè Religiosis cōvenit.

ac relegunt Divini famulatûs officia. Tota namq; vita eorum in ſpiritualibus exercitijs in retractatione ac meditatione Divinorum. Unde & Religioſi antonomaſticè vocantur quòd excellentiùs & frequentiùs religionis operentur actus. Cum ergo Religio Chriſtiana primariò quidem DEI cultum ac ſervitium; ſecundariò ſanctorum ac præſertim Matris Divinæ imperet, præcipuo quodam modo ac peculiari titulo Religioſi ad latriam erga DEUM & hyperduliam ergam Deiparam obligantur. Non æſtimat Religioſum S. Franciſcus Borgias, qui MARIAM non amat. Vilipendit Novitium Juſtus Lansbergius Carthuſianus, qui MARIÆ devotus non eſt. Explodit Bernardus Monachum qui MARIÆ ſervus eſſe dedignatur. Indignum deniquè cenſet Religioſi nomine Bonaventura & Thomas à Kempis, eum quiſquis ſe ſuaq; omnia in manus MARIÆ non conſignat. Compertum namq; aſſerunt, eum qui MARIAM ſæpius non ſalutaverit eiuſq; ſe cultui non impenderit, eſto Religioſa veſte contectus ſit, nihil tamen probitatis in animo, nihil Religioſæ converſationis in operibus præſeferre. *Eggerer in Anathemate Mariano fo:7.*

Suffragatur ſacra litera Religioſos in laudibus & devotione MARIÆ Principes eſſe debere. Poſt accuratam Sponſæ Chriſti per ſingula membrorum lineamenta deſcriptionem ſubdit Divinus codex græcæ verſionis: *Viderunt eam filiæ & beatificabunt eam Reginæ, & concubinæ laudabunt eam.* Paſſum hunc ſcripturiſticum paſſim de Beatiſſima intelligunt expoſitores. Triplex eſt hominum genus in Eccleſia DEI: Reginæ, concubinæ & adoleſcentulæ. *Sexaginta ſunt reginæ octoaginta concubinæ & adoleſcentularum non eſt numerus.* Pannonius per reginas progeniem Abrahæ, per concubinas progeniem Noe, per adoleſcentulas multitudinem gentium ad fidem vocatarum vult deſignari, ea ratione, quia concubina eſt ancilla viro in concubitum abſq; ſcripto & ſubarratione & legitimis cærimonijs addicta: porro progenies Nöe nullo ſcripto nulla ſubarrarione fidei expreſſæ de Chriſto nullis legitimis cærimonijs erat addicta DEO, ſolaque naturali lege dirigebatur. At verò genus Abrahæ aliter. Nam & lege ſcripta & ſolemnitatibus legitimis & authoramento promiſſæ benedictionis interveniente, DEO ſe in ſervitium tradidit & in conjugium ſpirituale. Gentes autem dicuntur adoleſcentulæ, quia quaſi poſtea nati gentiles ad cognitionem unius DEI pervenerunt. Ruperto Abbati Tuicienſi Reginæ ſunt animæ illæ quæ perfecta charitate Chriſtum diligunt cum contemptu bonorum temporalium. Concubinæ ſunt quæ timore ſerviunt nec ea perfectione pollent ut ſuper præceptum velint addere conſilium. Adoleſcentulæ ſunt quæ necdum ad timorem DEI profecere. Franciſcus Venetus per reginas notat eos qui bene ſe regunt & vincunt maligna; per concubinas peccatores pænitentes; per adoleſcentulas, infantes baptiſatos. Ad idem collimant hæ expoſitiones, Religioſos videlicet ſub reginarum ſpecioſo nomine indicant, qui nimirum ſpeciali lege, ritibus peculiaribus initiantur nedum ad famulatum, ſed etiam ad ſecretiorem amicitiam & amplexum Divinum. Vera progenies Abrahæ: Abraham enim ex vi nominis eſt Pater multitudinis, nulla autem eſt Religio quæ non gaudeat ſuo Patriarcha, ſuo Patre multitudinis. Ut Regina à concubina ita ſtatus regularis differt à ſeculari: ſeculares, ſervi tantùm ſunt, regulares amici & familiares; Regularibus in vim dotis offertur à Chriſto centuplum

Cantic: 6.

Religioſi principem locum tenent in cultu MARIÆ.

Apud Pan: in Cantica.

tuplum in hac vita, non item fecularibus; Regulares folemni Sacramento tradunt fe DEO, non item feculares præterquam in baptifmo. Ut igitur gradu præeminent ita & devotione erga Beatiffimam: primas namq; partes tribuit illis facra pagina ad glorificandam Virginem. De filiabus quidem Jerufalem feu de adolefcentulis ait: *viderunt eam*, hoc eft, folum in eam oculos intenderunt admirantes deprædicatam eius à facris præconibus pulchritudinem, fed ad laudes & encomia alioq; devotionis actus non proruperunt, oculos non eft fecutum officium, vifum non fecutus affectus & effectus: at Reginæ & poft has concubinæ laudaverunt & beatiffimam prædicaverunt. Eo fermonis ordine primū reliquit locum Religiofis ad devotionem erga Beatiffimam Divinus codex. Ipfa eadem, Prophetico fpiritu beatificandam fe & fpeciali cultu honorandam ab ordinibus religiofis prædixit: *Beatam me dicent omnes generationes.* Quanquam enim generali omnium generationum vocabulo comprehendantur ab interpretibus omnes homines & Angeli; non defunt tamen qui per generationes velint Religiones intelligi. Quippe ne unicum quidem è facris ordinibus reperire eft à quo per viros fanctitate celebres non fuerit vel beatitudo MARIÆ deprædicata, vel laudata humilitas, vel in cælos ufq; elata caftitas, vel deniq; mifericordia in humanum genus centum linguis, mille calamis divulgata.

Devotionis causa. Duplicem devotionis caufam affignat D. Thomas: extrinfecam unam, intrinfecam alteram. Illa DEUS eft, *hic enim* ut ait S. Ambrofius fuper Lucam, *quos dignatur vocat & quem vult Religiofum facit & fi voluiffet Samaritanos ex indevotis feciffet devotos;* hæc verò, eft *Bonitas MARIÆ.* confideratio bonitatis & beneficiorum DEI. Devoti effe erga Virginem facratiffimam fi cupimus, implorandus eft DEUS à quo omne datum optimum; fed & ipfi excitare animum noftrum recogitatione bonitatis Marianæ debemus. Porro bonitatem MARIÆ, quis explicare, quis beneficia percenfere valeat? *Tanta eft huius Virginis mifericordia ut in eius enarratione omnes balbutiant lingvæ, cæcutiant omnes intelligentiæ, deficiant omnes parabolicæ fimilitudines.* *S. Ambrofius de laudibus Virginis.* Ubi mare illud eloquentiæ Tullianæ ubi torrens fluvius Demofthenis? nunc profectò muti effetis ambo & veftra lingua torpefceret! Inventa eft res quam nulla eloquentia explicare queat. MARIÆ bonitatem experiri poffumus, non effari. Omnibus illa finum beneficentiæ aperit: nemo eft, qui fe à calore amoris fui abfcondat. Tot prodigiofis in locis ut Laureti in Italia, Częftochoviæ in Polonia, apud Cellas Marianas in Styria, Ottingæ in Bavaria, Monferati in Hifpania, Thall in Hungaria, Rhemetæ in Croatia atque alibi affixa anathemata, vota, tabellæ, fulcra quid aliud funt quàm benevolentiæ & pietatis Marianæ teftimonia. Hic préceps è turri collum *Eggerer in Pharmacopæa Cælefti.* & crura fregiffet nifi MARIA fuccurriffet; hic è fclopo traijciendus erat nifi globum avertiffet, ille naufragio mergendus fuerat nifi natandi imperitum fuftinuiffet. Ubi eftis vos cæci qui collyrio Marianæ pietatis oculos inunxiftis & vifum recepiftis? venite claudi, qui fuftentaculo Marianæ fiduciæ innixi crura roboraftis? adefte infirmi ac moribundi! fateamini an non ex hoc folo cælefti pharmacopæo defperatis rebus omnibus, Hypocrate & Galeno ftupentibus vires & fanitatem receperitis? Rectiffimè dixit Ricardus à S. Laurentio. *Pietate habet repleta u-* *Mantuanus Baptifta.* *bera MARIA, quæ alicuius miferiæ notitiâ tacta ftatim lac fundunt mi-fericor-*

sericordiæ nec potest miserias nostras scire & non subvenire. Etiam antequam invocetur, præsentaneo adest auxilio.

Ante preces etiam & necdum obsecrata favores
Donat, & ad miseros maternas explicat ulnas.

Communia hæc sunt atque ad omnes promiscuè derivata beneficia. Erga Religiosos effusior est MARIA. Matrem pientissimam, Patronam beneficentissimam, Tutricem & protectricem faventissimam se singulis exhibet ordinibus religiosis. Cum enim sit primipila & fundatrix Religionum omnium, specialibus gratijs non potest non fovere, quas genuit, quas plantavit, quas primo Religiosissimæ vitæ ac votorum suorum fundavit exemplo. Abigail est Virgo Sacratissima; ideo famelico exercitui Davidis in deserto commoranti ampla cum annonæ provisione occurrit. Janua cæli est; proinde clementissimus DEUS eam aperit & sæpe sæpius populo electo in solitudine religiosa peregrinanti pluit per eam manna ad manducandum. Sareptanam mulierem dixeris quæ cuivis Elisæo, cuivis religioso cænaculum, lectum, mensam, sellam, candelabrũ id est necessitates & commoditates omnes apparat ut ingenuè fateantur ac prædicent sacri ordines, totum quidquid habent debere se favori Mariano, totum à DEO per manus MARIÆ accepisse, quod ex ore & mente omnium religionum protestatur Bernardus de Nativitate B. V. *Nihil nos DEUS habere voluit quod per MARIÆ manus non transisset.* Omne certè honoris sui punctum, omnem Ecclesiæ thesaurum, nitorem monasteriorum, sustentationem personarum uni Virgini referre debet unaquæq; Religio in acceptis. Taceo profusam in alias liberalitatem, in nostram specialiter insinuo. Esto pauca admodum comparatione aliorum ordo noster possideat, nihil tamen vel frumentorum in campis, vel piscium in stagnis, vel vinearum in montibus vel ornatus Ecclesiastici in templis vel Monasteriorum in diversis locis possidemus quod a liberalissimis fundatoribus per manus MARIÆ non acceperimus. Lustrentur literæ fundationales super Monasteria, prædia, villas, latifundia, indeque clarè patebit uni Virgini nos debere quidquid sacri patrimonij vel aliquando tenuimus vel etiamnum pleno jure retinemus. Videbitur in ijs literis nihil frequentius ingeminari quàm hoc ipsum: *Ob spem & devotionem quàm ad Beatam MARIAM habemus, damus, conferimus. &c.* Documento nobis hæc sunt quòd DEUS nihil nos habere voluit quod per manus MARIÆ non transisset. Non absque mysterio D. Patriarcha noster in solitudine ex palma victum, amictum & productam ad annum 113. vitam sortitus legitur. Palma Virginis hieroglyphicum est: *Quasi palma exaltata sum in Cades.* Quemadmodum ergo B. Paulus Pater noster à palma victus vestitusq; rationem obtinuit ita ordinem ab ipso fundatum, à MARIA palma mystica corporalibus vitæ necessarijs sustentandum confidimus. Neque id caret arcano quod idemmet nostri instituti Princeps à corvo sit pastus. Avis hæc exclusis ovis, parentis naturam exuens, pullos deserit nihil de eorum educatione solicita. Dominus porro naturæ author & generalis creaturarum omnium procurator non sinit perire corui relictam progeniem sed rore matutino benignissime alit Propheta id ipsum attestante: *Qui dat jumentis escam ipsorum & pullis corvorum invocantibus eum.* Aluerat corax Fundatorem nostrum Paulum Thæbeum 60. annis: nutritij officio probè fungens quotidie panis

Beneficentia MARIÆ erga Religiosos.

Eggerer in Anathemate.

panis dimidium DEO datore attulit: exclusus interea velut ex ovo Ordo noster cænobiticus anno reparatæ salutis 1215. jam nullus amplius advolitare corvus, nullus per aëra panis apportari visus: Pauli soboles à corvo penitus derelicta! suscipit itaque ministerium coracinum DEUS atq; rorem Paulinæ imo Corvinæ immittit proli nutritivum. Quis verò ros ille? interroga Germanum Constantinopolitanũ Patriarcham audiesq; per rorem adumbrari MARIAM. Hæc nos pupillos & orphanos per tot jam secula alit benignissimè, pascit sufficientissimè, fovet misericordissimè. Universæ planè fundationes, universa legata & cuncta beneficia quæ nobis potissimùm intuitu, ut jam dixi, Deiparæ offeruntur, quid aliud sunt quàm roris Mariani guttæ, quid aliud quàm gemmæ de sinu MARIÆ depluentes? Jam verò in particulari unusquisq; examinet se & videbit, quanta pietatis Marianæ insignia reportarit, quibus quantisvè fotus sit per eam à puero beneficijs? Certe quilibet fatebitur pridem se Libitinæ victimam futurum fuisse nisi MARIA servasset: in illo & illo periculo periturum, nisi MARIA sospitatrix adstitisset. Amanda igitur & devotis mentibus jugiter colenda. Quot enim eius in mundum beneficia, tot amoris illicia. *Qui suæ salutis synthema MARIAM nominat & non amat, vota sua fallit, vanus adulator non laudator sincerus.*

Vespertinius in Officina Emb:


Exempla devotionis ad V: Beatissimam.

Devotionem dilectionemq; erga MARIAM, beneficia eius nostro ingenerant animo: sed & varia eiusdem devotionis in alijs visa specimina, non segniter nostrum irritant studium. Ipse DEUS incarnatus subditus fuisse huic Matri legitur, reverentiam exhibuisse & quidquid insinuasset, adimplesse. Legite Canticum canticorum & nihil in eo videbitis nisi devotionem amoremque Christi erga Virginem. Ibi tota pulchra, ibi absq; macula, ibi amica, columba, & mille amorosi affectus in laudem Virginis dicuntur nomina. Angeli Reginæ suæ quæ non impendunt officia? In ortu genethliacum carmen occinunt, in Annunciatione devotissimè salutant per Gabrielem, in Assumptione triumphali applaudunt concentu; ut jure exclamet D. Athanasius in Evangelia de Deipara: *Beatam te prædicant omnes Angelorum & terrestrium Hierarchiæ.* O verè beatam prædicant terrestres Hierarchiæ! Quis enim è Sanctis fuit aliquando qui non speciali devotione afficeretur, qui non insignibus encomijs efferret Virginem: plurimi etiam libros, etiam tomos integros venerationi eius consecrarunt. Prætereo Partheniorum Doctorum nubem, Academiarum juramento se honori Mariano obstringentium frequentiam. Taceo totius Ecclesiæ Catholicæ devotionem quæ à S. Petro Principe Apostolorum in liturgiam Romanam, commemorationem MARIÆ inserente, fundamento cultûs Mariani accepto, tot festivitatibus, tot vigilijs jejunijsque, tot confraternitatibus, tot præcandi formulis tantaque imaginum suarum veneratione percolit Deiparam hyperduliæ eam honore dignando quam DEUS ipse supra omnes voluit honorare Creaturas ad maternitatis suæ evectam gradum. Hoc tacere nequeo, quòd ipse etiam gentilismus, eximias habuit ad Virginem Beatissimam devotiones. Refet Salvaticus, in Catalonia quondam idololatras magnam venerationem impendisse imagini Virginis infantem baiulantis: qui interrogati cur singulis annis imaginem illam honorificentissimè per plateas circumducerent, responderunt, se in honorem facere Virginis quæ Virgo manens peperisset. Auctor item scholasticæ historiæ me-


Apud Carth. hom: 7.

riæ memorat Ægyptiacas fæminas ſolitas fuiſſe iconem puellæ cuius ubera infans ſugebat, cultu religioſo venerari. Cuius rationem poſtulante Ptolomæo Rege, ab antiquiſſimo, aiebant, tempore eam inoleviſſe conſuetudinem jam inde à Jeremiæ Prophetæ in Ægypto exilium ſubeuntis prædicatione quâ Virginem parituram fatidico ſpiritu prædixerat. D. Antoninus tradit, in locis Turcarum non ſemel effigies MARIÆ viſas fuiſſe adorari, thure adoleri & blaſphemos in eam digno puniri ſupplicio. Judæos quoque & hæreticos in huius theatrum ſermonis adducere non eſſet difficile ſi expediret. Eò hæc tendunt ut quod præſtat ſuperſtitio, præſtet vera religio. Quod ſi pudet Gentiles in ſancto ſequi opere, non pudeat Chriſtum, Angelos, SS. Patres, Doctores, plebemque Catholicam imitari. Probri plena res quòd dum Religioſi in ſecularibus mira devotionis erga MARIAM oculis auribuſque hauriunt argumenta; ipſi nihilominus in amore eius frigeant, in devotione torpeant, nec quicquam heroici actûs in gratiam Dominæ ſuæ exerceant. Negavit olim Iulianus Apoſtata populo illi evenire poſſe proſpera qui Cybelem Deorum Matrem non honoraret. Nec ego felicia Religioni Religioſoque illi eventura credo qui DEI genitricem cultu debito non proſequitur. Magnetem converſum ad ſtellam polarem pinxit quidam adiecta epigraphe: *In te una quieſcam.* Stella polaris eſt Virgo Beatiſſima: nos magnetes decet eſſe. MARIAM reſpiciamus, ad MARIAM ſuſpiremus donec ſpirare licet. in ea una noſtram poſt DEUM collocemus quietem. Utinam ſpiritum D. Auguſtini habeamus cui ut fatetur ipſe, venerabile ſemper erat & præcordijs ſuis reverendiſſimum loqui de Matre Filij DEI & de ea linguam ſermonibus occupare. O ſi Hieronymi in nobis erga MARIAM reſplendeat devotio! ô ſi tot præcedentia exempla præeant ſecuturis! Diſcamus ſaltem à Poëtis Ethnicis cultum MARIÆ quorum unus præſago ſpiritu eam adorans, luſit: *In freta dum fluvij current dum montibus umbræ, ſemper honos nomenq; tuum laudeſq; manebunt.* Alter dum apem electro incluſam deſcribit, viſus eſt MARIAM pompa ſolemni ſepulchro conditam celebraſſe: *Dignum tantorum pretium tulit illa laborum. Credibile eſt ipſam ſic voluiſſe mori.* Et: *non potuit fato nobiliore mori.* Totis igitur medullis cordium, totis præcordiorum affectibus MARIAM veneremur, MARIAM ſalutemus, quia ſic eſt voluntas eius qui totum nos habere voluit per MARIAM. Sic fiet quod ei aſſociabimur, in currum gloriæ ſuæ nos excipiet, admittet in conſortium gaudij honoriſq; cultores ſervoſq; ſuos. Sic illud filij ſui oraculum adimplebit. *Qui mihi miniſtrat me ſequatur & ubi ego ſum illic & miniſter meus erit.*

De Aſſumpt. *Virgilius.* *Martialis.*



DEVO-



DEVOTIO

ERGA VIRGINEM BEATISSIMAM

Ex consideratione Coronationis ipsius.

ADest festivus toti mundo Deiparæ in Cælos assumptæ dies. Dies quo Christus non permittens Matrem suam videre corruptionem, eandem cum corpore & anima in Regnum Patris sui transtulit perennaturam. Implevit legem hodierna luce de honoranda Matre Salvator noster quando ab opprobrio humanæ conditionis alienam fecit, quod opprobrium putredo est & vermis. Hodie fovere se carnem suam monstrauit quando genitricis suæ corpus ad immensas exaltavit delicias. *Caro* nimirum *Iesu est caro Mariæ.* Liberalem jam maternæ pietatis exhibet se remuneratorem, in amplissima cælorum orchestra Parentem suam præmijs coronando, coronis præmiando. Evocavit Cant: 3. Divino afflatus spiritu vates ad gloriosum spectaculum filias Jerusalem: *Egredimini filiæ Hierusalem & videte Regem Salomonem in diademate quo coronavit eum Mater sua in die desponsationis illius & in die lætitiæ cordis illius.* Animæ credentes invitantur Cantico hoc ad egressum è curis temporalibus ut contemplentur Christum à Matre sua diademate carnis humanæ coronatum in die incarnationis suæ quæ eidem summæ lætitiæ dies fuit. Ornatissimum profectò est diadema Christi, caro eiusdem. Pulcherrimum spectaculum in hoc diademate videre Messiam! quis non festinaret ad illud? Alia hodie aperitur scena in cælis omni magnificentiæ apparatu instructissima. Matri suæ redhibet honorem filius Dei, coronam pro corona refert, diadema diademate compensat. Egredimini filiæ Hierusalem & videte Regis pacifici Matrem in diademate quo coronavit eam filius suus in die Assumptionis eius & in die lætitiæ cordis illius. Quis non extra se egrediatur, quis non exiliat ad visionem hanc magnam videndam? Huc, huc ad videnda gloriæ Marianæ theatra adeste omnes quotquot in mystica militantis Ecclesiæ Hierusalem computamini. quotquot signum magnum sancta curiositate cernere gestitis, & quotquot nosse desideratis quo honore Matrem suam unigenitus Dei Filius ornarit quâ corona ille, qui omnipotens & omniscius est Genitricem suam decorarit? At tantæ gloriæ lumen quis irretorta valebit tueri palpebrâ, quis non cæcutiet si visum figere velit in splendorem fulgidissimum? A longe igitur, quod licet, per dioptram seu speculum scripturarum festiva coronationis Marianæ magnalia consideremus & miremur, magnum inde ad perseverentiam, quæ sola unumquemq; bene operantem coronat, momentum habituri.

S. August: de Assumpt: V.M.

Panm: in Can:

Non ex improviso nec absque prævijs Prophetarum oraculis hodiernus obtigit triumphus perauguftæ Virgini Matri. Pridem Propheticæ buccinæ inthronizationem Deiparæ mundo publicarunt universo. Regius vates entheata mente prævidens prædicensque ad thronum Regni cælestis subvehendam, sic festivissimus cecinit: *Astitit Regina à dextris tuis*

Vaticinium de triũpho V. M.

tris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate. ubi indicare voluit MARIAM Virginem in cælos assumptam omnimoda varietate decoris circumdandam & omnigeno coronarum, laurearum, adorearum, sertorum è sidereis floribus in orbem ductorum schemate absq; numero exornandam. Hoc declarant præfati textûs aliæ & aliæ versiones. Theodotion enim legit. *In diademate aureo de Sophir.* Paraphrastes Chaldæus *In vestibus diversarum figurarum.* Hieronymus *in scutulatis.* Originale Hebræum. *in vestibus auro celatis indumentum eius.* Ex quibus diversis expositionibus colligis non posse viribus creati ingenij & necdum lumine gloriæ clarificati magnitudinem decoris Mariani comprehendi ne dum describi: sed si millia sint interpretum gloriam Reginæ cælestis speculantium, novos semper titulos, novas prærogativas, novas producent coronas: nunquam qui ultimus sit honoris gradus assequentur; ultimam coronam, decus ultimum non attingent. *Apud Vespertinii in offic.*

Expressius aliquid ex literis quibus vocabatur ad coronas discemus. Tenor literarum iste. *Veni de Libano* id est de saltu mundi huius *Soror mea sponsa, veni de Libano. coronaberis de capite Amana de vertice Sanir & Hermon de cubilibus leonum de montibus pardorum.* Quanquam ænigmati similis videtur hæc epistola non tamen ita est, imò verò præcipuæ plena sapientiæ. Amana significat angustiam: ideoque caput *Amana* denotat principalem angustiam quæ fit ex persecutione gladij. *Sanir*, significat lucernam per quam intelliguntur Philosophi lumine naturali veritatem indagantes. *Hermon* idem est quod græcis anathema, & designat hæreses ab Ecclesia anathemate perculsas. *Cubilia leonum* sunt regna mundi quin & regna infernalia: nam in scriptura non soli Principes terræ, sed & Principes tenebrarum veniunt nomine leonum. *Montes Pardorum* imperia sunt Orbis & Angelorum. Angeli namque propter multicolorem virtutum tam supernaturalium quàm naturalium varietatem, item propter suam velocitatem rectissimè pardi vocantur. Ad coronam ergo de principali angustia vocatur Virgo Beatissima quia ipsa principalem sustinuit angustiam sub tempus passionis Filij sui, omniumq; Martyrum acerbas cruces doloris sui excellentia & intensione superavit. Internos dolores acriores esse externis Galeni docent scholæ. Quia igitur gladius Tyrannorum in corpora duntaxat sæviebat fidelium, jam verò Matris Divinæ animam pertransivit, hoc est omnem confodit interiorem potentiam, nullam reliquit intactam facultatem, (sicut qui spatium aliquod extensum pertransit, totum gressu suo permetitur) graviorem, intensiorem, & ut verbo dicam, principem fuisse passionem Virginis MARIÆ inter omnes pro Christo toleratos ab initio mundi usq; huc agones firmissimè teneo & nullatenus dubito. Coronanda de Sanir vocatur quia ipsa gentiles philosophos à callida argumentatione ad fidei simplicitatem tum per se tum per Apostolos deduxit: de vertice Hermon quia cunctas hæreses in universo mundo interemit: de cubilibus leonum & montibus pardorum quia ipsi supra omnia mundi regna atque imperia necnon supra erebi atq; Olympi vastissima dominia sceptrum paratum est ut in nomine MARIÆ omne genu flectatur cælestium terrestrium & infernorum. Prima corona martyrij, secunda sapientiæ, tertia fidei, quarta Regni supra principatus mundi & infernorum, quinta imperij supra Angelos & homines beatos.

Literæ vocantes Mariam ad coronas.

Ad quas coronas.

Pannonius in Cantica.

beatos. His redimita est in hodierno cælestis Capitolij ingressu Regina mundi: his ornatam adoravit cælum, expavit infernus, salutavit reverenter Filius, Sanctissima TRINITAS complexa est. Fidissimus MARIÆ Achates & Virgo Virginis cliens imo tutor utpotè qui eam in sua receperat, augustæ huic meruit interesse coronationi. Ipse splendorem triumphi referat qui spectavit. *Signum* inquit ille *magnum apparuit in cælo mulier amicta sole & Luna sub pedibus eius & in capite eius corona stellarum duodecim.* hoc idem est dicere: Vidi signum magnum, mulierem quæ tota erat in coronis, sol circulo suo fulgidissimo totam ambiebat, luna hemicyclo pedes cingebat, caput sidera coronabant. In singulis Apocalipseos verbis multiplices latere intelligentias dixit Hieronymus: unde & allatus ex eadem textus mysticus est, arcanosq; gerit sensus sub cælestium typo luminarium. Sol iste mulierem vestiens, Christus est MARIAM radijs divinitatis suæ circumquaque contegens. Luna mutabilium huius mundi rerum signatrix testatur, ita amorem cupidinemque ipsarum calcatam à Virgine ut à nemine sic potuerit calcari & contemni. Duodecim stellæ quæ in capite fulgurant, insignia sunt virtutum quibus præstat in cælestibus. Caput igitur Virgineum ornatum est siderea virtutum omniumq; prærogativarum corona ita ut omnes laureolæ, coronamenta, privilegiaq; universa, quæ divisim singulis sanctis data sunt, in præmium decusq; unius cesserint. Corpus totum deitate velut pallio circumamictum. Pedes sacrati rerum caducarum contemptu soleantur: quanquã dicere possim dicamq; lubens quod verum est ad coronandas MARIÆ plantas Ecclesiam lunam mysticam se subiecisse totumq; suum ornamentum totum nitorem calcaneo substravisse Mariano. Gloria hæc Ecclesiæ est quòd ipsa quoque ad plenitudinem gloriæ Marianæ suos conferat splendores, nusquam serenior nusquam formosior aut ornatior quàm sub pedibus Marianis. Hic tota pulchra, tota nitida, tota candida, maculam nullam prorsus habere cernitur. Non poterat ornari magis quàm dum mulieris huius ornat vestigia. vilior fuisset nisi se ad calcem MARIÆ posuisset. Allatis negotiator quidam ex India in Lusitaniam lapidibus pretiosis ad quos ardent & insaniunt studia fæminarum, cum omnes intra modici temporis lapsum divendidisset smaragdis solis eò quod postponerentur sibi remanentibus, eiusmodi usus astu. Aureo serto curavit Smaragdorum illorum luculentiores intexi, donoq; offerens Isabellæ Reginæ petijt ut gestare in capite dignaretur. Fecit Regina, statimq; Gynæceum & nobiliores totius Regni matronæ gemmas in pretio cæperunt habere moxq; distaxerunt. In luna mystica velut in aureo segmine plurimi lapides pretiosi & vel maximè smaragdi hoc est castitatis professores tunc potissimùm æstimari, tunc clarescere visi, quando sub stellatis Marianis pedibus collocati. Gloriosius nimirum tantæ Dominæ suppedaneum est quàm inæstimabiles omnium Regum regnorumvè coronæ. O quis mihi det! ut inter uniones Ecclesiæ, quibus vestigia Divinæ Genitricis calceantur, unus ego sim? quis mihi det ut intra spiritualis Cynthiæ orbem manens calcari merear ab illa, quæ quidquid calcaverit aut rosam aut lilium facit.

Etiam S. Mechildi Divinarum vasi revelationum datum est cælorũ Imperatricem à Filio suo coronatam conspicari. Vidit hæc in capite Mariano coronam cuius flores inclinati terram respicerent. In pallio quod

Testimoniũ S. Ioannis de coronatione Virginis.

Sub pedibus Mariæ Ecclesia pulcherrima.

Paoletti ser: de S. Mathia.

Visio S. Mechtildis.

Ex lib: spirit: grat: Sanctæ Mechtildis.

quod rubrum erat plenumque corollis aureis, quot coronæ tot inscriptiones visebantur. vidit & alteram quæ humeros instar Epomidis operiret literasque in ea exaratas legit: *Mater* DEI *& hominis.* Tertiam in pectore advertit cui hæc insculpta erant lemmata: *Regina Angelorū. Gaudium sanctorum omnium. Solamen miserorum. Refugium pauperum. Consolatrx vivorum & mortuorum.* Inclinatio ad terram coronarum significabat quòd ipsa cum omnibus donis & gratijs sibi à DEO collatis ad filios hominum propendeat. O gaudium! ô consolatio nostra! si totum decoris sui apparatum Virgo pretiosissima ad nostram refert salutem? Acceptis hisce de tanta Dominæ nostræ sublimatione nuntijs, constitutam super omnem Creaturam prostratus adoro, secutusque sententiam Arnoldi Carnotensis, Filij cum Matre gloriam non tam communem judico quàm eandem. Nihil certius encomio illo quo MARIAM celebravit Mantuanus:

Quæ data sunt illi, nunquam mortalibus ullis
Antea concessit nec post concedet Olympus.

Fidem fortasse denegas internuntijs quos audisti eo quòd varient, aliusque aliam gloriæ majestatem, alius alium coronarum enarret numerum & modum? Sed crede mihi ita est indicibilis Mariani amplitudo decoris ut nullo explicari eloquio, nullo valeat percenseri sermone. Si mille & millies mille cælitùs lapsos auscultares Mercurios de gloria MARIÆ perorantes; nova à quovis perciperes, semperque superesset quod ad augem celsitudinis Marianæ accenseri deberet. *Enim verò quantum gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantum & in cælis obtinet gloriæ singularis,* & sicut in gratia virtutibusque superavit totam Ecclesiam militantem ita in gloria & coronis triumphantem præcessit. Hic universos Angelorum Ordines & sanctorum choros revisens velim perpende quot in cælis laureæ quot æviterni Regni insignia? Si in terris ubi famulorum non nisi regio nec nisi servitutis status, jam imperatoriæ coronæ, jam regalia diademata, jam Ducales mytræ, Pontificiæ tiaræ, Doctorales bireti, muliebria anademata, cidares Persicæ aliaque id genus honorifica gestamina visuntur; quot quantivè pretij sunt in cælo, ubi lætantium & regnantium omnium habitatio? In singulis Angelorum hierarchijs aliæ & aliæ radiant, in singulis Sanctorum tribubus aliæ & aliæ coruscant: imò verò multi multis insigniuntur dum unus idemque Sanctus & martyrij & virginitatis & Apostolatùs aliorumque meritorum multiplicem præfert coronam. *Has habet & superat* Virgo Beatissima ut mirum non sit si nulla lingua explicare nullus intellectus capere sufficiat decoris Mariani sublimitatem. *quisq; Mariano cædat labor amphiteatro.* Emmanuel Philbertus Dux Sabaudiæ pingi sibi fecit coronā ex lauri frondib9 cum baccis suis cuius extremitates in superiori parte necteret rosa ex unionibus gemmam circumdantibus. apposuit epigraphen: *Instar omnium.* Docere voluit victricem laurum sibi esse instar omnium coronarum quæ olim in prœmium heroicæ virtutis conferebantur, instar obsidionalis quæ dabatur obsidionem passo Duci. Civilis, quæ Civem liberanti. Navalis, quæ primò navem insilenti. Muralis quæ primò scandenti mænia. Castrensis, quæ castra occupanti tradebatur. instar demum triumphalis, quæ victori celebrem consecuto victoriam offerebatur. Unius corona MARIÆ ex lauro immarcescibili ex cælestibus unionibus ex rosa paradisiaca instar omniū est quæcunq; non dico in terris sed quæ in cælis absq;

Prolepsis.

Typotius.

numero computantur. Angelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apostolorum, Evangelistarum, Martyrum, Religiosorum, Confessorum, Virginum, & quicunque in superna Patria sunt Ordines, omnium horum insignia & trophæa in MARIÆ includuntur diademate. *Nulla fuit tanto mulier redimita decore!* Jam credo & cum D. Hieronymo devotissimè profiteor Virginem Beatissimam in cælos assumptam non decoratam amplissimè sed decus ipsum effectam. *Sanè credo*, ait ille, *quòd Virgo MARIA tota fuit fides in credendo, tota oculus in cognoscendo, tota charitas in diligendo, tota virtus in operando, tota candor in concipiendo, tota splendor in pariendo, tota decus in ascendendo.*

Bernardus de Busti.

At quid ego linguam meam sermonibus occupo circa gloriam Virginalem de qua dignum aliquid sterilis concipere cogitatio aut inerudita non valet locutio parturire. Temeritas est effari velle ubi linguæ balbutiunt Angelicæ: potiùs quid ad morum nostrorum informationem facit gloria Virginis indagemus. Non enim sola ipsius vita in statu merendi existens, sed & gloria eiusdem nos ad salutem erudit. Corona Symbolum perseverantiæ est. *Non coronabitur nisi qui legitimè certaverit*, legitimè porro nemo certat nisi qui ad finem pugnæ constantissimè præliatur. Unde etiam derivato vocabulo coronis appellatur quicunque rei exitus. Ad perseverantiam adhortatur Dominus ipse his verbis: *Esto fidelis usq; ad mortem & dabo tibi Coronam vitæ*, id est beatitudinem æternam quæ corona vocatur, quia perpetua est, & quia omnium bonorum aggregatione perfecta: dicitur autem corona vitæ per allusionem ad flores vividos & recentes, semper enim vitalis erit Sanctorum decor. Hoc igitur gloriæ immortalis decus quicunq; consequi desiderat, fidelis sit ad mortem usque. Ad fidelitatem hominis pertinet ut solvat faciatque id quod promisit. unde secundùm D. Augustinum fides vocatur ex hoc quòd fiunt dicta. Abrenunciasti diabolo & pompis eius, promisisti servare mandata DEI, vinculo consiliorum Evangelicorum te obstrinxisti, serva fœdus quod pepigisti, imple quod promisisti. *Displicet DEO stulta & infidelis promissio.* Quod seu in baptismo, seu in ordinum sacrorum susceptione, seu in religiosa professione vovisti, serva non per unum mensem, non per unum annum, non per trieteridem, aut decadem annorum, sed per omnes vitæ tuæ soles, ad mortem usque. Quid namq; prodest fides & fidelitas probata si deinceps perfidiâ commutetur? quid juvat mandata DEI exactè custodisse, si postea turpis succedat prævaricatio? quid juvat amabilem Domini fuisse cum Salomone, si in fine depraveris. quid confert bene cursum incepisse cum Galatis, si demum fascino irretitus deficias. quid denique laudis est domum inchoasse, postmodum verò per inertem ac infamem pigritiam pendentia opera interrupta minasque murorum relinquere? Judæ etiam laudantur exordia sed quia exitus proditione damnatur, laus illa majoris opprobrij facta ipsi artifex. Si omnia fecerimus non tamen perseveraverimus in bono ad usque ultimum halitum, nihil nobis inchoata proderit justitia. Tota illa bonorum operũ scena evanascet. Dixerat Hieronymus ad Rufinum scribens: *Amicitia quæ desinere potest, vera nunquam fuit.* dicam ego: Justitia, quæ potest desinere, vera nunquam fuit. Supplicemus Vigini Beatissimæ ut eius intercessione bonum certamen certemus, cursum consummemus, fidem servemus quoadusque spiritus in naribus nostris, quò nobis à iusto Judice corona justitiæ.

Corona symbolum perseverantiæ.

S. Thom: 2. 2. q. 88.

DEVOTIO

AD VIRGINEM BEATISSIMAM

Ex Consideratione Immaculatæ Conceptionis eiusdem.

BRevis, sed exactus in laudibus MARIÆ symmistes Christi Matthæus, omnem & totam ipsius excellentiam quinque vocularum complexus est circuitu: *De qua natus est* IESUS. *Tetigit hic originem ac fæcundam illam venam, è qua omnia cælestia charismata ac Divina beneficia, portentosaq; privilegia Beatæ Virgini divinitus collata ortum habuere.* Maternitas DEI, prorsus fons est, è quo immunitas à peccati originalis labe (ut de hac sola prærogativa in præsentiarum loquar) scaturivit. Scripturarum mos est, dum aliquid non vulgaribus extollunt laudibus, & insignem quandam exprimere volunt rei cuiuspiam pulchritudinem, paradiso assimilare. Sic regio Sodomorum antequam in favillas redacta esset, *quasi paradisus Domini* appellata est. Et Ecclesiastici 40. timoris Domini dignitas, ac species ita pingitur: *Timor Domini sicut paradisus benedictionis.* MARIA Virgo quia lignum vitæ protulit, quod est Christus Dominus; quia ratione maternitatis Divinæ eximiam, singularem, ac infinitam quandam nacta est excellentiam, quin vocetur paradisus Domini? Paradisum vocat sponsus cælestis, in uno omnia coacervans encomia vocabulo: *Emissiones tuæ paradisus.* Paradisum vocat Jacobus Apostolus in sua liturgia, quam sexta probavit synodus. Eundem titulum Virgini Beatissimæ Sancti Patres, Augustinus, Hieronymus, Ambrosius, Damascenus, Bonaventura, Robertus, & alij innumeri tribuunt, appropriatius ei & convenientius nomen invenire haud valentes. Si MARIA ob maternitatis Divinæ prærogativam & per consequens ob incomparabilem decoris magnitudinem, paradisus Domini: ergò absque originali labe concepta. Paradisus enim magnas habet analogias, & convenientias ad Immaculatam Conceptionem, quas in digitum refero, eà ipsa suffragante de *qua natus est* IESUS. *Carthagena.*

Hortum voluptatis, primum primorum parentum domicilium ingressurus, ante vestibulum ipsius monstrum immane conspicio ore diducto sibilans, ignem evomens, linguam trisulcam exertans, aculeatam in spiras colligens caudam, longoq; & sinuoso membrorum tractu viam paradisi occupans, ac transitum præcludens. Ad ipsius aspectum cohorresco quidem; iuvat tamen illud fixiùs intueri & considerare. Peccatum originale hoc ænigmate intelligo. De eo D. Thomas 1. 2. q. 72. art. 3. inter multa pronuntiavit: *Originale est quædam inordinata dispositio proveniens ex dissolutione illius harmoniæ, in qua consistebat ratio originalis justitiæ: sicut etiam ægritudo corporalis est quædam inordinata dispositio corporis secundum quam solvitur æqualitas, in qua consistit ratio sanitatis.* Unde quemadmodum ægritudo, non est mera sanitatis privatio: ita primigenium crimen non esse meram privationem, sed habitum corruptum eumque nec infusum, nec acquisitum, sed per vitiatam originem innatum, docet idem Author. Porro harmonia, & *Natura peccati originalis.*

tenor originalis justitiæ in eo perstabat, quia voluntas hominis erat subiecta Deo, & exinde potentiæ omnes partesque inferiores subiectæ voluntati ad bonum. Ad justitiam ergò originalem tria hæc concurrebant: donum supernaturale, subjectio voluntatis ad Deum, consensio omnium virium animæ cum voluntate ad bonum. Ex allatis Doctoris Angelici præceptionibus colligit formatque hanc peccati originalis definitionem Caietanus: *Est habitus concupiscentiæ constans ex inordinata virium animæ dispositione, & privatione originalis justitiæ.* Quod connaturale crimen traducatur in posteros, de fide est. Ait enim sacrum concilium Tridentinum. *Si quis Adæ prævaricationem sibi soli, & non eius propagini asserit nocuisse, & acceptam à Deo sanctitatem & justitiam quàm perdidit, sibi soli, & non nobis etiam eam perdidisse, aut inquinatum illum per inobedientiæ peccatum mortem, & pœnas corporis tantum, in omne genus humanum transfudisse, non antem & peccatum quod est mors animæ: anathema sit.* An verò omnes omnino homines derivati ex Adam, contrahant originale peccatum, non spectat ad fidem, sicut ad eandem non spectat an omnes moriantur nec ne? universalis propositio Apostoli tam de peccato originali, quàm de morte sufficienter verificatur per hoc quod universi & singuli homines necessitatem seu debitum peccandi moriendique incurrerint. Ita Cajetanus interpres Divi Thomæ: qui etiam persuadere nititur hoc sensu locutum esse S. Thomam lib: 2. q. 72. att: 3. in o Quousque manet embrio, quousque caro anima rationali non informatur, eo usque non afficitur naturali hac infectione. Cum enim sola anima rationalis sit susceptiva culpæ, ante infusionem ipsius proles non est obnoxia culpæ ait S. Doctor. cuius etiam illud est. *In semine corporali est peccatum originale tanquam in instrumento eò quòd per virtutem activam seminis traducatur in prolem cum natura humana, sed sicut in subiecto, nullo modo peccatum originale potest esse in carne, at solùm in anima. Quidquid pervenit de corruptione primi peccati ad animam, habet rationem culpæ: quod autem pervenit ad carnem, non habet rationem culpæ, sed pœnæ.* Quia verò peccatum quòd propagatione contrahimus, propriè naturam respicit, rectè peccatum naturæ, languor naturæ, & febris totius generis humani gravans massam, appellatur.

Justitiæ originalis triplex constitutivũ.

Peccatum originale traducitur in posteros Adæ.

Estne de fide in omnes homines traduci peccatũ Adæ.

3. 27. art: 2. in

Ib. 2. q. 83. ar: 1. in

Peccati originalis quod instrumentũ & quod subiectũ

Sed iam monstrosam hanc prætervolantes hydram, paradisum intremus. Paradisus voluptatis ab hebræo Pardes quod hortum, seu pomarium significat dictus, ad orientalem plagam in loco admodum sublimi in altissimis montibus situm positionemq; habet, ita quidem ut plane lunarem suâ celsitudine attingat globum. Veritatis huius assertor est D. Augustinus qui sic Orosio scribit: *Paradisus in oriente situs est, interiecto Oceano, & à nostro orbe longè remotus, in altissimo loco constitutus, pertingens usq; ad lunarem circulum.* In eandem jurarunt sententiam Lombardus, D. Thomas, & multi alij: quanquam nonnulli hyperbolicam in eo locutionem volunt, quod altitudo paradisi ad lunæ cælum se porrigat. Horto suo fallaciter blanditus est qui dixit: *Puris leniter admovetur astris.* Elevationi paradisi veraciùs hæc quadrat inscriptio. Paradisus est Virgo Beatissima ut prætexui. Fundata igitur in conterminis cælo montibus. *Fundamenta eius in montibus Sanctis*, canit Solymæus Rex & Vates. At quæ fundamenta sunt hæc? qui montes? con-

Paradisus in sublimi loco.

Martialis.

tes? Conceptio Virginis MARIÆ & animatio ſunt primi quaſi lapides diviniſſimæ ſtructuræ. Ubi verò lapides hi collocati, ubi initia horti myſtici poſita? In montibus Sanctis. Mons in Sacris literis juſtitiæ typus eſt: tota autem juſtitiæ noſtræ ſumma in fide ſtat, & charitate. Gratia ſanctificans, & habitus virtutum Theologicarum ſunt præcelſi olympi cælis æmuli, imò cælis ipſis ſupereminentes. Jn his verè Sanctis montibus inchoatum eſt habitaculum novo Adæ: in his auguſto SS. Triadis Sacrario fundamenta jacta. Ne luſiſſe potiùs quàm cum ſolida ratione dixiſſe videar, pondus dictis affero ex Doctore Angelico qui 3. p. q. 27. art: 1. hæc habet. *Rationabiliter creditur, quod illa quæ genuit unigenitum à Patre plenum gratiæ & veritatis præ omnibus alijs maiora privilegia acceperit.* Hîc ego, pace S. Doctoris ſubſumpſerim: Atqui Adam & Eva producti ſunt in ſanctitate & juſtitia: Habuit itaq; idem primigeniæ ſanctitatis donum & MARIA; alioquin in donis divitijs inferior Evâ fuiſſet.

Hortus deliciarum in picta illa floſculis herbiſq; oderiferis terra, nullum noxium proferebat germen: non horrebat tribulis, non armabatur vepribus, non quidquam inutile ac venenoſum germinabat. Ipſa florum Regina, hortorum gratia, oculorum nariumq; voluptas roſa purpureos gemmeoſq; explicabat caliculos, abſq; ſpinarum echino: nullis ſepiebatur rubis in paradiſo, ut Author eſt Ambroſius in hexam. *Abſq. ſpinis & ſentibus.*

Paradiſus eſt Virgo Sacratiſſima. Nullum itaq; ſentem, nullum paliurum protulit. Spina, peccatum dicitur cuius punctionibus cruentatus David ſuſpirabat: *Converſus ſum in ærumna mea dum configitur ſpina.* hoc eſt: Converſus ſum in ærumna mea ad DEUM, dum cor meum aſperis malegeſtorum pungeretur aculeis. In hoc noſtro paradiſo nihil lethale, nihil noxium, nihil ſpinis obductum fuiſſe ait Caniſius in ſermone de Beata Virgine. cuius ſententiam ſequens firmabit diſcurſus: Si in manibus cuiuſpiam hominis eſſet eligere ſibi matrem, haud dubiè, eam ſibi eligeret, cui nulla labes aſperſa eſſet & quæ nulli nobilitate generis, opum ignorantiâ, formæ venuſtate, decentia morum, maturitate prudentiæ, eloquentiæ ubertate fecunda eſſet. Eam ſibi aſſumeret matrem, quæ Helenæ pulchritudinem, Lucretiæ pudorem, Penelopes gravitatem, Minervæ ſapientiam, Cleopatræ divitias & honores poſſideret: & ut de ſacra quoque literatura aliquid delibem, Eſther formam, Judith fortitudinem, Abigail ſuavitatem, Rachelis gratiam, Reginæ Saba ſcientiam & opulentiam in futura ſua percuperet genitrice; demum eam ſibi adſciſceret parentem, quæ omnes animi corporiſque dotes in alijs diſperſas matronis ſola collectim teneret. Cùm proinde in poteſtate filij DEI fuerit eligere imò formare matrem ſuam: quî fieri potuit, ut eligeret formaretque talem quæ maximo dedecore ac probro affecta aut afficienda eſſet? quî fieri potuit, ut non pulcherrimam, puriſſimam, nobiliſſimam eligeret conderetque. Speciosus erat filius DEI, aut rectiùs fons increatus omnis ſpeciei: Sanctus erat, quin imò ſanctitas ipſa: næ ergò indecens fuerit ei, aſſumere ſibi genitricem veteris Adæ lutatam ſordibus! Eiuſmodi reflexionem facit Ludovicus Granatenſis in ſermone de Immaculata Conceptione. Redeo undè exiveram. Profectò ſi Paradiſus ſpiritualis MARIA, ſpinam tuliſſet peccati, ſpina hæc ipſum etiam MARIÆ Filium ſauciaſſet, niſi falſum ſit ignominiam Matris in Filium redun-

um redundare. Pensate initium salutationis Angelicæ, literasque eius paulisper immutato ordine disponite & invenietis oraculum seu testimonium pro veritate quam tracto: *Pura ignoravit sentem maculæ Adami.*

Paradisq. iũci & herbarum virentium ferax. Paradisus, credo ego, inter nitidas ac sereniores crystallo undas juncum germinabat. Nimirum ad ornatum paradisi spectabat ut vada ipsius gramineis calamis ad lenia flamina huc illuc fluitantibus virerent. Scirpei in paradiso canneti meminit nisi fallor Sedulius in sua poësi sacra: *Ibi flore perenni gramineus blanditur ager nemorumq; voluptas irriguis nutritur aquis.* Sed & nos quod Latinis juncus odoratus dicitur, hoc vernaculæ linguæ sono, herbam paradisi vocamus. Juncus seu scirpus herba est enodis, glabra: nullam scabritiem, nullum eminentem callum habet, ut proinde proverbium emanarit: *Nodum in scirpo quæris*, qua paræmia in rebus apertis dubium aut in planis & securis scrupulum facientes perstringuntur.

Paradisus est Maria. Inter uberes ergò gratiarum Divinarum scatebras, nobilem semperq; viridem spiritualis junci producebat herbam. Dicam plus nec dixisse pænitebit, ipsamet Virgo fuit quædam teges scirpea, vel si mavis, canistrum quoddam aut fiscella juncea. Sic eam vocat D. Ambrosius, qui locum illum Exodi 2. de Moyse infantulo ad aquas in fiscella scirpea exposito, allegorice reddens, per Moysen Christum; per fiscellam scirpeam, Mariam intelligit. At quamobrem precor, alveolus ille gramineus Virginis Deiparæ simulacrum erat? Scirpus ut dixi enodis ac geniculorum expers herba est: & Sacratissima Virgo ignara nodi: nodi videlicet illius quem digito quasi monstrat Ecclesia in oratiuncula: *Hæc est virga, in qua nec nodus originalis, nec cortex actualis culpæ fuit.* Et meritò tali nodo carere debuit quæ fiscella seu armariolum Filij Dei futura erat. Expediebat namque speciosissimum esse atque ex plana minimeque aspera materia ac strue phaselum naviculaturo Filio Dei serviturum; alioqui portandæ huic sarcinæ inidoneus haberetur, ut demonstro. D. Thomas 3. p. q. 27. art: 4. ait; *Quos Deus ad aliquid eligit ita præparat, & disponit ut ad id, ad quod eliguntur, inveniantur idonei. Beata autem Virgo fuit electa Divinitus ut esset Mater Dei: & ideò non est dubitandum quin Deus per suam gratiam ad hoc eam idoneam reddiderit. Non fuisset autem si peccasset aliquando. quia sap: 1. dicitur: In malevolam animam non intrabit Sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis. quia item ignominia matris in filium redundasset. quia demùm Christus ex redundantia peccati materni ad se, conventionem aliquam ad Belial habuisset.* Quod Doctoris Angelici theorema non modò convincit omnis peccati actualis expertem fuisse Virginem sed convincit quoque ab immanitate originalis immunem extitisse: si enim deliquisset originali peccato, non fuisset æque idonea ad suscipiendam in uterum suum Patris Æterni sapientiam: labes matris filium infecisset: & sagenæ dæmonis irretita mater filium quoque ad eandem traxisset nassam. Conclusum itaque sit Mariam virgam & virginem junceam absque nodo originalis culpæ formatam esse, quia idonea fuit unigenito Æterni Patris portando fiscella, idonea Mater.

In paradiso aura lenis. Jn paradiso erat aura lenis, omnes Etesias Favoniosq; sua vincens suavita-

ſuavitate. Illic *dulcis compoſitis ſpirabat crinibus aura*: legere enim eſt in Geneſi quòd poſt prævaricationem protoparentum deambulabat Dominus ad auram poſt meridiem. Quæ iſta deambulatio fuerit, non vacat hîc examinare. ſuffecerit noſſe auræ myſterium. Aura hæc Spiritus Sanctus eſt, qui etiam alio ſcripturæ loco, *ſibilus auræ tenuis*, nuncupatur. *Virgilius lib: 4. Georg:* *3. Reg: 19.*

Paradiſus eſt MARIA. Igitur aura Spiritus Sancti ab ipſis ſtatim primordijs in hoc ſpirabat paradiſo. *Fuit in paradiſo*, inquit Bernardinus de Buſti *auræ tenuis gratum refrigerium: iſtud autem refrigerium fecit in Beata Virgine Spiritus Sancti gratia.* At quale quæſo refrigerium in Virgine Beata operatus eſt Spiritus divinus? à quo æſtu MARIAM almi flaminis tuebatur Zephirus? Vidimus ſupra, peccatum originale eſſe concupiſcentiam & febrem quandam totius naturæ humanæ: ab hoc igne Spiritus creator Virginem perbeatam tutatus eſt. nec permiſit incendio hominibus connaturali aduri, fumo ac fuligine omnibus moleſta tenaciterq; adhærente denigrari, graveolentiſſimo peruſti Adæ nidore afflari. Lenis blanduſq; ventus in horto deliciarum, non ſatis eſt, quòd gratiſſimo fovebat corpora refrigerio: etiam folia arborum diſtringendo, dulcem harmoniam, meloſq; periucundum auribus ſuaviſſimo procreabat ſuſurro. Jn myſtico horto Spiritus Sanctus itidem non refrigerij tantùm verum & admirabilis concentus ac harmoniæ author fuit, harmoniæ nimirum illius in qua vis originalis juſtitiæ conſiſtebat. Quàm pulchra gratioſa jucunda fuit hæc harmonia! *Iacet oratio in qua verba tantum laudantur*, ait quidam. Verbis itaque ſuccedat ratio quæ declaret atq; emedullet, in Virgine Sanctiſſima refrigerium & harmoniam eiuſmodi non defuiſſe. Auguſtinus lib: de Nupt: & concup: *libido*, inquit, *tranſmittit peccatum originale in prolem*. Et in alijs locis idem S. Pater eandem repetit confirmatque propoſitionem. Porro Beatiſſima Virgo non eſt concepta ex libidine, at ex charitate nutuque DEI eô planè modo quo in ſtatu innocentiæ fuiſſent propagati homines: quo in ſtatu fuiſſet quidem ſexus permixtio, at ſine cupiditatis admixtione, atque idcirco, quia tunc actus connubialis nihil de fæda concupiſcentia habuiſſet, etiam erubeſcentiam haud ſenſiſſet non ſecus ac nunc cibi ſumptio latebras non quærit, rubori non obnoxia. Non eſſe ex libidine conceptam Deiparam, nequaquam mei commentum capitis eſt: graves id tradiderunt Authores. & quod pondus rei eſt, ipſamet id Sanctæ Birgittæ revelavit in hæc verba: *Conjugium matris meæ, & patris mei tanta DEUS caſtitate conjunxit, ut tunc non inveniretur caſtius. Pro certo dico tibi quod ex charitate Divina, & ex verbo Angeli annuntiantis convenerunt carne, non ex concupiſcentia aliqua voluptatis. Et ſic ex ſemine eorum per charitatem caro mea compaginata eſt.* His penſatis neminem arbitror inficias iturum Virginem MARIAM abſque originali conceptam eſſe peccato, quod per cæcam & indomitam concupiſcentiam velut per limoſum defluit rivum in poſteros.

Obtendes non eſſe neceſſe ut ad tranſmittendum originale adſit actualis libido: quia dato quòd aliquis ex virtute Divina nullam inordinatam ſentiret in actu connubiali tentiginem, nihilominus inquinata conciperetur proles: ſufficere ad pravum hunc effectum, habitualem libidinem *in quantum appetitus ſenſitivus non continetur ſub ratione, ſoluto vinculo juſtitiæ originalis.* Sit ita quòd ad traductionem coævæ *S. Thomas.*

nobis culpæ, habitualis sufficiat cupido, scilicet appetitus sensitivus fræno rationis solutus; etiam hanc, firmissimè teneo in Conceptionem Virginis non influxisse. Neque enim priùs Parentes eius convenire decreverunt quàm intellectus imperaret; intellectus non prius imperavit, quàm Angelus annuntiaret; Angelus non prius annuntiavit, quàm authoritas jubentis DEI accederet. Quemadmodum protoparentes nostri, quia summam pacem, summam consensionem virium inferiorum cum ratione & voluntate habuerunt in paradiso, non convenerunt, sed ad id expressum Divinæ voluntatis præstolabantur mandatum: ita Joachim & Anna dum appetitio sensualis, quieta pacataque in eis quasi dormiret, divinæ evidentiam voluntatis opperiebantur: qua demum ex ore internuntij cælestis cognita, absque pruritu carnis, absque deformi voluptate, absque contenebratione rationis, jugali sanctæ conjunctionis munere functi sunt, calentissimos amoris Divini actus interea elicientes natura stupente. Liquet id ex revelatione adducta, liquet ex S. Damasceno his in rem MARIÆ perorante: *Natura gratiæ cedit, ac tremula stat, progredi non sustinens. Quoniam itaq; futurum erat, ut DEI genitrix & Virgo ex Anna oriretur, natura gratiæ fœtum antevertere minimè ausa est, verùm tantisper expectavit dum gratia effectũ produxisset.* Quæ verba, nisi desipis id sonare intelligis quòd in Conceptione Virginali natura gratiam venerata sit, primas partes relinquens gratiæ omnesque vires suas victas & subactas eidem substernens ut non corrupta facultas, non caro rationi refractaria, non sanguis cupidine bulliens; sed gratia, sed amor DEI, sed maiestas mandantis Numinis, penes sanctam & intellectui undequaq; subjectam conjunctionem tabernaculum filio Divino fabricaret.

Paradisus regia protoparentum. Paradisus, regia erat protoparentum. Illic dignitatis regiæ fulgebant insignia. Reges quippe fuere habitatores paradisi Adam & Eva, ab ipso DEO electi & uncti. Forma quà creabantur, recitatur in Genesi: *Dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & universis animantibus quæ moventur super terram.* Mox à cunctis suo subditis sceptro animantibus acceperunt homagium jubente DEO & cuncta ad Adæ pedes adducente. Sanè Rex regum Adam, cuius ad imperium totus orbis expeditus erat, Cælum cum volucribus, aqua cum natatilibus, tellus cum animalibus iussa Adæ præstolabantur. Pardi absque jugo sua submittebant colla, tygres & cameli absq; flagello flectebant genua, leo placidus positis per armos jubis, caudaque blandiens lambebat plantas: oryx humanis sese supplex & roganti similis adsternebat poplitibus. Non erat necesse lupatis cervos, capistris ursos, equos frænis & popysmate domare: universæ bestiæ, quæ nunc formidabiles sunt, & nonnisi multo canum hominumque constant sanguine, tunc instar dorcadis aut oviculæ cicures ad delicium simul & obsequium præstò erant. Par ingenium atq; obedientia in piscibus. Unusquisq; ad vocem Dñi sui venisset citatus. mulli, murenæ, scari, mugiles, Gobij, lupi, squillæ, omnes deniq; sive ex genere ostreorũ sivè ex genere concharum, jussi ex suo prosiluissent diaphano domicilio. Sed & alites de aëre ad manum, quoties libuit, venissent dulcesvè querelas & concentus edidissent. Felicem Adamum atq; omnibus beatiorem regibus, si honorẽ quem dederat conditio, mox subsecuta non eripuisset prævaricatio! Incomparabilis Adæ dignitas, nisi brevem culpa fecisset!

Paradi-

Paradisus est Virgo Beatissima. Regalis itaque insignia celsitudinis tenuit. Fallerer forsitan nisi ipsammet fatentem audirem: *Ab æterno coronata sum.* sic enim locus ille Ecclesiastici: *Ab æterno ordinata sum*, Deiparæ ab Ecclesia attributus, in alia versione redditur. Et profectò ab æterno coronata quia ante secula in Matrem DEI, & quod sequitur, in reginam totius mundi prædestinata & electa. Maternitati namque divinæ, dominium supra quasvis debetur creaturas. Si ab æterno coronata, si ante mundi constitutionem regina cælitum, terrigenarum ac inferorum electa; fierinè decebat ut servituti primigeniæ subiaceret? ut compedes ab Adamo communis nostræ miseriæ fabro cusas portaret? Jn Sicilia quanquam omnes arborum fructus exactioni subiecti sunt, poma nihilominus punica exempta, eò quòd coronæ regalis similitudinem referant. Ergonè unum apyrinum felicius nobiliusvè erit MARIA? ergò corona umbratilis maiorem merebitur venerationem quàm corona solida, archetypa, regalis in MARIA? legesnè creatæ plus bonitatis ac indulgentiæ habebunt quàm divinæ? poterit lex terrena penes exemptionem salva esse, divina non poterit? D. Bernardus ser: 72. in Cantica infamiam quam ex profligatis parentibus contraximus, dulci quo solet stylo persecutus, hæc addit: *Portamus omnes impressum nobis cauterium conspirationis antiquæ.* Cauterium hoc loco accipitur pro nota ferali frontibus mancipiorum aut maleficorum inuri solita. Decensnè obsecro erat, ut destinata Mater DEI, electa genitrix Verbi Divini, cæli terræque imperatrix constituta, ignominioso & tristi stigmate notaretur? decensnè erat charactere mancipiorum dæmonis eam signari quæ libertatis nostræ vindicem atque assertorem sinu virgineo gestatura fuit? Refert Baronius ad annum Christi 274. Zenobiam Reginam orientis devictam ab Aureliano Imperatore ductam fuisse in triumpho velut captivam: dein verò inter summos honores in urbe consenuisse. Credo ego quòd quanquam toto deinceps vitæ tempore honorificentissimè habebatur, labes tamen ac probrum semel subitum, nitorem posterioris funestabat gloriæ. Æqua ratione Virgo Gloriosissima semel saltem triumphata, semel sub jugum missa, & captivitati mancipata diabolicæ, in universis posthac honoribus, præeminentijs, & dignitatibus, ingentia decoris tulisset damna.

Fidelis in Conci: de Immac: Concep: Virginis MARIÆ.

Jnter Apinas tricasque fortasse refers has quas adduxi narrationes historicas? theologica requiris pondera? Pareo votis atque monitum te desidero ne patiaris tibi subrepere futurum fuisse quòd Virgo Sacratissima non egeret redemptione Christi, nisi telæ quam orditus est primus parens in universam stirpem suam ipsa quoque fuisset implicita, non patiaris inquam id tibi subrepere. sufficit enim, aio cum Caietano, ad indigentiam redemptionis obnoxium esse originali quantumvis actu non incurratur. *Redemptione*, verba sunt Caietani, *non solùm eget captivus, sed etiam obnoxius captivitati.* Quia itaque Virgo beatissima captivitati obnoxia erat, quia debito incurrendi originale gravata fuit, indiguit redemptione, estò fuerit re ipsa immunis ab eodem. Nisi gratiâ redemptoris fuisset præservata: nisi lytro sangvinis Christi occisi in decreto divino ante mundi originem, in antecessum fuisset redempta, ipsa quoque sub duro Acherontis gemuisset dominatu.

Refero pedem ad paradisum non sit precor tædiosum paulisper commorari in voluptatis loco.

Paradisus Divinæ complacentiæ obiectũ

Paradisi regionem, divinæ objectum complacentiæ jure dixero. Ibi enim Deus amabilissimam creaturarum collocavit: ibi mundum pedibus Adæ subjecit; ibi post infatuationem protoparentũ nostrorum inter dulces arborum gratissimam porrigentium umbram deambulabat sibilos: ibi *flumina iam lactis, jam flumina nectaris ibant.* Locus hic deliciarum nunquam Deo displicuit: diris ut reor nunquam devotus. Censuerim ego quòd ista duntaxat terra divinæ fulmen maledictionis senserit, quam laboriosus rei rusticæ operator Adam culturus, proscissurus, tertiaturus, sarculis & rastris pastinaturus erat, ut victum sibi ex eius visceribus in sudore vultus erueret; ista inquam terra quæ densas carduorum segetes inter pauca salubria gramina, zizaniorum copiam inter raras frumenti spicas, uvarum acerbarum & duracinarum plurimam vindemiam inter aliquot dulciores botros procreat.

Ovid: 1. metam.

Paradisus est Virgo Sanctissima. semper igitur fuit Deo placita. Indignationem divinam pertulit nunquam. Benedictioni semper, maledictioni nullo instanti pervia erat. Quod dico, jam pridem Regius Vates in sua ad Deum apostrophe enuntiavit: *Benedixisti Domine terram tuam.* Terra quam calcamus, terra nostra est: quæ quia nos alit, vestit, portat, & in suo post fata servat fovetq; gremio, mater communis hominum congruè appellatur. Terra autem Domini non alia, quam Maria Virgo: hæc enim quantumvis intacta, ex suis visceribus protulit Dominũ, eundemq; gestavit, verè mater! Hanc itaque terram suam benedixit Dominus quando maledictionẽ & captivitatem toti fatalem humano generi ab ea avertit: *Avertisti captivitatem Iacob.* Gratulatur sibi ipsamet eam felicitatem dum inquit: *Dominus possedit me in initio viarũ suarum.* quod sic, licet, intelligas; semper ego quasi fundus divinus in possessione Domini fui. illicò ab initio operum Domini, Dnum̃ hæredem & possessorem nacta sum. infernus nihil unquam ad me juris, nihil proprietatis habuit, nunquam me apprehendit. Possessio vocatur a pedum positione: in terra Domini vagus Diaboli pes, nullo temporis puncto stare potuit: pedibus illa divinis, affectibus divinis servabatur. Franciscus Venetus notavit quòd ubi nos in vulgata legimus: *Plantaverat Dominus paradisum voluptatis à principio*, in hebræis codicibus legatur: *Plantaverat Dominus paradisum in voluptate*. Mystico congruit paradiso lectio hæc. Prima statim plantatio ipsius, amores traxit divinos, delicias supremæ maiestati procreavit: ut tunc jam cæli canticum illud ad Mariam à deitate directum audiverint: *Ecce tu pulchra es amica mea, ecce tu pulchra es.*

in Cantica.

Canticum hoc (ait noster Cælius) *celebratur de Deipara per appropriationem, in qua nec originalis nec actualis macula fuit, ut puriores Theogi cantant. Decuit quippe summe puram esse quæ candorem lucis æternæ intra viscera gestatura foret. quæ singulari gratiâ præservata fuit, ut non penetraret ad eam labes illa connaturalis, quando corpus afflatu Spiritus consecratum suscepit animam in plenitudine gratiæ creatam quod citra altercationem potuit Deus facere, & fecit. alioquin non tantùm honorasset Pater filium, si Matrem aliquando infamiæ malum subiisse passus esset.*

Dum lenocinantibus mihi undequaque jam Floræ jam Pomonæ fructibus, & ad ampliores virgineas laudes trahentibus, atque uberem materiam

teriam meſſemq; honori immaculatæ Marianæ Conceptionis miniſtrantibus ex paradiſo exeo, ecce tibi impingo in obicem quo non pes cruentatur, ſed mens feritur! Utique perpetratum à Protoplaſtis in paradiſo crimen: quod illis quidem actuale ac perſonale fuit; nobis, dum totam generis humani vitiat propaginem, originale. Non igitur ex omni parte infert immunitatem ab originali nævo Paradiſus. Fateor in paradiſo admiſſum eſſe peccatum quod in nos propagatione refunditur. Sed Eva, ipſa ſuæ & noſtræ infelicitatis artifex, ipſa magiſtra: ad primum perſonati dæmonis conſpectum, ad primos eius ſibilos, familiariùs cùm eo egit, confabulationes miſcuit, argutis credidit conſenſitq; ſtrophis. Haud ita ſacratior Eva MARIA: à ſuo protinus conceptu inimicitias cum ceraſte Acheronteo duxit, caputq; eius victrici protrivit pede, juxta prædictionem ore divino inter ipſa mundi exordia factam: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem. Ipſa conteret caput tuum. Mater Domini noſtri IESU Chriſti*, ait B. Cyprianus, *in illa repromiſſa eſt muliere. Hæc inimicitijs oppoſita eſt ſerpentis.* Eiuſdem intelligentiæ fermè omnes catholici interpretes. At verò quodnam caput iſtud, cuius meminit ſcriptura? Anguis tartareus non eſt ad modū reptilium terreſtrium capitatus: non enim conſtat ex corpore membrorumq; ſtructura. quid igitur per caput eius, ſacer codex indicat? Per caput in ſcripturis intelligitur principium aut primatus, ſicut per caudam finis. Caput igitur hydræ ſtygiæ ſunt primæ ſuggeſtiones, & tentamina, quibus primos parentes impetijt, percuſſit, occidit. *Caput ſerpentis vocatur initium malæ ſuggeſtionis*, ait D. Thomas. Has ſuggeſtiones & primæva dæmonis molimina protrivit, devicitque Virgo Beatiſſima, virtute meritorum Chriſti futurorum, quia virtute eorundem ſervata eſt, ne voluntas eius cum voluntate Adæ ad eſum mali peſſimi conveniret. *Revera pactum Adami non ligaſti Evam*, ſcilicet MARIAM, anagramma eſt ex initio ſalutationis Angelicæ concinnatum. Ex eodem initio aliud in rem præſentem eruitur: *Ruat anguis amarè. immane caput elido.*

Lib: de teſtimonijs adverſus Iudæos c.16.

2. 2. q. 165. art: 2. ad 4.

Anagrāmata Agnenſis de immaculata Concept: Virginis.

Myſta quidam Apellea arte pingi fecit hortum in loco ſublimi, vallatum undique ac munitum. Serpens extra hortum jacebat interemptus. aderat epigraphe: *Horti nunquam temeravit honorem.* Ænigmatica imago hæc abſq; dubio Immaculatæ Conceptionis typus eſt. Non potuit coluber Avernalis in diviniſſimum irrumpere paradiſum utpote duplici benè firmatum clauſurâ: *Hortus concluſus ſoror mea ſponſa, hortus concluſus.* Priùs eliſus, priùs ruptus & comminutus quàm intraret fædaretque. Fabulatur more ſuo Poëſis quòd Heſperides ſorores pomarium habuerint in quo aureæ arbores aurea ferebant mala; draco autem jugibus hortum tuebatur excubijs. Virgo Sacratiſſima extra omnem fictionem hortus eſt aureo prædives fructu, & quod magis mirere, draco Erebicus factus eſt horti iſtius cuſtos. Tantum prævaluit virtus Omnipotentis DEI, ut beſtia theſauro originalis juſtitiæ inhians, furtiſque eiuſdem ſacrilegis velut pinguibus offis, aut turundis infarcinata, ſemper nihilominus eſuriens, inæſtimabilem ſanctitatis primigeniæ gazam cuſtodiverit.

Ingenita fuit Herculi fortitudo, quia in cunis adhuc elidebat ſerpentes. Quocirca Martialis canit:

 Elidit

Elidit geminos infans nec respicit angues:
Iam poterat teneras hydra timere manus.

Mereatur fidem figmentum istud apud eruditæ amatores vanitatis; miretur Alcidem suum gentilismus: nos fideles non Poëtarum fabulis, sed scripturarum tabulis intellectum captivamus. MARIAM non in cunis at in ipso conceptu suo, eo viguisse robore quòd infernalem eliserit colubrum, veritas est sacris consona scripturis.

Sed jam nativas sibi habeat delicias terrestris paradisus dum me divinior rationalis hortus ineffabili sua rapit pulchritudine. O MARIA! ô paradisus divinæ voluptatis! ô cælo jucundissimum viridarium! quis jam hæreat conceptum tuum beatum sanctum intaminatum fuisse: beatum exemptione, sanctum justificatione, intaminatum prævaricatione. Lex incurrendi originale pro omnibus sed non pro te. Omnes in iniquitatibus concepti sumus sed non Tu. Totam stirpem in se tanquam in radice Adam peccando vitiavit atque morti & damnationi obstrinxit, sed non Te. Tu in montibus sanctis originalis justitiæ fundata. Tu flos absq; spina. scirpus absque nodo. Te increatus Auster inter ipsa statim plantationis tuæ initia perflabat, & æstum arcens & jucundissimam efficiens harmoniam. Tibi regalia ab æterno oblata & collata insignia, quæ nullis posse te patere insidijs, nulli te posse subjici captivitati clamabant. Demum tu divinæ terminus complacentiæ & benedictionis. Quare id? quid ultra quæro? Tota & omnis ratio in eo est, quia ex te natus est JESUS, qui vocatur Christus. Maternitas divina Achilleum est pro Immaculata Conceptione argumentum. Maternitas divina fons est è quo immunitas à labe originali præter innumeras alias prærogativas scaturivit. *Quid ultra quaris, quid ultra requiris*, aio cum Thoma Villanovano, *sufficit tibi quod Mater DEI est. Quanam obsecro pulchritudo, qua virtus, qua perfectio, qua gratia, qua gloria Matri DEI non congruit?* Nonne & Tridentinum Concilium dum Sess. 5. in decreto de peccato originali declarat non esse suæ intentionis comprehendere sub hoc decreto Beatam & Immaculatam DEI Genitricem, ex maternitate divina Immaculatam Virginis videtur tacitè inferre Conceptionem. O ergò *munda à macula per merita IESU gnati!* gloriosa dicta sunt de te Civitas DEI, paradise DEI! Omnia tibi bona venerunt cum Maternitate divina: & nobis si Mater nostra sis, bene erit, abunde erit: fiet anima nostra velut hortus irriguus universis è cælo instructus opibus. Igitur monstra te esse Matrem, sumat per te preces, qui pro nobis natus tulit esse tuus.



MUNDI
CONTEMPTUS.

In pervigilio. Nativ: Dni.

APparuit *gratia Salvatoris nostri DEI erudiens nos*, meum ex Apostolo hodiernum ordior sermonem. Apparuit gratia gratis & sine ullis prævijs meritis nostris data, Nativitas nimirum Domini nostri:

nostri: apparuit gratia, hoc est, gratiosus ille speciosusque præ filijs hominum in terris visus est: ille qui posuit tenebras latibulum suum, qui lucem inhabitat inaccessibilem, manifestum se in forma hominis humano exhibuit generi, statimque in ipsis apparitionis suæ initijs erudire nos aggressus: priùs re quàm ore nos instituere cæpit. Quæ verò summa doctrinæ ipsius in sua nativitate nobis traditæ? ut scilicet abnegemus omnem impietatem & sæcularia desideria id est ut quidquid sæculum aut sæculi homines desiderant hoc totum abnegemus, respuamus, contemnamus. verbo ut mundum cum suis concupiscentijs aspernemur. Quam cælestis magistri doctrinam quò alacrius sequamur, mundi inanitatem & nihilum ostendere Divino nixus auxilio proposui. Sententia cuiusdam magistri spiritualis est: *Si mundus aperiretur cultro veritatis, statim dignosceretur esse vanus & falsus.* Eum proinde acie veracium scripturarum aperiam ut ipsius vacuitas vanitasque innotescat. *Didaci stella.*

Nomine mundi non elegantem hanc ornatamque universi machinam à DEO artifice constructam intelligo sed ea quæ in mundo sunt possuntque obstaculo esse ad æternam beatitudinem consequendam; opes nimirum, honores, voluptates: quam bonorum mundi partitionem B. Joannes Apostolus adstruit dum triplicem ponit concupiscentiam: *Quidquid est in mundo*, ait ille, *aut est concupiscentia carnis, aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ.* Prima ægritudo voluptates, secunda opes, tertia honores appetit. Cuivis enti appingit Philosophia tres proprietates unius, veri, boni, videamus an bona mundi his gaudeant appendicibus, quòd si ijs carere deprehendentur, nullo negotio ea contemnemus.

Fusè disputat Divus Augustinus libro de vera religione, pulchritudinem omnem in rebus creatis provenire ex eo quòd earum partes similes sibi sint & ad unam quandam convenientiam redigantur, in tantumque rebus pulchritudinem inesse, in quantum & unitatem habent. Contendit autem quòd nulla penitus res creata habeat unitatem nisi tantummodo ementitam ideoque fallamur specie rerum creatarum. Verba recito S. Doctoris: *Si propterea nos fallit rerum visibilium pulchritudo, quia unitate continetur & non implet unitatem, intelligamus si possumus non ex eo nos falli quod est, sed ex eo quod non est. Omne quippe corpus verum corpus est sed falsa unitas & tamen nec corpus ipsum esset nisi utcunq; unũ esset. Porro utcunq; unum esse non posset nisi ab eo quod summè unum est, id haberet.* Idem eodem libro paulo ante sic philosophatur: *Cum in omnibus convenientia placeat quâ una salva & pulchra sunt omnia, ipsa verò convenientia æqualitatem unitatemq; appetat vel similitudine parium partium, vel gradatione disparium; quis est qui summam æqualitatem aut similitudinem in corporibus inveniat audeatq; dicere cum diligenter consideraverit quodlibet corpus verè ac simpliciter unum esse cum omnia vel de specie in speciem vel de loco in locum transeundo mutentur & partibus constent sua loca obtinentibus per quæ in spatia diversa dividuntur.* Ita ille. Liceat ex Philosophiæ adytis hac de re veritatem scrutari. Unũ apud Philosophos est indivisum in se & divisum à quovis alio. Quid autem in rebus creatis corporeis indivisum in se cum quidlibet alijs atq; alijs constet partibus: & si ut propositum est de bonis mundanis loquar, hæc quia continua successione mutantur atque instar aquæ fluunt &

Vnitatis defectus in bonis mundi probatur ex D. Augustino.

Item ex natura unius.

unt & præterfluunt, vix unitatis vocabulo gaudere possunt. *Præterit*, ait Apostolus, *figura huius mundi. Ideo præterit*, explicat Ambrosius, *quia quotidie senescit nunquam fixus & in uno statu permanens nec sibi constans.* Quò aliquid magis unum est, eò fortius eò solidius stabiliusque est; ex opposito, quò aliquid in plura divellitur, eò languidius debiliusque operatur. Collectus animus vivax est & solerter intendit rebus, collectus sensus solerter sua exercet officia; è contra distractus & pluribus intentus minor est ad singula. Jam quid solidum, quid stabile in mundo? Cuncta infirma, cuncta prætereunt veloci passu. vix parent dum disparent, vix affluunt dum effluunt. primò advenerunt, & jam transiverunt. Propone ante oculos mentis omnia sæculi refrigeria; & nisi desipis, dictis subscribes meis.

Veritatis defectus in bonis mundi. Veritatem in mundi muneribus frustra quæsieris. Apparentiam quandam fulgoris & lenocinij habent at non veritatem. Veritas juxta Doctorem Angelicum capitur primò pro quadam æqualitate intellectus & signi ad rem intellectam aut signatam, vel etiam rei ad suam regulam: *Natura veritatis.* secundò pro veracitate per quam verum dicitur. An utramque hanc aut saltem alterutram sæculi bona complectantur, periculum faciamus. Concipit ea intellectus noster tanquam expletiva appetitus *Bona mundi non satiant.* humani atque idcirco voluntati proponit prosequenda, verùm non adæquant intellectum nostrum, quia non satiant appetitum. *Omnia*, ait Ecclesiastes, *desideraverunt oculi mei & non negavi eis nec prohibui cor meum quin frueretur omni voluptate & oblectaret se in his quæ præparaveram & ecce vidi in omnibus vanitatem, & afflictionem spiritus.* Cui quæso abundantius affluebant fortunæ & gaudia mundana quàm huic *Quare?* qui dictam protulit sententiam, & tamen inter tantas divitiarum & deliciarum scatebras siti & ariditate vexabatur. Porro cur nequeant terrena omnia humanum satiare pectus, cum authoritate adduco rationem: quia fecit nos DEUS ad se non ad res creatas ideoque inquietum est cor nostrum donec in illo ipso requiescat ait S. Augustinus in Confessionibus. Doctor Angelicus ulteriorem assignat causam. Obiectum volun- *1. 2. q. 3. art: 8.* tatis, inquit ille, est universale bonum sicut obiectum intellectus est universale verum. Nihil ergo potest quietare voluntatem hominis quæ est appetitus humanus nisi solum universale bonum. hoc autem non reperitur in ulla creatura, sed in solo DEO. omnis namque creatura participatam habet bonitatem. Unde solus DEUS potest perfecte hominis appetitionem saturare juxta illud: *Qui replet in bonis desiderium tuum.* Si itaque ex bonorum mundanorum usu non sedatur desiderium, non percipitur requies animi, sed magis afflictio sentitur; liquidò patet quod æqualitatem non habeant cum nostra cognitione vim satiandi in eis apprehendente & per consequens, quod non habeant veritatem.

Vitia veritati opposita omnia in mundo seu eius bonis reperiuntur Veritati contrariantur sequentia: mendacium, falsitas, simulatio, hypocrisis, jactantia & ironia. Mendax mundus in bonis suis quia contra mentem loquitur. Cogitat hominem affligere, torquere, occidere & interim pacifica occinit. Falsus fallaxque est, quia in eo totus ut decipiat. Planè mangonem agit dum colorem fuco, robur inani sagina in rebus suis mentitur ut ad earum amorem fatuos alliciat negotiatores. Simulator, externa specie felicitatem præferens; intus mortis innumera gerens instrumenta quibus perimat. Hypocrita, sanctitatem fingens

fingens cum ſit pelagus quoddam ſcelerum. Salaco, jactat ſe univerſis abundare bonis dicens illud ad imprudentes: *In me divitiæ, in me delitiæ, in me honores cum nudiſſimus & inaniſſimus ſit.* Deprimit etiam ſe aliquando & nequiter humilitat ad inſtar lupi pecoribus inſidiantis. Quæ igitur in mundo mundique opibus ac illecebris veritas ſi omnes veritatis inimicas continet nequitias. Mundus itaque quod inferre licet, Labanus eſt: promittit pro ſervitijs Rachelem ſubſtituit Liam; ſectatoribus, ut ſtipulati ſunt, pollicetur delectationes, jucunditates, vitam; largitur dolores, anxietates, funera. Mundi bona ſunt falſi teſtes Jezabel per quos morti adiudicamur: ſunt falſi Prophetæ miſero Achabo imponentes quibus Michæas, hoc eſt, remorſus conſcientiæ ſeſe opponit fallacias doloſq; eorum detegens: ſunt velut virides arundines quæ aſpectum hyali colore recreant, ſed ſi frangantur, nihilpræter vacuitatem claudere deprehenduntur. Incantantores & Nigromantici oſtentant hortum cum fructibus & floribus quos ſi carpere volueris, non invenies: vacuam illuſus retrahes dexteram. Meriſſimus nigromanta mundus eſt, delectabili ſpecie ludit oculos noſtros; manus animumq; non implet.

En talis mundanæ proſperitatis veritas! bonitatem indagemus. Bonum illud vocatur quod appetibile eſt, ſeu convenientes appetitui. Quæ autem appetibilitas quæ convenientia ad appetitum in bonis turmas innumerabilium miſeriarum ducentibus? Honores invidijs curis laboribus periculis intricati: opes timoribus, ſolicitudinibus, inſomnijs, inquietudine plenæ, ut meruerint ſpinæ à Chriſto Domino appellari: voluptates fœtoribus, morbis obſcænis, infamia, tædijs, conſcientiæ remorſu, metu temporalis & æternæ mortis aliorumque malorum circumdantur examinibus. Tria principaliora ſuppliciorum genera in inferno fingunt Poëtæ: ſitim rabidam quâ Tantalum fugientibus ab ore ſuo aquis pomiſque excruciari comminiſcuntur; remorſum cordis, Tityum enim alligatum petræ in corde à vulture rodi tradunt; continuum laborem, qui in Siſiphi ſaxo in ſublime portando ac reportando ſuſcipitur. Miſeri mundani homines adhuc in ſæculo præſenti viventes ſupplicia memorata patiuntur. Divitiarum avidi ſiti areſcunt. Unde Horatius:

Defectus bonitatis in rebus mundanis.

Triplex ſupplicij genus bona mundana comitatur.

Tantalus inter aquas ſitiens fugientia captat
Flumina. Quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur. congeſtis undiq; ſaxis
Indormis inhians & tanquam parcere ſacris cogeris.

Avidi voluptatum mordentur in pectore. Vultur cor eorum rodens *roſtroq; immanis obunco immortale jecur tondens* eſt peccatum. Avidi honorum, ſaxum oneroſum in ſublime portant, & quia eluctatis ad celſa faſtigia elabitur, iterum ſudant, iterum Herculeos labores imò Siſipheos ſuſcipiunt. Jam quæ appetibilitas poteſt eſſe in felicitate talibus maritata ſupplicijs. Nec ſufficit mũdo ingentibus hominem obruere malis: eoque inſidiatur donec eundem morti tradat. Jachel eſt quæ dum Siſaram excipit hoſpitio lactatque, ſimul interficit. Sanguinem totum pro modico lactis hauſtu exigit feralis commutatrix. *Ne bibas de lacte delectationis eius, nec dormias ſub fiducia ipſius niſi velis mala morte perire. Si te lactaverit ne acquieſcas ei.* Dalila eſt in ſinu fovens, incautum quemque omni robore & maſcula virtute privatura, ad ignominiam

Virg: 6. Æneі:

Didacꝰ Stella

miniam per decaluationem deductura & tandem Philistæis infernalibus traditura illudendum excæcandum interimendum. Meretrix est Babylonica quæ ex vase aureo propinat venenum. Est Judas in osculo ad necem exponens. Et ut vulgaribus quoque utar similitudinibus, est velut simia quæ dum infantem complectitur, suffocat. Est sicut virgo instrumentum mortis in quibusdam regionibus sic fabricatum ut complexu suo hominem vulneret occidatque. Est sicut mulier à teneris annis viperarum serpentum aliorumque veneñatorum insectorum carnibus pasta quæ ipso suavio homines necabat. Possis ipsi adscribere: *Amando perimit.*

His ita se habentibus concludere licet cum Nisseno: *Omnia quibus in hac vita mortalium curæ destinantur, inanis quædam opinio sunt nihilque subsistens.* Licet exclamare cum Persio: *O curas huminum! o quantum est in rebus inane!* Inanitatem mundi diuturnâ experientiâ cognoscebant gentiles ideoque post præstigiarum atque offuciarum eius agnitionem, serò tandem sapientes eum contemnebant. Diocletianus & Maximianus vanissimum mundi fastum fastidientes abdicarunt se imperio. Demosthenes & Themistocles è duabus vijs altera ad vitam vitæque illicia, altera ad mortem & mortis prodromas adversitates ducente, hanc præ illa elegerunt. Abijcienda spernandaque mundana bona suadebant & Poëtæ. *Quidquid in altum fortuna tulit, ruitura levat.* hoc ad honores spectat. *Gemmas & lapides, aurum & inutile summi materiam mali Mittamus scelerum si bene pænitet.* hoc ad opes. *Sperne voluptates nocet empta dolore voluptas.* hoc ad carnis illecebras. Ista idcirco attexui ut discamus quid nos facere conveniat si gentilis superstitio ad eam perfectionem contemptumque mundi se perurgebat.

Seneca.

Horatius.

Habent quidem & hæc ima delectationes suas, habent passiones entis transcendentales; sed si penitius inspicias, tota ipsorum unitas veritas bonitasque nihil est nisi portio & participatio Divini esse ideoque solus DEUS in ipsis amandus colendusque.

Scimus ista, credimus ista, & tamen proh dolor cæco affectu, mundo inhæremus immundo. Quis ergo nos seperabit à perversa charitate ipsius si tam clara cognitio bullatæ vanitatis nequit nos ab eius avellere complexu? JESUS Christus Salvator noster in similitudinem hominum factus & habitu inventus ut homo. Natus voluntariè ex paupere Virguncula, in via, in stabulo, pannis involutus, inter jumenta repositus, à frigoris asperitate minimè tutus. Procul à cunis eius fastus omnis, procul auri argentique fulgor & omnis divitiarum apparatus. Quæso si Dominus cæli & terræ in cuius manu sunt omnium potestates & jura regnorum, ita humilis, abiectus, pauper, in duro præsepis lecto, in straminea culcitra apparere voluit, tune opulentam delicatam ambitiosam vitam degere optabis? Gen: 24. Postquam Rebecca adveniens ad ædes sponsi peditem eundem à longe conspexit, confestim pallio vultum operiens prosilijt de camelo, & reliquum itineris pedes absolvit. Cur quæso vultum operuit? scilicet puduit ipsam quod sederet cum interea sponsus pedester ambularet. Sanè maiori verecundia suffundi digni qui in tumente mundi dorso velut in quodam ephippiato camelo sedent cum interea Dominus noster convenienti careat subsidio & commoditate. Noluit Urias ire domum ad indulgendum voluptatibus manente Joabo

Motivum contemptus mundi.

Nativitas Christi.

Domino

Domino suo super faciem terræ: en Dominus noster super faciem terræ in spelæo Bethleemitico friget, tremit, vagit. ergone voluptati operam dabimus? Clamant ipsius panni, clamat stabulum & præsepiũ vana esse mundi bona, creaturæ usum fallacem, mollitiem & luxum luxuriamq; damnabilem, vanam omnem mũdi superbiam. Tomẽtum illud Circensi durius in quo recubuit, condemnat delicias mundi. stabulum monstrat quam sint vani honores. viles fasciæ quibus Divina maiestas involuta fuit satis ostendunt, quales sint huius sæculi divitiæ. *O ingentem abusum! si vilissimus terræ vermiculus velit esse magnus cum Dominus maiestatis sese tam parvum fecerit. Intolerabilis profectò impudentia, si ubi exinanivit se maiestas, vermiculus infletur & intumescat!* execrabilis malitia si dum riget tremulus JESUS frigore membra tenella constringente, homo super extructum plumis lectum lasciviat, & dum ille totus in asperitate tu in delicijs & delectationibus sensualibus cupias esse. Ingens dementia, cum Christus nudus in præsepio jacet, te divitijs & pecunijs velle ornari? Certe cum omnium bonorum auctor sit DEUS & à fidelibus suis quæri & diligi bona quæque præcipiat, si mundana bona, vera bona essent, nec ipse quidem contemneret, nec suis sequacibus contemnere præciperet.

S. Bernardus Serm: imò de Nativitate.

Quæretis fortasse quâ mercede hæc & ipse contempsit & nobis contemnenda mandavit? mercede regni cælestis. *Omnis* inquit Apostolus 1. ad Corint: 9. *qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet, & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant nos autem incorruptam.* Corona hæc meretur, quatenus propter eam capessendam omnia mundi relinquamus blandimenta. Respondebitis: Ecce reliquimus omnia & secuti sumus Dominum: exivimus DEO propitio de medio Babylonis: mũdum cum suis immundicijs deseruimus: satellites voluptatum divitias abiecimus. Gratiæ igitur, replico, agendæ DEO qui contemptum mundi pectoribus nostris immisit & de sæculo ad sequelam sui nos invitavit. Attendendum autem & toto virium conatu curandum, ne è deserto religionis aspiremus ad Ægyptum, ne retro ad ardentem Sodomam (per Sodomam & Ægyptum, mnndum intelligit S. Hieronymus ad Marcellam scribens) respiciamus. Omnia cum Apostolo velut stercora reputemus. Crebro in nos ipsos reflectamus rationis lumen cur unde & quo venerimus pensitantes. Vilis tunica contemptum sæculi probet. Capillorum depositio admoneat nos factæ abrenuntiationis mundanorum bonorum. In camelauchio seu caputio reminiscamur dulcis jugi spiritualis cui mancipati sumus. Vincula votorum nos ab amore honoris, pecuniarum, voluptatumque arceant. Status noster totus est ad sequelam Christi comparatus: relinquamus itaque nubem qui solem quærimus, deseramus fumum qui lucem sequimur, abnegemus mundum sicut nos erudit gratia Salvatoris nostri. abnegemus sæcularia desideria, concupiscentiam carnis, concupiscentiam oculorum & superbiam vitæ; ut per mundi eiusque desideriorum contemptum ad regna cælestia duce & auspice Christo pertingamus.

Aliud motivũ gloria cælestis.

Tertium motivum status & habitus religionis.





CARNIS
MORTIFICATIO.

EVangelium hodiernum plenum eſt myſterijs. Non enim fruſtra memoratur fatigatus ex itinere Jesus ad puteum Jacob reſediſſe famelicus ac ſitibundus. Singula hîc comprehenſa indicare nobis volunt aliquid. Quid autem illud? & fatigium Salvatoris noſtri, & eſuries ſitiſque eiuſdem & vocabulum Jacob quod luctatorem ſonat mortificationem Chriſti loquuntur. Fecit quod faciendum admonet magiſter noſter & nos exemplo ſuo ad carnis invitat macerationem.

Hæc porro, actus eſt temperantiæ, nobiliſſimæ virtutis ad moderationem ac refrænationem concupiſcentiarum & delectationum ſenſualium inclinantis. Materia proinde ut temperantiæ ita & mortificationis ſunt corporeæ delectationes, nec quæcunque illæ, ſed maximæ & quibus non dantur vehementiores. Sicut enim fortitudo eſt circa timores atque audacias maximorum malorum quibus natura extinguitur & hæc ſunt pericula mortis; ita temperantia oportet quòd ſit circa concupiſcentias maximarum delectationum. Et quia delectatio conſequitur operationem naturalem, tanto aliquæ delectationes ſunt maiores, quanto magis naturalibus actionibus annectuntur; maximè autem convenientes naturæ animalium actiones ſunt ſumptio eſcæ potuſvè, quia per hanc individuum conſervatur: & coniunctio maris ac fæminæ, quia per hanc ſpecies ipſa perennat. Atque idcirco temperantia potiſſimùm verſatur circa delectationes ciborum potuumque necnon circa voluptates venereas refrænandas. Et hæc ipſa refrænatio vocatur à magiſtris ſpiritualibus carnis mortificatio.

S. Thom: 2, 2. q. 141. art: 4.

Hoc quaſi veſtibulo ſermonis præmiſſo Apoſtolum exhortatorem adduco qui ad Coloſenſes tertio ait: *Mortificate membra veſtra quæ ſunt ſuper terram*, ubi per membra concupiſcentiā intelligit Doctor Angelicus. Quid verò eſt quod dicit, *mortificate?* idem eſt ac ſi diceret: Appetitum veſtrū ſenſitivum ita tractate ut non prævaleat rationi, ut fractus debilitatuſq; ſuum non poſſit explicare robur, ut planè mortuus videatur. At quæſo cui bono! & quam ob cauſam ingenitas nobis appetitiones ſic hoſtiliter tractare debemus?

Regina Heſter interpellavit aliquando Aſſuerum: *Obſecro dona mihi animam meam pro qua rogo*. Obſtupuit Aſſuerus ſtatimque popoſcit quis eſſet & cuius potentiæ qui Reginam auderet perſequi mortemque eius quæreret. *Hoſtis*, reponit illa, *& inimicus noſter peſſimus iſte eſt*, qui nobiſcum convivatur, Aman. Ad quæ verba excandeſcens Rex, illico in ſublimi furca Amanum ſuſpendi præcepit. Aman juxta nominis ſui interpretationem conturbatorem ſignificat, ut optimè carnem noſtram ſeu appetitum deſignet ſenſitivum qui continuò turbat regnum animæ noſtræ, turbat potentias interiores ut propterea mare quoddam procelloſum continuis jactatum fluctibus mens noſtra vocari debeat. Hoc

auctore jam irascimur, jam placamur: modò tripudiamus, modo tristamur: ira ubi quievit, timor insurgit: amorem odium subsequitur: deniq; in uno eodemque homine diversa animorum facies sola concupiscentia duce. Hic itaque Aman hostis est & inimicus noster pessimus. Intestinos motus ac bella jugiter in nobis concitat, reginam rationem vult opprimere, vult de solio regali deturbare imò occidere; reginam, cum ipse sit servus & emptitius; reginam, cum ipse sit fimeti inquilinus. Digno itaque plectendus supplicio: suspendatur in patibulo sed patibulo mortificationis. Decretum hoc contra ipsum tulit Princeps Regum terræ atque per suum præconem Apostolum promulgavit: Crucifigatur cum vitijs & concupiscentijs.

Appellavi rationem reginam, jam Regem appellabo; nec abs re quidem, cum sexûs nesciat diversitatem. In profanis historijs proditum est quòd Semiramis regij vernaculi ancillula in connubiale regis Nini consortium adscita, petijt à marito ut unico saltem die plenissimam regnandi indulgere sibi facultatem dignaretur. Indulsit ille nullum subodoratus dolum. Ecce verò nequissima mulier primùm quidem leviora mandat, mox graviora præcipit, tandem regem ipsum comprehendi jubet, vinciri, interfici; comprehensus, vinctus, interfectus. Sicque ex diurno diuturnum principatum maritali sanguine quæsitum possedit. Ancilla est caro nostra quam rex animus in societatem vitæ sibi adscivit & arctissimo nexu copulavit. Heu me quoties hæc Regi insidiatur, quoties satellites suos hoc est voluptates conspirare facit in necem eiusdem, quoties funibus constringit peccatorum, quoties denique adimit vitam gratiæ. Sapientis igitur est blanditias istius Semiramidis respuere imò & prævenire occisuram. Crucifigatur cum vitijs & concupiscentijs suis. Crudeles nos ne putemus exinde: crudelitas ista, pietas est. *Qui Christi sunt*, ait Apostolus, *carnem suam cum vitijs & concupiscentijs crucifixerunt*. Quod dicit istius modi est: Qui carnem suam ita macerant ut non possit ad quidquam rationi legique Divinæ contrarium se movere, sicut cruci affixus neque manus neq; pedes neque aliam corporis structuram movere potest, hi discipuli sunt Christi, Christi milites sunt, Christi corpori inserti sunt. Igitur, inferre licet, qui non macerant non crucifigunt carnem suam, sed perditè nutriunt, poliunt, fovent, & quasi victimam saginant, diaboli sunt: membra sunt dæmonis cum eodem in inferno arsura. *Difficile*, verba recito D. Hieronymi, *imò impossibile est ut & præsentibus quis & futuris fruatur bonis, ut & hic ventrem & ibi mentem impleat, ut de delicijs transeat ad delicias*. Qui in vita sua cum Epulone recipit bona sepelietur in inferno: qui mala cum Lazaro, in sinum Abrahæ per Angelos deportabitur. *Ad Iulianum.*

Necessitatem mortificationis carnis non tantùm scripturarum paginæ, sed & crebra pericula, imò quotidianæ ruinæ ex carne provenientes clamant. *Piget dicere*, exclamat memoratus Doctor, *quot quotidie Virgines ruant, quantas de suo gremio Mater perdat Ecclesia, super quæ sidera inimicus superbus ponat thronum suum?* ubi sub nomine Virginum uterque sexus comprehenditur. Quis non tostus in sartagine in qua rex Babylonius senes sceleratos frixit? quis fornacem Nabuchodonosor sine adustione ingressus? cuius adolescentis Ægyptia Domina pallium non tenuit? Urimur ah omnes & cæco carpimur igni! *Infelix* *Ad Eustochiū.*

 libido

S. August: de honestate. *libido malleus est universæ terræ qui quidem post adventum Christi per universa Monasteria Monachorum, & clericos vel etiam laicos castitatem servantes quasi confractus videtur: tamen multo plures sunt, qui ab hoc malleo quotidie confringuntur quàm illi, qui de ruina collisionis illius liberantur.* Tam frequentis porro lapsus & collisionis causa est, quia in nobis ipsis gerimus unde certamina toleramus. Gerimus in nobis fomitem & hunc vivacissimum qui in carne relictus ita cum carne vires accipit ut si paulò liberius pasta sit ipsa caro, sartago fomitis amplius incendatur. Contra hoc ingenitum nobis malorum incentivum, quasi vim patiens vociferatur Apostolus: *video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ*, ideoque ait, *castigo corpus meum & in servitutem redigo.* Tanta est potentia, tanta vivacitas stimuli carnalis ut etiam inter pallores squaloresque jejuniorum inter flagella & supplicia titillet, quid faciet in carne dapibus ac mero inflammata? quid faciet in corpore molliter ac delicate nutrito? Si vas electionis & vir segregatus in Evangelium Christi macerabat corpus suum ac servituti subijciebat & tamen cernebat naturalem ardorem suæ repugnare sententiæ: tune securus eris, confidesque te transire posse absque lapsu & vulnere qui diligentius indulges corpori? Hieronymo Hilarioni alijsque sanctis lurida pallebant ob inediam ora & nihilominus mens cogitationibus æstuabat ut verum sit illud gentilis Poëtæ: *Naturam pellas furca tamen usque recurret.* Nimirum, quod ait Stridonensis Orator, *libido insita à Deo ob liberorum procreationem quadam lege naturæ gestit in coitum erumpere.* Quo igitur pacto victoriam & securitatem nos audebimus polliceri nobis, qui in cute curanda plus æquo operosi sumus?

Pannon: in expositione regul:

Respondebitis. Si per abstinentias variosque rigores sancti Dei non poterant reprimere aculeum carnis, quid ergo nos in vanum laboremus? Minimè verò in vanum laborabimus. Non enim dico nihil prorsus proficere afflictiones corporales adversus legem in membris nostris manentem, sed quòd tantarum sit lex ista virium ut etiam inter famem sitimque aliasve sentiatur asperitates. Aliud est titillari, aliud obrui voluptatibus. In mortificata carne scintilla libidinis sublucens nititur quidem reviviscere, incendium tamen non potest suscitare, & quasi ignis in viridibus lignis suffocatur: in virente vigenteque corpore libidinum incendia bulliunt.

Et hæc quidem suffecerant nobis exstimulandis ad macerationem corporis: ut tamen multiplici nomine tituloque in eandem trahamur, è re multum erit nedum temperantiæ virtutis cardinalis dignitatem ac pulchritudinem, sed etiam intemperantiæ ac immortificationis pensare indignitatem & deformitatem. Nimirum intemperantia puerile vitium est propter similitudinem sui cum pueris. primò quidem, quia & puer & concupiscentia effrænis, ad rationis legem non attendunt: secundò, quia sicut puer si suæ relinquatur voluntati crescit in petulantia sic & appetitus sensualis postquam ei satisfeceris, maius robur accipit: tertio, quia quemadmodum sceptra pædagogorum, virgas ferulas scuticasque intelligo, puerilem compescunt insolentiam, emendaturque puer per hoc quòd verbis ac verberibus ubereque virgindemiâ coercetur: ita pariter appetentia sensitiva reducitur ad debitum honestatis modum dum ei resistitur. Accedit quod irrefrænatio appetitionum nostrarum maximè sit expro-

Intemperantia vitium puerile.

Vide S. Thom:

ſit exprobrabile crimen & ſummè dehoneſtet hominem cum inſigniter adverſetur excellentiæ humanæ eas ſectando delectationes quæ nobis & brutis ſunt communes & in quibus minimum quid apparet de lumine rationis à quo tota pendet claritas ac pulchritudo hominis.

Sed & vivas temperantiæ ac mortificationis imagines juvat intueri ut ex aſpectu ad ſimile ſtudium inflammemur. Neque hîc ego volo in theatrum ſermonis inducere antiquos Monachos, qui etiam languentes aquâ frigidâ utebantur & coctum aliquid accepiſſe luxuriam ducebant. Nolo aboriginum noſtrorum longum texere cathalogum de quibus ſtupenda potiùs quàm ſequenda voluntariæ macerationis narrantur exempla. Certè Virgo ipſa Beatiſſima abſque inſigni jugique corporis ſui ſacratiſſimi mortificatione non fuit, uti ipſamet teſte Divo Bonaventura cuidam piæ Virgini revelavit in hæc verba: *Dico tibi filia, quòd nullam gratiam donum vel virtutem habui à DEO ſine magno labore, continua oratione, ardenti deſiderio, profunda devotione, multis lachrymis & multa afflictione corporis.* Adiecitque: *Pro firmo ſcias quòd nulla gratia deſcendat in animam niſi per orationem & corporis afflictionem.* Christus Dominus cuius vita morum noſtrorum diſciplina, inedia, ſiti inſomnijs, itineribus, laboribus carnem ſuam theandriſatam macerabat nos ad imitationem ſui provocando, ad extremum patibulo crucis eandem acclavari paſſus ut nos quoque carnem noſtram cum vitijs & concupiſcentijs, juxta quod ſuperius dixi, crucifigamus.

Nulla gratia obtinetur à Deo niſi per orationem & mortificationem.

Tacita forſan cogitatione me quiſpiam reprehendet delicatumque vocabit magiſtrum eò quod pleno ventre de jejunijs diſputem. Cui ego. non legiſti: *Quæcunque dixerint vobis facite, opera autem eorum nolite facere.* Et Athletæ ſuis incitatoribus fortiores ſunt & tamen monet debilior ut pugnet ille qui fortior eſt.

Nemo, inquies, *carnem ſuam odio habuit ſed nutrit & fovet eam.* Nec ego volo ita eam odio habeas ut eneces ut civem interficias ipſe tuum. Non mortem ſed mortificationem ſuadeo. Nolo ita aſſumas macerationem ut abijcias diſcretionem. Omnino domanda caro jejunijs, abſtinentiâ eſcæ & potus, ſed duntaxat quantùm valetudo permittit. Regula juxta quam temperantia ſervanda ſit, neceſſitas eſt vitæ præſentis. Omnia enim quæcunque uſibus noſtris deſerviunt, ad neceſſitatem velut ad finem referuntur. Adiumenta noſtris neceſſitatibus ſunt iumenta: volucres cæli & piſces maris & fructus terræ ad reficiendum nobis impenſi: medicinæ de terra propter ſingulas corruptelas creatæ: denique nihil eſt in mundo quod neceſſitati noſtræ non famuletur. Hæc autem duplex ſtatuitur, alia abſoluta qua aliquid ita neceſſarium ut ſine illo res nequeat ſubſiſtere, qualiter cibus animali neceſſarius; aliâ convenientiæ qua aliquid ita neceſſarium ut ſine eo commodè & convenienter res non poſſit eſſe. Utramque reſpicit moderatio appetitionum noſtrarum non tantum ſcilicet attendens quid corpori ſed etiam quid officijs, facultatibus, & vel maximè honeſtati expediat. Quocirca Philoſophus in 3tiò Ethicorum ait, temperatum in delectationibus quibus utitur non ſolum conſiderare ut non ſint impeditivæ ſanitatis ac habitudinis corporalis ſed etiam ut non ſint præter bonum hoc eſt contra honeſtatem.

Regula temperantiæ & mortificationis eſt neceſſitas vitæ præſentis.

Et honeſtas.

Moderatricis impetuum corporis noſtri virtutis eſt præter cohibi-

S. Th: ubi sup: tionem appetitûs ne indebitè feratur in bona delectabilia, etiam eundem firmare ne refugiat mala asperitatesque corpori molestas. Hactenus de mortificatione carnis inquantum bona corporalia immoderate & incongrue prosequentis egi: superest ut eandem in quantum abhorret mala sensibilia, mortificemus. Huc spectant chaumeniæ seu duræ dormitiones, huc orationes flexo poplite prolixiores, huc asperius indumentum, cilicia, disciplinæ, huc item visitatio altarium ad indulgentias stationum lucrandas. Aræ sacræ sepulchra sunt martyrum propter reliquias cineresq; Sanctorum in ijs reconditos & quasi insepultos. Quare sicut in primitiva Ecclesia ad tumulos martyrum orabant fideles, ita & nos dum altaria visitamus. Honoramus reliquias martyrum, ut eum cuius sunt martyres adoremus; ut honor servorum redundet in Dominum. Honoramus pro Christi nomine exceptas cicatrices. Honoramus sacratos per confessionem Domini cineres. Honoramus in cineribus semina æternitatis. Hæc idcirco strictim protuli ut inter alias carnis aspera semper refugientis afflictiones istam quoque non negligamus. Non pigeat ad illud convolare officium ad quod tanto ardore confluebant fideles, & quod copioso indulgentiarum thesauro ac demum mercede cælesti præmiatur. Non pudeat ante eos curvare genua quibus coronata capita profundissimè inclinantur.

Temperantiæ & mortificationis duplex officium.

Stationes cōmendantur.

S. Ambrosius.

Ista omnia quasi per pulcherrima scripturarum prata discurrens in unum locum congregare volui & velut lectissimam ex speciosis scripturarum & sententiarum floribus coronam mortificationis texere capiti imò corpori nostro circumponendam. Ut verò labilitati memoriæ prospiciam, binis universa dicta includo voculis, in quibus tota stat summa mortificationis: *Sustine & abstine.* Abstine ab his ad quorum immoderatum & effrænem usum solicitat appetitus. Sustine ea quæ horret. *Perfer & obdura labor hic tibi proderit olim.* Caro quidem concupiscit quæ carnis sunt & quibusdam illecebris ad mortiferas animam trahit voluptates, sed nostrum est voluptatis ardorem maiore Christi amore restinguere & lasciviens jumentum frænis inediæ subjugare ut non libidinem, sed cibos quærat sessoremque suum Spiritum Sanctum moderato ac composito portet incessu. Sic fiet quod penes abyssum divinitatis velut profundissimum puteum æterna requie residebimus castarum ubertate deliciarum exinde perenniter inebriandi.

S. Hieron: ad Salvinam.

PASSIONVM
MORTIFICATIO.

DOrmientem somno mortis Lazarum jamque quatridui labente spatio sanie fætentem resuscitaturus Dominus infremuit spiritu & turbavit semetipsum ut hodierna sacri Evangelij testatur lectio. Cur infremuit, cur turbavit semetipsum? Num difficilius erat ipsi Lazarum à mortuis suscitare quatriduanum quàm recens defunctam puellam. Minimè verò. Qui eadem facilitate cælorum Orbes ac cælestium spirituum

tuum ordines qua muſcas, formicas culices aliaque minuta animalia, magis de corpore quam de nomine nobis nota creavit; idem eadem facilitate Lazarum quatriduanum qua nunc primùm extinctam virginem vitæ reſtituit. Quid igitur indicat motus iſte exoticus & Chriſto inuſitatus? Scio Redemptorem noſtrum in humanis actibus Divina geſſiſſe myſteria & in rebus viſibilibus inviſibilia exercuiſſe negotia omnique motu ac geſtu ſuo docuiſſe quid credere & quomodo vitam componere debeamus. Turbavit itaque ſemetipſum Dominus ut veram humanitatis naturam ſe induiſſe monſtraret, inſuper ut nos monitos redderet quatenus affectiones humanas rationis gubernio ſubijcere adnitamur quemadmodum ipſe ſuæ poteſtati omnimode ſubiectas tenuit. *Habemus nos* ait Aug: de Civit: Dei 14. cap: 9. *humanas affectiones ex infirmitate conditionis humanæ non autem ſic Dominus* IESUS. *cuius & infirmitas fuit ex poteſtate.* Textum quoque prætactum hodierni Evangelij exponens: *Turbaris,* inquit, *tu nolens. turbatus eſt Chriſtus, quia voluit. In illius poteſtate erat ſic vel ſic affici vel non affici.* Plura hìc congererem Sanctorum Patrum teſtimonia contra Calvinum quaſi Chriſtus æquè paſſionibus ſubiectus eſſet ac cæteri homines blaſphemantem; ſed mei non eſt propoſiti hæreſes nunc confutare at mores inſtruere. Sufficit mihi imò in eo totus in præſentiarum ſum ut quod Salvator habuit ex poteſtate, hoc ex virtute habere curandum ſuadeam, ſcilicet ut motus animi noſtri, rationis moderamini ſubigere ſtudeamus.

Motus animi, græci pathos, noſtri autem, ſicut Cicero perturbationes: quidam affectiones vel affectus: quidam verò expreſſiùs paſſiones vocant. Hæ porrò preſſè & in ſtricta ſignificatione receptionem important quæ fit cum abiectione alterius atque idcirco nunquam contingunt niſi ſecundùm tranſmutationem corporalem ut proinde animæ non cōveniant niſi accidentariè in quantum nimirum integrum compoſitum patitur. Quando tamen huiuſmodi tranſmutatio fit in deterius, magis ſibi vocabulum remq; paſſionis vendicat quàm quando in melius. Unde triſtitia appropriatiùs paſſio eſt quàm lætitia, timor quam audacia. Receptaculum earum appetitus iſque ſenſitivus eſt qui cum geminus ſit concupiſcibilis & iraſcibilis, uterque proprias ſibi accenſet affectiones. Enimverò quæcunque irreſtrictè reſpiciunt bonum vel malum ſenſibile, pertinent ad concupiſcibilem ut gaudium, triſtitia, amor, odium, concupiſcentia & oppoſita ei paſſio innominata habens ſe ad malum eo modo quo concupiſcentia ad bonum: quæ verò reſpiciunt bonum vel malum ſenſibile quatenus arduum eſt & quod nonniſi cum difficultate acquiri aut vitari queat. ad iraſcibilem referuntur ut audacia timor ſpes deſperatio ira. & hæc nullum habet contrarium niſi ceſſationem à motu. Quare undecim paſſiones, ſi & innominatam comprehendas, numerantur. Hæc ex diſciplinis moralibus prætexenda duxi ut prænotitia affectionum noſtrarum nos ad earum frænationem diſponat.

S. Aug: lib: 9. de Civit: Dei

Natura, ſubiectum, diviſio & numerus paſſionū.

Binam potiſſimùm in Scripturis paſſionum noſtrarum ad res alias invenio aſſimilationem. Primam eruo ex illo ſcripturiſtico textu: *Et ecce motus magnus factus eſt in mari ita ut navicula operiretur fluctibus.* Motus iſte magnus à ventis excitatus eſt. Myſtico ſenſu paſſiones venti ſunt in procelloſo mundi pelago naviculam noſtram agitantes & nunc ſurſum nunc deorſum jactantes. Et rectè quidem paſſionibus nomen ac

Paſſiones vētis comparāntur.

proprietates ventorum attribueris. Quatuor hi ſunt ſi principales recenſeas: quatuor etiam primores paſſiones ſupputantur. Abſque ventis nequit eſſe mundus: & microſmos abſque paſſionibus. Potentiſſima vis ineſt ventis ut annoſas quercus altiſſimis firmatas in terra radicibus, turres domoſque perennitatem pollicentes, quidquid demum validi firmique eſt impulſu ſuo abſque mora deijciant: paſſiones quoque etiam conſtantiſſimum & ſolidiſſimum à recto propoſito dimovere valent animum & ad terram hoc eſt ad terrena negotia proſternere. Denique quod à ventis elementaribus periculum, idem à ſpiritualibus imò maius; cum ab his & animæ & corporis mors immineat. Animæ quidem: quia ſi ſint præter ordinem rationis, inclinant ad peccatum. Occidit animā amor, occidit odium, occidit concupiſcentia, delectatio & triſtitia, ſpes & deſperatio, timor, audacia atque ira. Omnia iſta animæ exitium afferunt niſi mortificentur. Teſtimonium in ſcripturis, ſcrutari ſuper hac re non expedit. Satis ſuperque eſt quod cuncta hæc vocentur morbi & perturbationes animæ juxta D. Auguſtinum de Civit: DEI, (quod intelligendum de paſſionibus abſque rationis moderamine debachantibus) ex morbis autem ac perturbationibus mors conſequitur & quò maior morbus eò velociorem generat interitum. Corporis item corruptionem imminere ab affectionibus perſpicuum eſt. Genuinus namque ipſarum effectus corpus alterare, ſicut ventorum commovere turbareque liquidum elementum. Iſtam porro alterationem, vitæ noſtræ perniciosam eſſe experimur, non æqualiter tamen omnibus ad perniciem hanc concurrentibus paſſionibus ſed alijs minùs alijs magis. Cum enim duplices ſint, ſcilicet proſecutivæ boni & declinativæ mali: priores non nocent ſecundum naturam ſuam valetudini, nocent tamen aut nocere poſſunt ſecundum exceſſum, quia non repugnant motui à corde in alia membra ſeſe diffundenti per quem omne vivit animal, quanquam ipſum adaugent ultra convenientem bonæ habitudini menſuram: at verò poſteriores vitali motioni adverſantur non modò quantum ad menſuram verùm etiam, quantum ad ſpeciem motus, hoc eſt non ſolum ultra præfinitam ac congruentem naturæ menſionem plures vitali motui addunt aut detrahunt gradus ſed planè ipſum impediunt & tollunt ac propterea ſimpliciter ſemperque noxiæ ſunt. Talis eſt timor & deſperatio, talis & præcipuo quidem nomine triſtitia quæ videlicet aggravat animum ex malo præſenti cuius fortior impreſſio quàm futuri: qui nimò metus ipſe, (ſicut & ira) non aliunde nocentiſſimus homini quam ex permiſtione triſtitiæ propter abſentiam eius quod cupitur. Claret itaque à mæſtitia alijſque exitialibus paſſionum flatibus mortem animæ & corporis feſtinare.

1.2. q. 24. ar: 2. ad 3tium.

Alteram in ſacris literis paſſionum noſtrarum comparationem invenio per quam conferuntur ferocibus equis. *Poſuit me currus Aminadab* Cant: 6. Quod commento ſuo morali ediſſerens D. Gregorius ait: *Rector noſter Chriſtus eſt, anima currus. Si currus eſt, habet equos bonos & malos: boni virtutes ſunt; mali, paſſiones.* Aminadab vel juxta lectionem Pannonij *Hammi Nadib* ſonat populi principem, eo videlicet myſterio quòd ſimus cantherium Chriſti Domini, qui eſt princeps totius Eccleſiæ. Gradarij rhedæ ſeu cantherij iſtius hoc eſt paſſiones niſi fræno rationis domentur ad præcipitium & colliſionem animamque corpuſque

Item equis.

pusque deducent. Profectò equi sunt passiones. Sicut namque hi trahunt essedum aut aliud quodvis vehiculum ita passiones animam. Nam si fides Doctori Angelico, *passionis nomine importatur quod patiens trahatur ad id quod est agentis*. Ecclesia igitur de semetipsa occinit: *Posuit me Dominus sicut currus Aminadab*, id est fideles singulos qui in me computantur, fecit quasi petorita & pilenta quædam quorum gubernium sit penes rationem vel Christum populi electi principem. Felix currus quisquis hoc auriga regitur: felix quisquis huic rectori suos committit flectendos succussores. E contra & rotæ & manni præcipitio lacerabuntur si rectorem è sua sede excusserint. Suus eos occidet impetus, covinumque hinc inde raptatum distrahet ac discerpet.

Et hoc ipsum est quod nos fortiter urget ad mortificationem affectuum. Amor enim vitæ vel maximus creditur stimulus ad prosecutionem eorum quæ conferunt ad vitam & ad fugam noxiorum. At ultra id motivum alia insuper occurrunt quæ nos ad eiusmodi impellant mortificationem. Nimirum hæc pacem interiorem, quæ est peculiaris beatitudo viæ, operatur Augustino teste pacificos illos dicente qui omnes animi sui motus componentes & rationi subijcientes fiunt Regnum Dei. *Inductiva ad passiones mortificandas.*

Deinde initium & fundamentum perfectioris ac sanctioris vitæ est cognitio nostri ut Theologis ac spiritualibus magistris conclusum; hanc autem in turbulentia passionum habere nequimus. Rectè quidam magister spiritus: *Quemadmodum*, inquit, *in aqua limpida omnia obiecta videntur usq; ad arenam minutissimam quæ in fundo est, quod in turbida fieri non potest; sic anima nostra liquido cognoscit quid in se habeat cùm quieta & serena est, si autem motus passionum eam obscurent atq; turbent, neq; se neq; quid aliud videre potest.* Equidem in aqua quieta potest quivis seipsum velut in speculo aut clariùs tueri secundum illud Poëtæ: *Nuper me in littore vidi cum placidum ventis staret mare;* ast ubi aqua ventis commota, ubi terra pontusque commixtus, nec se nec quidpiam in aquis videre queas. Idem & in nobis ipsis contingit quando passionibus commovemur. Obfuscant & obscurant lumen rationis in nobis, donum intellectus ligant impediuntque, ut non possimus bona supernaturalia imò & naturalia dignoscere, nec sit nobis in promptu judicare: *Quæq; sequenda forent & quæ vitanda vicissim.* *Ludovic9 Granaten.*

Nobilitas præterea virtutis qua imperante reguntur passiones, insignis est languentium licet animorum ad coercendas easdem incitatio. Quanquam enimverò moderatio singularum ad singulas spectet virtutes morales ut concupiscentiæ ad temperantiam, timoris ad fortitudinem, iræ ad mansuetudinem: attamen generaliter loquendo omnibus omnino magnanimitas frænum inijcit. Nimirum juxta inclytum Oratorem lib: 1. de officijs *magnanimi est neq; perturbationi animi neq; homini neq; fortunæ subjacere.* Authoritati accedit ratio. Passiones namque si fiant præter ordinem rationis, non leviter dedecorant ac dehonestant hominem & in belluinam deformi metamorphosi transmutant speciem per effrænem libidinem in hircos porcos & equos, per iram in ursos ac leones, per meticulositatem ac tristitiam in lepores humanæ convertendo dignitatem naturæ: qua dehonoratione nulla maior excogitari valet. Hanc autem præcavet atque avertit magnitudo animi: cuius nimirum

officij eſt honorem intendere quærere & tueri atque humanæ maieſtatem rationis in ſuo culmine conſervare.

Remedia generalia adverſus paſsiones.

Paſſionibus domandis & in univerſali & in particulari varios Magiſtri ſpirituales præſcribunt modos. Ego univerſim contra cũctos appetitûs ſenſitivi motus corporalem tranſmutationem inducentes, fugam amoris inordinati ſuadeo. Ex hoc namque omnes aliæ naſcuntur affectiones. Siquidem qui amat aliquid, in concupiſcentiam quæ eſt appetitus boni delectabilis exardeſcit, aſſurgit in ſpem boni quantumvis ardui, ſpirat tragicum ſatis & quidlibet audet ut deſideratis potiatur, iraſcitur ac vehementer triſtatur ſi rem quæſitam obtinere nequeat. Denique amor cunctorum fons eſt & origo affectuum. Fugam item otij ſuadeo. *In deſiderijs eſt omnis otioſus*, ait Eccleſiaſtes. Et Satyricus: *Si non intendas animum ſtudijs & rebus honeſtis, Invidia vel amore vigil torquebere.* Inſuper generaliſſimum æquè ac præſentiſſimum contra omnes animi ægritudines remedium probatur fuga cogitationum malarum. Abbatem Siſoi frater quidam interrogavit: Quare non recedunt à me paſſiones? Reſpondit Abbas, quia vaſa earundem intra te manent. Ænigmatica reſponſio iſta non facilem habet intelligentiam. Credo ego quòd vaſa paſſionum ſint cogitationes & apprehenſiones. Sicut enim liquor in urceo ita paſſio ſervatur in cogitatione. Cur ira diu efferueſcit? quia cogitatio injuriæ retinetur. Cur concupiſcentia calet? quia boni delectabilis apprehenſio fovetur. Cur ingraveſcit triſtitia? quia præſentis meditatio mali non abijcitur. Vaſa hæc cum vario ſapore portabat aliquando dæmon, Macario Abbati in lacerna foraminibus plena ex quibus pixides variæ varijs impletæ ſyrupis penderent viſus, quærentique cur tot narthecia deferret, ad guſtandum, inquiebat, fero fratribus in Eremo commorantibus: idcirco autem plura porto, ut ſi non placuerit una promulſis, porrigam aliam atque aliam donec occurrat placitura. Cogitationes ſignabantur malæ in quibus multiplicem guſtum ſervis Dei propinabat Acheronteus pharmacopola dum his quidem laſciviam, illis blaſphemiam, alijs torporem alijs alia vitia & affectiones in malignis cogitationibus ceu in quibuſdam offerebat poculis. Vaſa ergo hæc abijcienda, mens alio avocanda ut paſſiones evaneſcant.

Alia ad duplices perturbationes accommodata.

At ſecundùm duplicem perturbationum claſſem duplex itidem generale propono antidotum. *Triſtatur quis*, ait Jacobus in ſua Canonica, *oret: æquo animo eſt, pſallat*. Perturbationes animi alias dixi quæ fiunt cum proſecutione boni, alias quæ fiunt cum fuga mali: hæ ſub triſtitia comprehendi poſſunt, cùm revera omnes ex permiſtione mæroris in amaritudine exuberent; illæ ſub æquo animo, utpote naturæ & motioni vitali convenientes. In triſtitia igitur & ſimilibus orandum eſt: in cæteris pſallendum. In vitis Patrum Palladio & Rufino authoribus habetur quòd mulier quædam magicis artibus in equam verſa viſa fuerit, ſed demum à S. Macario Ægyptio oratione ac oleo benedicto à faſcinatione illa quam ob peccatum contraxerat, liberata. Si paſſionibus ducimur, tantum abeſt ut ab equis diſcrepemus ut potiùs eis ſimillimi reddamur perſonas aut veriùs formas belluinas ex vitio noſtro nobis ſuperinducentes in diſpendium ac præjudicium imaginis ac ſimilitudinis Divinæ ad quam conditi ſumus. Niſi oratio & oleum lætitiæ ſpiritualis

ritualis ſuccurrat, à fuco turpis alienæ ſimilitudinis ad veritatem nativæ formæ non reducemur.

Mala, quo plura eis remedia adhibueris eò ſanantur facilius. Itaq; contra affectiones cum fuga, utpote extremè nocivas non piget ampliores medendi monſtrare vias. D. Thomas tractans de paſſionibus in particulari & quærens an per fletum minuatur triſtitia, ſic ait: *Omne nocivum interius clauſum magis affligit, quia magis multiplicatur intentio animæ circa ipſum. Sed quando ad exteriora diffunditur tunc animæ intentio ad exteriora quodammodo diſgregatur & ſic interior dolor minuitur & propter hoc quando homines qui ſunt in triſtitijs, exteriùs ſuam triſtitiam manifeſtant vel fletu, vel gemitu, vel etiam verbo, mitigatur eorum triſtitia.* Doctrinam hanc Angelici Doctoris ad alias quoque paſſiones admiſtam ſibi mæſtitiam habentes trahere poſſis ut ad timorem ad deſperationem ad iram. Omnes enim hæ intus clauſæ, magis affligunt; ſi prodantur, minuuntur. Mitigatur quoque triſtitia per quamcunque delectationem. Hæc enimvero ita ſe habet ad triſtitiam ſicut in corporibus habet ſe quies ad fatigationem. Sicut ergò laſſas fatigio corporeas vires reparat ſomnus ita anguſtiato ſpiritui medetur delectatio. Cumque in contemplatione veritatis ac bonorum operum exercitio, potiſſima ſentiatur voluptas, ſi veritatis æternæ contemplatores ſimus ſtudioſi & bonarum actionum exercitatores operoſi, ſuaviſſimè cor noſtrū in gaudio requieſcet. Species triſtitiæ (ne quid omittam quod ad complementum materiæ præſentis deſideretur) ſunt acedia, achos ſeu anxietas, miſericordia & invidia zelum ac nemeſim ſub ſe complectens. Ex his vel maximè anxietas premit animum ita quidem ut nullum permittat miſero refugium, nullum ſolamen. Sine cauſa plerumque affligit hominem, dum ob quamcunque obreptitiam & cui deliberata non adhæſit ratio cogitationem turbatur homo, angitur, ſeſeque gratis emaciat. Multi equidem ſunt qui ėſto contrà dictamina DEI nihil in animo concluſerint, jam tamen ſe in beſtias degeneraſſe credunt, ſi vel ex dæmonis impreſſione vel ex infirmitate naturæ vel ex volubilitate phantaſiæ aliquid in mentem eorum perverſi irrepſerit. Oleo ſpiritualis lætitiæ abigenda alijſque ſpecificatis medelis curanda hæc faſcinatio. *Dum ſtulti vitant vitia in contraria currunt.* Certè ſtultum eſt ita ad ſuggeſtionem aliquam cavere conſenſum, ut nimia anxietate teipſum conficias, ut triſtitià tabeſcas, ut antequam pecces, jam te peccaſſe arbitreris.

Contra ſcrupulos.

Horatius.

Impoſſibile, inquies cum Hieronymo ad Salvinam, *perturbationum initijs carere eo quòd in meditullio noſtrûm incentiva vitiorum habeamus proclivriuſq; ſit cor hominis à pueritia ad malum & inter opera carnis ac ſpiritus, quæ Apoſtolus recenſet, media anima fluctuet nunc hæc nunc illa cupiens.* Veritati huic nunquam contradixi nec contradico. Non ſum tam demens ut cum Pelagio velim apathiam id eſt imperturbabilitatem tenere. Hoc ſolum contendo, perturbationes ubi primùm advertuntur debere rationi ſubigi ut bonitatem moralem exinde nanciſcantur, aliàs malitiam habituræ dum ratio advertit eas ebullire nec tamen reprimere curat. Nimirum propinquior eſt appetitus ſenſitivus judicio & voluntati quàm exteriora membra quorum tamen motus & actus regulantur à ratione atque idcirco boni ſunt moraliter: mali autem ſi

tem si non regulentur. multo itaque magis appetitus in suis motibus ordinandus moderandusque à principe ac nobilissima animæ facultate.

Igitur ut finem verbis faciam, non permittamus passiones peccatorũ regnare in mortali nostro corpore, servitutis ac subiectionis suæ nunquam excedant terminos. Non simus naves quæ omni vento affectuum circumferuntur. Caveamus ne passionum spiritus invalescat & vehementior factus conterat carinas animarum nostrarum? quodsi incipiamus operiri fluctibus quodsi venti motuum interiorum nos mergant, auxilium Divinum invocemus: *Domine salva nos, perimus.* Oremus cum Augustino: *Dulcis Christe bone* IESU *veni & ingredere super fluctus cordis mei ut tranquilla & serena fiant omnia mea quatenus unum bonum meum amplectar te & dulce lumen oculorum meorum contempler te sine tumultuantium cogitationum cæca caligine.* Excitemus nos ad eiusmodi precationes illo poëtico:

O Navis referent in mare te novi
Horat. *Fluctus! o quid agis! fortiter occupa Portum.*

Portum videlicet Orationis ac invocationis Divini adjutorij. Teneamus in fræno feroces bestias nec unquam petulcis effundamus habenas ne in præcipitium cum illis veniamus, ne cum curribus & equis Pharaonis mergamur in æstuante inferni Oceano. Frænum quidam pinxit adiecta tesserâ: *vigilijs & moderatione.* Scilicet passionibus compescendis nullum frænum melius fortiusvè esse potest quàm vigil moderatio. *Animum rege,* inquit Satyricus, *qui nisi paret. Imperat, hunc frænis hunc tu compesce catena.* Huic si obsecundaverimus doctrinæ non jam turbabunt nos passiones sed ipsi ad instar Salvatoris turbabimus nosmetipsos secundum exigentiam salutis nostræ aut alienæ, moderatè affectibus nostris utentes: quod nobis concedat Christus Dominus cui honor & gloria cum Patre & Spiritu S. in sæcula sæculorum.

TIMOR
DOMINI.

SAnctum DEI Evangelium imminentis Dominicæ res nimium formidabiles comprehendit. Abominationem desolationis scriptam in Daniele Propheta, fugam habitatorum Judææ, tribulationem talem qualis non fuit ab initio mundi, obscurationem luminarium cæli, commotionem virtutum cælestium, planctum universæ terræ & cætera horribilia. Cur autem Christus Dominus hæc prædixerit causam non aliam existimo nisi ut timore salutari configeret carnes suorum auditorum. Sciebat enim optimè, non posse eos ad sublimiorem perfectionis philosophiam pertingere nisi per timorem Domini velut per quandam isagogen disponerentur & quasi manu ducerentur. In Lyceo Christi & nos sumus: disciplinas altiores & sapientiam cælestem discere nequaquam

quaquam possumus nisi prius initium sapientiæ addiscamus. Igitur *venite filij audite me timorem Domini docebo vos*, & ad ipsius studium cõvenientibus incitabo stimulis.

Timor est motus appetitus sensitivi refugiens malum imminens arduum, cui scilicet de facili resisti non possit. Dividitur in mundanum, servilem, filialem, & initialem. Mundanus est quando quis propter mala quæ metuit recedit à Deo: & hic semper criminosus est. Servilis ille per quem timetur malum pœnæ. Filialis ille per quem timetur malum culpæ. Initialis demum ille per quem timetur utrumque. Partitio hæc servit timori quà virtuoso aut vitioso: nam naturalis timoris bonitatem aut malitiam moralem prævenientis & ut mere passio est, alia statuitur à Divo Damasceno scissio, in sex videlicet species: segnitiem, erubescentiam, verecundiam, admirationem, stuporem, agoniam, de quibus S. Thomas 1. 2: q. 41. art: 4. De timore quem servilem vocamus illud hic oportunè insinuo, quòd quantumvis à Spiritu S. præstetur sicut & filialis, nihilominus in septenario charismatum almi flaminis choro locum non habet, quia potest cum voluntate letalitèr peccandi commanere quam dona Spiritus S. non compatiuntur secum utpote individua societate charitatis gaudentia.

Timor quid & quotuplex.

Timoris naturalis species.

Præambulum hoc memoriæ nostræ commendantes Beatum Paulum Doctorem gentium audiamus, qui Philippensium congregationem & in ea universam Ecclesiam sic exhortatur: *Cum timore & tremore salutem vestram operamini.* Ubi secundum adversionem Divi Chrysostomi non simpliciter dixit cum timore, sed addidit cum tremore qui quidem auctio timoris est. D. Thomas deducit tremorem esse effectum timoris. In timore enim fit contractio caloris ab exterioribus ad interiora & ideo exteriora frigida remanent proindeque corripiuntur tremore, qui causatur ex debilitate virtutis continentis membra, hanc autem debilitatem maximè efficit defectus caloris, qui est instrumentum quo anima movetur, ut dicitur secundo de anima. In summa, ex timore contractio, ex contractione debilitas, ex debilitate tremor oritur. Suadet itaque Apostolus ut operantes salutem nostram vivamus in timore & non qualicunque, sed vehementi & tali, qui faciat nos ipsos tremere. Quare verò id: salutem suam studiosè procurans cur vereatur? cur ultrices reformidet pœnas, qui pro suis laboribus coronam expectat justitiæ? Dat rationem dicti Apostolici D. Chrysostomus. *Nequit enim,* ait ille, *fieri ut qui sine timore vivit generosum quid & celebre attentet.* Prosequitur idem Doctor: *dic mihi quis literas absq; timore didicit. Quis artis cuiuspiam peritus factus est absq; timore. Si vero ubi nihil insidiatur diabolus, sed sola socordia interturbat tanto nobis timore opus est ut solam naturalem desidiam vincamus: ubi tantum bellum est, tanta impedimenta, quomodo fieri poterit ut unquam sine timore salvemur?* Concedo libens metum ad omnia generaliter negotia tractanda necessarium esse idque ideo, quia ut infra dicetur, solicitos nos id est solertes & citos reddit. At quid causæ obsecro ex parte nostra est ob quam in negotio salutis specialiter pavidi esse debeamus. Primo Machabæorum 13. Simon ad sepulchrum fratrum suorum insigne erexit mausoleum, columnas septem circumposuit, super columnas arma, & iuxta arma naves sculptas appendit. Per columnas atque arma citra dubium fortitudinem ac bellicositatem

Timor Domini necessarius ad salutem.

cositatem fratrum testatus; per naves autem quid intellexit? Navis Symbolum est instabilitatis & fragilitatis humanæ. Esto igitur fratres sui erant bellicosi ac fortes nihilominus casui & fato subiacebant: id navium simulacro notabatur. Monumenti huius ratio & figura non tam ad præteriti temporis gratiam quàm ad totius posteritatis eruditionem spectat. Plurimos recensere possis, qui in Ecclesia DEI columnæ videntur esse, qui tamen naves sunt quæ tentationum & passionum vento huc illucuè jactantur. Naves in fluctibus crebro demergi contingit nisi pondere gravi immobiles reddantur: sic & nos nisi timore DEI saburrati simus, infigemur in limo profundi. *Quemadmodum navis sine saburra secura non est: jactatur enim quovis vento nunc hanc nunc in illam partem cum magno periculo; ita periclitatur anima quæ saburram seu onus timoris Divini non habet,* ait Ludovicus Granatensis auream illam subijciens sententiam: *Universaliter omnibus timendum est; peccatoribus, quia peccaverunt. justis ne peccent.* Quæ fortior fuit columna Angelô, & tamen hic ad instar myoparonis submersus in profundo laci infernalis: Adamo? & tamen hic ad unicum flatum, *eritis sicut Dij*, eversus & in Oceanum malorum omnium præcipitatus cum sua universa sobole. David columna fuit; dicebat enim: *non movebor in æternum*, navem nihilominus se probavit ingemiscendo: *Tempestas demersit me.* Petrus, columna: quo etiam encomio in Epistola ad Galatas honoratus & tamen hic etiam naufragium passus. Ad hoc igitur in nobis requiritur timor Domini ne qui nimium instabiles fragilesue sumus, in procelloso vitæ præsentis mari tentationum passionumque vortice absorbeamur & in interitum veniamus.

in Duce peccatorum.

Aliam memoratæ affero necessitatis rationem. Absque operatione salutem adipisci non valemus. Fides enim sine operibus mortua. Quocirca & Doctor gentium ut salutem nostram operemur juxta præmissa præcipit. Metus porro, quia causat solicitudinem, oppidò movet ad operandum & juvat in operando. Libet hic Angelicum Aquinatis audire discursum: Operatio hominis exterior causatur quidem ab anima sicut à principali movente, sed à membris corporeis sicut ab instrumentis. Contingit autem operationem impediri & propter defectum instrumenti & propter defectum principalis moventis. Ex parte igitur corporis, timor, quantum est de se semper natus est impedire exteriorem operationem ob caloris abscessum è membris externis: sed ex parte animæ si moderatus sit nec multum rationem perturbans, confert ad bene operandum in quantum causat solicitudinem quandam & facit hominem attentius consiliari ac operari. Sanè timor DEI facit nos consilia recta inire ad salutem, media conquirere, nec tantum conquirere, sed & exequi. Timor DEI facit nos castos pios sobrios & virtutũ omnium studiosos cultores. Quid quæso in fidelibus primitivæ Ecclesiæ illũ pietatis nutriebat & conservabat fervorem? timor DEI. Quid eos impavidos ante truces tyrannorũ vultus reddebat? timor DEI. quid orationi instãtes faciebat? profectò timor DEI. nos ipsos quid aliud traxit è seculo nequam ad securam religionis stationem? equidem timor DEI. Si ergo opera bona ad salutem necessaria sunt, etiam timor Domini omnino necessarius est utpote summè conducens ad operandum rectè.

Causa timoris Dñi, fides.

Quæsierit aliquis quonam pacto comparatur timor Domini? Respondeo cum

deo cum Doctore Angelico comparari causariq; per fidem ita ut fides informis per quam fit apprehensio de malis pœnalibus quæ justitia Divina irrogare solet, fit principium timoris servilis; filialis autem principium fit fides formata per quam cognoscimus DEUM esse quoddam immensum & infinitum bonum à quo deficere extrema fit miseria. Stabilitur responsio hæc in eo quòd omnium appetitionum & consequenter timoris fons & origo fit apprehensio boni & mali. Ad hanc Doct: Angelici sententiam aliæ aliorum reducuntur. E quibus Ludovicus Granatensis censet timorem Domini infundi cum charitate, augeri autem & conservari ex consideratione operum justitiæ Divinæ: Alcuinus ex incertitudine judiciorum DEI: Divus Chrysostomus ex consideratione præsentiæ Divinæ docent procedere eundem. *Aliæ itē particulares causæ timoris Domini.*

Peculiare certè motivum timoris Domini sunt opera justitiæ Divinæ. Quis enim tota mente atque artubus non contremiscat recogitans qualiter DEUS Luciferum, cui omnis lapis pretiosus ornamentum erat, ob unū superbum cogitatum ad inferos detraxit nunquam amplius in gratiam admittendum: qualiter Adamum cum toto humano genere ob unicum similiter arrogantiæ peccatum mulctavit, diluvio totum mundum delevit, quinque Civitates igne sulphureo concremavit, Judæos murmuratores peremit. Quis non contremiscat perpendens quomodo in ipsum Filium DEI pro nostris flagitijs Divinus animadvertit rigor. Si hæc in viridi quid fiet in arido. Inter opera justitiæ Divinæ arcem tenet permissio peccati. Non enim major est indignatio DEI quàm si permittat peccare. Idcirco David ob maximum nefas Christicidij non aliud suppliciū imprecatur aut verius comminatur Judæis præter maiorem cumulum iniquitatum: *Appone iniquitatem super iniquitatem eorum.* Apoc: 2. pro eo quod Jezabel & ipsa peccaret & alios seduceret impœnitens: *Ecce ego* ait Dominus, *mittam eam in lectum.* Lectus est peccandi consuetudo. sæpè enim, ait Pannonius, justo DEI judicio propter anteacta facinora nec sequenti pœnitudine deleta ruunt in graviora impij: dumque sine metu audacter peccant, quasi in lecto pravæ consuetudinis cubant tradente eos DEO in ignominiam passionis suæ. Quàm vero crebra in mundo peccata sunt, quàm frequens relapsus ac recidivatio? Inprimis enim infidelitas longe lateque diffusa: grex Christianitatis pusillus: ipsam Christianitatem hæreses & schismata repleverunt. Inter catholicos ortodoxam Romanam fidem Apostolico laudatam ore tenentes, crimina sine fine, sine numero. Percurre Civitates Oppida pagos tabernas loca publica privataque & nihil frequentius videbis ut Divinæ offensam majestatis. *Circuite vias Ierusalem & aspicite & considerate & quærite in plateis eius virum facientem judicium & quærentem fidem & propitius ero ei* Ieremiæ 5. Sane ex tripode videtur esse illud vatis Venusini: *Opera justitiæ divinæ sunt peculiare motivum timoris Dñi. Variæ pœnæ Angelis & hominibus irrogatæ opus sunt justitiæ Dei. Permissio peccati est opus justitiæ Divinæ.*

Seditione dolis scelere atq; libidine & ira
Illiacos intra muros peccatur & extra.
Ubique locorum: *gens humana ruit per vetitum nefas.*

Ex tam crebra porro peccatorum permissione sequitur alius Divinæ justitiæ effectus nimirum paucitas salvandorum. Interrogarunt Dominū discipuli Lucæ 14. *si pauci sunt qui salvantur?* respondit: *Intrate per angustam portam, quia lata & spatiosa via est, quæ ducit ad perditionem & multi sunt, qui intrant per eam. angusta autem porta & arcta via quæ du-* *Paucitas quoque salvādorum op⁹ justitiæ Divinæ.*

quæ ducit ad cælum & pauci inveniunt eam. In veteri testamento multa leguntur paucitatis salvandorum signa. Sub tempus diluvij octo nonnisi homines servati quod figuram fuisse exigui salvandorum numeri asserit B. Petrus in sua Epistola Canonica. Sexcenta millia virorum exceptis parvulis & mulieribus educta in desertum, & duo tantum terram promissionis ingressi: sicut se habent duo ad sexcenta millia, sic raritas proborum ad multitudinem reproborum. Isaias pauculis olivis in oliveto remanentibus aut botris finita vindemia lectis comparat electos. *Quomodo si paucæ olivæ excutiantur ex olea & racemi cum fuerit vindemia finita: hi levabunt vocem suam atq; laudabunt cum glorificatus fuerit Dominus.* Isaiæ 24. sensus est: Ij qui post glorificationem sui levabunt vocem ad laudandum & magnificandum Dominum non plures erunt quàm paucæ olivæ post excussionem in olea relictæ aut certè pauci botri post vindemiationem remanentes. Ex his alijsque comparationibus intelligis veras omnino esse historias quæ passim circumferuntur de minuto salvandorum computo respectu damnandorum. Alijs prætermissis unam in medium affero ex Doctore Jacobo Carthusiensi excerptam. Eodem instanti quo Divus Bernardus vitam hanc in meliorem cõmutavit, triginta millia hominum fatis cesserunt. Ex his duæ animæ beatitudinê cælesti statim præmiatæ, altera Divi Bernardi, altera Decani cuiusdam Longiovienfis: tres in purgatorium relegatæ: reliquæ omnes ad infernum præcipitatæ. O nimium formidanda DEI judicia! ex triginta millibus quinque animæ duntaxat salvæ? cui hæc audienti ambæ non tinniant aures? Etiam gentilis Poëta credo equidem instinctu Spiritus Sancti afflatus conformem Evangelio numeris Poëticis inclusit protulitquè sententiam:

Pauci quos æquus amavit
Iupiter atq; ardens evexit ad sidera virtus!

Quid igitur inde? scilicet si numerus esset par horum atque illorũ magna nobis subesset metuendi ratio: quid dico par? imoverò tanta sunt inferni supplicia ut si unicus tantummodo homuncio ad ea detrudendus esset, adhuc omnes horrere & formidare deberemus; nunc verò cum infinitus sit stultorum numerus, prudentium verò id est secundùm rationis legisq; Divinæ regulam viventium tam modica declaretur quantitas; in utramque dormimus aurem, & securi ac à perturbatione timoris quieti vivimus. Demus quòd maxima multitudo hominum in campo esset & vox de nubilo cælo audiretur unum ex multitudine illa hominem fulmine mox feriendum, certè tunc præ timore tabescerent universi: quid verò si mediam partem hominum fulmineo ictu prosternendam audirent? quid item si tertia tantum pars remansura superstes proclamaretur? O nostram malesanam præsumptionem! o fatuam securitatem! en vox ipsius æternæ veritatis detonat paucos admodum ultimi fulminis evasuros impetum, paucos salutis æternæ consortes fore & tamen non magis timore percellimur quàm si carmen aliquod musicum audiremus? an verò nobis infernus levior videtur fulminis ictu, an literæ securitatis à metu gehennæ arcentes nobis singillatim divinitus datæ? an diploma salvationis obtinuimus singuli? cælinè exultaverunt dum quis nostrum nasceretur? itanè verò judicia DEI invertentur & tenor Evangelij, propter te aut illum immutabitur? & demum, nunquid vox de nubi-

de nubibus intonans plus habet de veritate quàm verbum Christi?

Incertitudo judiciorum Dei facit similiter ut formido & pavor salutaris occupet mentes nostras. *O altitudo sapientiæ & scientiæ Dei!* exclamat Apostolus, *quam incomprehensibilia sunt judicia eius & investigabiles viæ eius.* Augustinus quoque admirabundus & in mentis extasim abreptus: *Magna sunt* inquit, *judicia tua Domine & inscrutabilia & profunda quæ cum considero contremiscunt omnia ossa mea.* Quo præmisso pergit enarrare judiciorum Divinorum arcana: *Vidimus multos Domine ascendisse primitus usq; ad cælos & inter sidera nidum suum collocasse postmodum autem cecidisse usq; ad abyssos & animas eorum in malis obstupuisse. Vidimus stellas de cælo cecidisse ab impetu ferientis caudæ draconis & eos, qui jacebant in pulvere terræ à facie sublevantis manus tuæ mirabiliter ascendisse. Vidimus vivos morientes & mortuos à morte surgentes & eos qui inter filios Dei ambulabant in medio lapidum ignitorum quasi lutum ad nihilum defluxisse. Vidimus lucem obtenebrasse & de tenebris lucem processisse, quia publicani & meretrices præcedunt incolas in regno cælorum· filij autem regni ejiciuntur in tenebras exteriores.* hucusque Augustinus. *Si & tu* (cum quodam magistro spirituali sub- sumo) *judicia Dei videres quæ nunc fiunt in Ecclesia, cerneres stellas è cælo cadere, cedros Libani ruere, puriores porphirite tetriores fieri carbonibus.* Videres non unum amabilem Domino Salomonem ad horrendas devolui abominationes. Sanè nemo nostrum scit an amore, an odio dignus sit sed omnia in futurum reservantur incerta; hoc autem non ob alium finem nisi ut serviamus Domino in timore & exultemus ei cum tremore. Nemo scit nostrum an sit vas in honorem an verò in contumeliam sempiternam, an sit de numero electorum, an de numero reproborum quibus omnia cooperantur in malum & ipsa oratio vertitur in peccatum. Quare sicut architectus esto artis suæ peritissimus non est securus in sublimi tecto, sed in eo cum metu sua peragit; ita & quicunque nostrum culmen perfectionis attigisse videtur sibi, videat ne cadat, nunquam sit sine formidine.

Iudicia Dei timorem Domini incutiunt.

Lud: Gran.

Insuper ex apprehensa præsentia Divina permovemur ad timendum Deum. *Dic mihi,* ait Divus Chrysostomus, *si tibi semper proxime Principem standum esset nonne cum timore adstares. Quando comedis vel quidpiam facis cogita præsentem Deum, adest enim, si cogitationem istam semper habueris, semper in timore eris ac tremore tanquam si prope Regem adstes.* Canticorum 2. assimilatur Dominus capreæ, *similis est dilectus meus capreæ.* Quare? forsan ob pernicitatem? etiam. Cur item? *Caprea,* inquit Pannonius in hunc locum, *animal silvestre est quam Græci vocant Dorcam à dorin græco vocabulo id est à videndo quod perspicacissime videat aliisq; visum reddat humore quodam intra viscera sua contento.* Capreas tradit Plinius noctu non minus quàm interdiu cernere. *Time,* exclamat præfatus author, *time oculos capreæ. Time illum qui per Prophetam dicit: Scutabor Ierusalem in lucernis.* Acuto visu est, nihil inscrutatum relinquit oculus eius. De eo Ecclesia canit: *Speculator adstat desuper, qui nos diebus omnibus actusq; nostros prospicit à luce prima ad vesperum.* Et Hipponensis Præsul: *Magna nobis,* ait, *indita necessitas juste recteq; & timorate vivendi, quia cuncta facimus ante oculos judicis cuncta cernentis.*

Præsentia Divina ad timorem Dñi provocat.

In soliloquijs.

Obtendat aliquis: si in continuo metu judiciorum Dei, in continuo metu pœnæ & culpæ essemus; Oreste aut Pysandro timidiores fieremus vitamque nobis ultro abbreviaremus. Respondeo cum S. Ambrosio in Psal: 118. Serm: 5. quod non debeat esse irrationabilis timor & quod sicut sapientia spiritualis non est absque timore ita timor sine sapientia esse non debeat: quia nisi secundùm scientiam sit tantum abest ut prosit aliquid ut potiùs obsit plurimum. Timorem virtuosum non vitiosum suadeo & qui rationem sequatur, non antecurrat nec perturbet. De tali Proverb: 10. dicitur. *Timor Domini apponet dies.* Talis pavor scilicet ratione regulatus ita est necessarius homini sicut anhelitus: ita est necessarius animæ sicut lucerna obscuro cubiculo: ita demum est necessarius cogitationibus malis arcendis sicut ignis arundineto comburendo.

Ergo timete Deum omnes sancti ejus, omnes videlicet servi ejus quos fides, quos religio, quos Christiani professio nominis, quos demum sublimior perfectionis status sanctos facit. Timete Dñum, quia Pater est, timete, quia judex est. Patrē timete amando: judicem timete pœnas metuendo. *Oderunt*, inquit Satyricus, *peccare boni virtutis amore oderūt peccare mali formidine pœnæ.* Utrumq; nobis congruit ut & formidine pœnæ & virtutis amore peccata vitemus. *Nunquam antecedentem scelestum deseruit pede pœna claudo.* Quia igitur multipliciter peccavimus, impendentem vereamur ultionem & amplioribus eam provocare delictis cessemus. Justo judicio suo permisit nos Deus in tot crimina labi, incertum an pœnitentiam acceptavit, ignotum quando filum vitæ abrumpet, præsens semper adstat ad vindicanda scelera: o nostram insensibilitatē si hæc pensitantes non expavescimus! *Dij me terrent, & Iuppiter hostis.* quidā Ethnicus furijs agitatus clamabat. Ecce veraciter terret nos Dñus tantis nostris in peccata recidivationibus, terret incertitudine judiciorum circa nos, terret præsentia potentiæ suæ ad ulciscendum paratæ, terret insuper in Evangelio judicij sui appropinquantis exponens seriem. Quin itaque contremiscimus? Quodsi asperum videtur timere Dominum, quà justus est, amemus quà bonus est: & charitas velut sardius lapis pellet foras ex corde nostro timorem gaudiumque & exultationem inducet, ut cum universæ tribus terræ pavebunt, nos respiciamus & levemus capita quoniam appropinquavit redemptio nostra.



ABNEGATIO
PROPRIÆ VOLUNTATIS.

Uti nullum verbum otiosè in sacris ponitur Evangelijs ita & in hodierno non frustra hyberni temporis exprimitur circumstantia. *Facta sunt Encænia Hierosolymis & hyems erat.* Frigida hîc Judæorum tanguntur corda quæ calore fidei & amoris in Christum nullatenus potuerunt, quia noluerunt exardescere. *Frigidi erant*, inquit Augustinus, *& ad ignem divinum accedere pigri erant*: ubi per accedere intelligit credere. At quid quæso Judaicos ita infrigidavit animos imò

quid ita

quid ita obstinatos reddidit ut nequaquam ad focum penes quem sacratiori flamma incaluissent, voluerint accedere? Non aliud nisi voluntas eorum propria propter quam non erant de ovibus Christi. Oves quippe Christi vocem eius audiunt & sequuntur eundem, non suam sed Pastoris attendunt implentque voluntatem, eò pergunt quo Pastor minat, illud manducant quod pastor apponit, denique tondendæ non se retrahunt, nec balatu vim sibi inferri testantur, sed coram tondente se obmutescunt. Ideò ergò frigebant hoc est non credebant Judæi, quia non erant ex ovibus Christi, ideo non erant ex ovibus Christi, quia non audiebant vocem eius: ideo non audiebant vocem eius, quia suam non Christi quærebant & intendebant voluntatem. Ne & nos ex caula & grege ovium Christi segregemur ob voluntatis propriæ amorem, ad abnegationem ipsius utpotè ingentium malorum authricis adhortabor.

Voluntas, quæ & rationalis appetitus, vocatur propria dum quid ex proprio peculiari & privato motu affectuque appetimus non attendentes quid DEUS quid finitima DEO potestas, quid nostra requirat salus, sed solùm, quid nobis libeat. Hæc quantùm pernitiosa sit, docebit voluntatis natura, docebit & scriptura.

Philosophorum oraculum est: *Omne quod quandoq; est in actu quandoq; in potentia, indiget moveri ab aliquo agente*. idcirco cum facultas volitiva eiusmodi sit, omninò eget impulsu extraneo. Movetur itaque ab intellectu proponente sibi obiectum sub ratione boni vel mali: movetur ab appetentijs sensitivis; quia hæ immutant alterantque corpus, & per consequens ipsum animum qua stante alteratione aliud videtur intellectui placetque voluntati quàm alias videretur placeretque. Movetur à se ipsa. Quia enim vult finem, impellit seipsam ad requirenda ea quæ conducunt ad finem. Porrò motores hi suspecti, imò nimium culpabiles sunt. Intellectus multis obseptus tenebris, materialitati immersus, nihil valens cognoscere nisi quod cognoscendum sensus ingesserit. Plerumque pro reipsa umbram, pro veritate falsitatem, pro bono malum, pro reali apparens repræsentat. Appetitio sensualis nihil suadet præterquam quod sensui conveniens ac delectabile creditur. Sensualibus desiderijs ac passionibus perturbata mens est quasi speculum convexum inversas rerum imagines exhibens. Si in splendentis cochlearis inferiori parte speculatus teipsum fueris, faciem deorsum, pedes sursum totamque corporis structuram situ inconvenienti videbis stantem: sic & in animo sensitivis æstuante appetentijs quidquid videris, inversũ videbis: malum apparebit bonum, id quod omitti debet, agendum videbitur, quod nocivum est velut salutare repræsentabitur. Ipsa voluntas, quia libera, quia domina suorum actuum, propter naturæ lapsæ corruptionem, potiùs ad malum quam ad bonum nata est seipsam movere. Et licet ei intellectus dono Spiritus Sancti fultus & scripturis illustratus recta proponat, nihilominus eligit illicita ut vix inveniri inter homines queat qui non ingemiscat: *Video meliora proboq; deteriora sequor*. Ancillam dominari & dominam ancillari magna abusio est: hæc tamen abusio frequens in homine dum ratio subter voluntatem non voluntas subter rationem jacet. Hi sunt motores facultatis nostræ electivæ: his solis adiuta voluntas & altiori firmiorique regimini se non submittens, est sicut navis absque gubernaculo inter fluctus: est sicut puer absque pædagogo in-

Natura voluntatis.

gogo inter petulcos: eſt ſicut arundo abſque fulcimento inter ventos. Navis carens gubernaculo mergitur fluctibus: puer abſque pædagogo colliditur inſolentiâ coævorum: arundo ventorum flatu in hanc & illam partem flectitur niſi pedamento alligata ſit. Pariter & voluntas noſtra niſi ad Dei voluntatem velut ad gubernaculum regulam & ſtatumen ſe referat alligetque, mergetur in paſſionum fluctibus, collidetur in tentationibus, nunc hanc nunc in illam flectetur inſtabilis partem in electionibus. Sed ad ſcripturam veritatis firmamentum inoffenſo pede tranſeamus.

Judicum 4to: Debora imperatorios ducendi exercitûs adverſus Siſaram Principem Jabin detulit Baraco faſces his affata accerſitum: *Præcepit tibi Dominus. Vade & duc exercitum in montem.* Barac metunè oneris an reverentiâ Deboræ tergiverſari, reluctari, frontem fricare: ac tandem promittit ſe pariturum, ſed nonniſi ea lege ſi ſimul & Debora ſequeretur caſtra. *Si venis*, inquit, *mecum vadam. ſi nolueris venire non pergam.* Cui Debora: *Ibo quidem tecum, ſed hac vice victoria non reputabitur tibi.* Hebraica & Chaldaica verſio habet: *Vere tamen non erit gloria in via qua graderis.* Abulenſis pro *gloria* ponit *pulchritudo.* Cur verò ô Debora Baracum à Deo ductorem populi electum excludis à victoria? cur gloriam cladis hoſtibus jam jamque inferendæ alteri adſcribis? Ergone Barac indignus triumpho? ille, ille dux populi Iſraëlitici: ille cuius veſtigia, tuo ipſius poſt victoriam pæana canentis teſtimonio, Duces Iſachar ſecuti ſunt: ille qui quaſi in præceps ac barathrum ſeſe diſcrimini dedit: ille demum qui Siſaram inſecutus, planè manu ſua intereminit niſi Jahel præveniſſet. Quid quæſo gloriam & pulchritudinem ex fuſis in arena martiali hoſtibus eripuit Baraco? quid triumphale ipſius caput lauro coronari vetuit? Iachelnè Siſaræ tempora clavo terebrans? atqui jam ad internecionem deleta fuit hoſtilis potentia: jam Siſara ipſe infami fuga ſua victum ſe fatebatur antequam per muliebrem occubuiſſet manum. Aliud eſt quod Baraco in tanta gloria & pulchritudine aſperſit labem; nimirum voluntas propria. Si incunctanter obediviſſet Deboræ, ſi remoras & conditiones non adhibuiſſet; victor, triumphator glorioſus fuiſſet proclamatus. Sed quia non alienam at propriam fieri inſtitit voluntatem, nolens aliter ad bellum proficiſci quàm comite Debora; idcirco ſplendorem triumphi non meruit. *Ideò Barac victoria non adſcribitur, quia propriam admiſcuit voluntatem.* ait quidam. Ubi vulgata habet. *Non reputabitur tibi victoria.* 70. tranſtulerunt. *Non erit tibi felix ſucceſſus.* ad rem ſanè. *Quæ enim ex propria voluntate fiunt, plerumque exitus infelices habent.* Hîc mihi in mentem venit quod Joannis 21. ſcribitur. Diſcipuli tota nocte laborantes nihil prendiderunt. quare? nunquid tenebræ nocturnæ impediebant? at ſereniſſima ſplendentis lunæ claritas piſcantibus favebat. Nimirum non miſſi, non juſſi: ſed ex proprio libitu ſe ad piſcationem receperant. Quod porrò ex obedientia fit, ait Maldonatus, proſperè fit: quod autem proprio judicio, propria voluntate, ſucceſſum non habet.

Voluntas propria non habet gloriam.

Ioannes Freire

Nec proſperos ſucceſſus.

Quid hæc inquietis ad nos? Multum profectò. Debora quæ & apis, religionem ſignificat. Barac quia fulgur, myſterio nominis ſui ſubditum religioſum deſignat, qui ſcilicet velut fulgur velox eſſe debeat ad mandata

mandata Superioris peragenda. Si itaque Debora, si religio in superioris persona injungit aliquid: si jubet, vade: tu verò nectis moras, conditiones apponis, excusationes obtendis, scito quia quæcunque tandem feceris esto heroicos tibi videaris fecisse actus, tamen nulla tibi inde victoria, nulla gloria, nulla pulchritudo, imò verò magna confusio & macula superveniet. Quam enim laudem, quod decus speres, si Superior præcipit vade: tu sedes aut decumbis? si superior mandat: perge cum reliquo exercitu Divino cum alijs commilitonibus ad montem ad chorum ad laudes DEI; tu interea aut expatiaris, aut fingis tibi ex proprio cerebro occupationes? quis inde tibi honos, si præpositus hoc vel illud officij, aut negotij imponit: tu neglecto eo quod impositum erat, ea arripis quæ propria suadet voluntas? Nosce Barac, quia ex tuis quæ ductu motuque proprio operaris exercitijs non lucraberis gloriam æternam, sed nec temporalem quidem; pulchritudinem palmæ cælestis non acquires, sed & rebus tuis reflabit fortuna. Justè reprehenditur Barac, juste exuitur gloriâ omni, quia tantum suam exequitur voluntatem non Deboræ, non Religionis, non Superioris, non DEI, ac si plus saperet alijs, acsi cæteri omnes errori obnoxij essent, ille non.

Tolerabilior esset voluntas propria, si tantum gloriæ deflorationem successusque infelices secum duceret, nisi & aliorum plurimorum malorum examine stiparetur.

2. Ad Timotheum 3. Apostolus præsago spiritu vaticinium edidit eiusmodi: *Erunt* inquit, *in novissimis temporibus homines seipsos amantes cupidi elati superbi blasphemi parentibus non obedientes immites sine benignitate proditores protervi tumidi voluptatum magis amatores quā DEI habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes.* Novissima tempora sunt ea ipsa in quæ devenimus. Homines seipsos amantes sunt, qui sibi ipsis bene volunt, suo indulgent genio, propriam voluntatem in nihilo lædi patiuntur. Amor proprius & voluntas propria aut idem sunt aut unum sine altero reperire non est. Si amor Domini in custodia mandatorum eius consistit: amor itaque sui ipsius in observatione ac executione imperiorum propriæ voluntatis erit. Jam quantas hoc monstrum parturit pestes! Cupiditas, elatio, superbia, blasphemia, inobedientia, ingratitudo, morum profligatio, inhumanitas, bella, criminationes, incontinentiæ, iræ, durities cordis, proditio, protervia, tumiditas, voluptatum amor, demum hypocrisis, ex voluntate propria velut ex fonte rivi scaturiunt. Quare iste vel iste cupidus, quare elatus, superbus, blasphemus, inobediens, ingratus, scelestus, quare sine pace, quare criminator durus protervus tumidus voluptatum sectator? in promptu causa est, quia sui & suæ amator voluntatis. Hoc unicum fundamentum est, cui tota iniquitatis structura quam ob oculos posui, nititur. Tolle fundamentum & muri corruent Hierichontini. Nec mirum si voluntas propria tanta progerminet mala cum obicem ponat Divinæ bonitati nè salutiferos in corda nostra roret influxus. Tempore eclipsis, quia inter solem & lunam terra interponitur, plurima in sublunaribus causantur mala. Voluntas propria inter solem justitiæ & hominem instar lunæ varijs subiectum mutationibus mediam se interponit: quid mirum proinde si salutares radij ad nos non pertingant & per consequens pessima ac nocentissima vitiorum seges in nobis exuberet. *Voluntas*

Stipatur multis vitijs.

Quia dividit inter Deum & hominem.

luntas hominis murus est æreus dividens inter ipsum & DEUM, aiebat Abbas Pastor in vitis Patrum. Et quidam Magister spiritus: *voluntas*, inquit, *media est inter te & DEUM, quanto vicinior es tibi tanto longius à DEO distas per amorem tuiipsius*. Jam itaque miraculum non est si velle proprium fœtus fætentissimos ab Apostolo enumeratos producat, cùm obstaculo sit ne DEUS derivet in nos gratiarum suarum munera. Cur verò appetentia nostra dividat inter nos & DEUM, authoritate non contenti rationem ut video exposcitis. Præsto est ex Doctore Angelico: Velle Divinum, quia primò & per se respicit supremam bonitatem DEI quæ est ultimus finis noster, mensurat regulatque voluntatem nostram: quod enim primum est in aliquo genere, habetur pro mensura omnium, quæ sunt eiusdem generis. Porro voluntas propria non conformatur huic mensuræ, sed potiùs seipsam statuit sibi pro fine pro mensura pro regula: atque idcirco nihil rectitudinis in se continet. quandoquidem unumquodque bonum & rectum constituitur per hoc quòd propriam attingat mensuram. Ad rem: voluntas propria, non regitur, non mensuratur voluntate Divina. igitur non jungit hominem cum DEO; satius dividit inter utrumque. Si dividit, impedit influxus Divinos; hos autem si impedit, innumeris miseram animam involuit peccatis. Qui itaque suiipsius suarumque amans fuerit inclinationum, necessariò erit cupidus elatus, superbus, blasphemus, inobediens, incontinens, rixosus, denique non sceleratus, sed scelus erit, non vitiosus sed vitium.

DidacusStella.

1.2. q.9. ar:9.

Si monita hæc mea quantumvis scripturarum robore stabilita parum movent, audiatur D. Hieronymus, qui Rusticum & in eius persona unumquemque instruens Monachum has tradit præceptiones. Nulla ars absque Magistro discitur. Etiam muta animalia & ferarum greges ductores sequuntur suos. In apibus principes sunt. Grues unam sequuntur ordine literato. Imperator unus. Judex unus provinciæ. Singuli Ecclesiarum Episcopi, singuli Archipresbyteri, singuli Archidiaconi & omnis ordo Ecclesiasticus suis rectoribus utitur. In navi unus gubernator, in domo unus dominus, in quamvis grandi exercitu unius signum expectatur. Et ne plura replicando fastidium legendi faciam, per hæc omnia ad illud tendit oratio ut doceam te non tuo arbitrio dimittendum, sed vivere debere in Monasterio sub unius disciplina Patris consortioque multorum, ut ab alio discas humilitatem, ab alio patientiam: hic te silentium, ille doceat mansuetudinem; *non facias quod vis*: comedas quod juberis: vestiare quod acceperis: operis tui pensum persolvas: subijciaris cui non vis: lassus ad stratum venias: dicas psalmos in ordine tuo: servias fratribus: hospitum laves pedes: passus injuriam taceas: Præpositum Monasterij timeas ut Dominum, diligas ut parentem: credas tibi salutare quidquid ille præceperit, nec de maiorum sententiâ judices. Egregia sanè instructio quâ singuli claustralium actus ordinatè digeruntur & potissimum voluntatis propriæ abnegatio commendatur.

D.Hieronymus suadet claustralibus abnegationem voluntatis propriæ.

Audiantur & Aborigenes nostri antiquiores Anachoretæ, qui in Capitulo suo illud placitum condiderunt: *Si videris juvenem voluntate sua in cælum ascendere, tene pedem eius & proijce in terram, quia non ita expedit ei.*

Suadet & antiqui Anachoritæ.
In vitis PP.

Uno pede cælum altero infernum petere: uno oculo sidera altero terram tueri impossibile: sic impossibile & Divinæ & propriæ famulari voluntati.

Simile.

Alciatus

Alciatus juvenem formosum pinxit, qui finistrâ alatus cælos scandere tentaret: manu verò dextra tenens lapidem gravaretur deorsum. Subscripsit distichon: *Hieroglyphicō*

Dextra tenet lapidem, manus altera sustinet alas.
Ut me pluma levat: sic grave mergit onus.

Nullum gravius onus quàm proprium arbitrium: esto jam cælos attigisse & inter sidera nidum collocasse videaris deijciet te & ad tenebrosam inferni abyssum præcipitabit. Nimirum opus omne ex proprio placito elicitum, tantum abest ut elevet hominem ad cælum, ut potius ipsum ad infernum deprimat, esto ad apparentiam videatur homini pennas quibus sursum evolet applicare.

Voluntati Divinæ non conformari impium est, inquies: at voluntatis creatæ cùm hæc plerumque exerret non est cur imperia reijci nequeant? Ita quidem, sed Superiorum voluntas, interpres est voluntatis Divinæ. Deinde si Præpositus errat, suo non tuo errat malo. tuum semper est obedire ad quem spectat illud: *Audi Israel & tace.* *Præoccupatio*

Valentiora forsan ex nobis ipsis ad abnegationem voluntatis propriæ accipiemus illicia.


Non possumus aliter vocationi nostræ respondere nisi velle nostrum abnegemus. *Qui sequitur me,* ait Christus, *abneget semet ipsum.* Non sua sed seipsum, hoc est judicium proprium & voluntatem propriam. Sequela Christi absque hac nequit esse abnegatione. Cum itaque vestigijs Christi insistere vitamque eius æmulo studio in nobis exprimere & conformes fieri imaginis ipsius juraverimus, voluntatem propriam oportet eiuremus. Deinde votum obedientiæ quod inter cætera principem tenet locum, absque præfata abnegatione nunquam implebitur. Cui enim cuncta ex animi sui sententia libet agere, ille aliena surdis excipit imperata auribus. Insuper discipuli crucis sumus & in gymnasio patientiæ studemus: non proficiemus, si voluntatis propriæ prædominio impediamur. hæc enimverò nihil nos sinit adversitatis æqua sustinere mente, nihil convitij pati, nihil molestiarum tolerare. Omnis scilicet amator sui velle, cupit esse delicatus Martyr & sub spinoso Capite molliter ac tenerè tractari. Accedit, quia passiones frænare ac rationi subjugare nostrarum partium est nostræque militiæ peculiare officium: porro epireasmus hoc est impedimentum propriæ voluntatis atrocissimam iræ passionem vel maximè excitat: abnegata itaque illà non tantopere ad stomachandum propendebimus. Sed & ab alijs affectionibus præcipuè ad fugam mali natis, remotiores erimus. Non enim quidquam timebimus aut dolebimus, si indifferentes atque in alterutram partem resignati simus. *Inductiva ad abnegationē volūtatis propriæ. à statu Religioso.*

Caret tibi pectus inani
Ambitione? caret mortis formidine & ira:
somnia, terrores magicos, miracula, sagas,
Nocturnos lemures portentaq; Thessala rides.

Denique qui ad perfectiorem ideoque securiorem vocati sumus statum, non aliter extra periculum damnationis æternæ vivemus nisi singularitatem appetitus nostri rationalis abdicemus. *Si cessaret propria voluntas cessaret infernus,* ait Thomas à Kempis. *Berovius* de quodam Religioso ad annum Dñi 1566. refert quòd in articulo mortis constitu-

tus monitusque ut Sacramenta perciperet: nil opus est inquit: non feci quàm quod volui. hæc est causa damnationis meæ.

Igitur si de hostibus nostris triumphare, si prosperos experiri progressus, si deformium vitiorum expertes esse cupimus: si quis amor professionis: si quod studium perfectionis: si qua laus disciplinæ & patientiæ: si qua salutis cura, nudemus voluntatem nostram à proprijs appetitionibus. Sic nudata, erit velut tabula rasa cui divinos Spiritus S. inscribet characteres: erit velut concha vacua cælestibus apta irrorationibus: erit velut aurum pretioso charitatis Divinæ vnioni recipiendo peridoneum: demum, ut simpliciter loquar, erit nota per quam vera ovis Christi designetur. Signat pastor oves ut cognoscat suas. Nullum aliud in nobis convenientius signum dari potest esse nos de ovibus Christi, quàm si non nostram voluntatem faciamus, sed Christi voci obediamus. Vota Religiosa si ad anagramma trahas, reddent sententiam: *Ovis ore ligata*. Qui vota Religiosa Domino vovimus, simus velut oves ore ligatæ: nec solùm ore, sed & voluntate, ut ad ea quidem quæ dulcis vox Magistri & Servatoris nostri imperat expediti stemus; ad ea verò quæ propensionibus nostris placent, vincti jaceamus. Hinc cognoscemur esse oves Christi ab hædis in die judicij segregandæ & in loco pascuæ cælestis collocandæ.



PARS



PARS III.

IN QUA RELIGIOSORUM VIRTUTES COMPREHENDUNTUR & SUADENTUR.

PÆNITENTIA

NIhil certius eſt quam ſtatum Religioſum, ſtatum eſſe pœnitentiæ. *Monachus, officium,* inquit S. Hieronymus, *non doctoris ſed plangentis habet.* Albertus Magnus in libello de adhærendo DEO poſtquam definiviſſet pœnitentiam eſſet abſtinere à licitis cum de illicitis venia poſtuletur, ſubijcit ſtatim: *Ideò unaquæq; Religio eſt ſtatus & locus pœnitentiæ, quia in eo Religioſi rerum etiam licitarum uſum ſibi interdicunt ut carnium, veſtium mollium, pecuniarum, converſationis,* damnantque ſeipſos & caſtigant jejunijs, diſciplinis, humicubationibus, cilicijs, ſilentio & idgenus alijs mortificationibus. In decretalibus quoque, Eccleſiaſticus exceſſivus ad Monaſterium velut ad locum pœnitentiæ detrudi jubetur. Cum igitur omnes fideles ad pœnitentiam his ante Natalem Chriſti prævijs diebus frequenti admonitione urgeantur: *Fratres hora eſt jam nos de ſomno ſurgere. Agite pænitentiam. facite fructus dignos pænitentiæ;* nos regulares nunc vel maximè in ea virtute exercitari tenemur. Accedo votis Eccleſiæ & qui Lazarus ſum in ſepulchro vitiorum fætens, officium Joannis ad pœnitentiam exhortantis implere cum DEI auxilio exopto. *Adverſus Vigilantium.*

Pœnitentia, virtus ad deteſtationem peccati movens duo requirit, præterita peccata plangere & plangenda non committere. Hinc rectè confertur cum Jano bicipiti, qui inter initium anni ſequentis & finem antecedentis poſitus eodem vultu tempus utrumque reſpiciat, præteritū & futurum. Ita enim & vera pœnitentia præterita æquè ac futura peccata proſpectat, illa ut acri dolore emendet, hæc ut diligentiſſime caveat. Falſa aut nulla pœnitentia eſt ſi cum dolore propoſitum vivendi integrè, haud fæderetur. Vix pœnitentiæ nomen, fructum certè nullatenus ſortiri poteſt dolor ille, qui brevì excipitur imò expellitur à peccato. *Qui baptizatur à mortuo & iterū tangit mortuum, quid prodeſt lotio illius?* Inanis eſt pœnitentia quam ſequens coinquinat culpa: nec profunt lamenta ſi iterentur peccata. Vocatur ſecunda poſt naufragium tabula eò quod ſicut naufragus abſq; miniſterio tabulæ: ſic lapſus omnis abſq; adminiculo pœnitentiæ ſalvari nequit. Neceſſitatem eius clarè adſtruit ſcriptura: *Niſi pœnitentiam egeritis omnes ſimul peribitis.* Et Eccle: 2. *Si pœnitentiam non egerimus incidemus in manus Domini & non in manus hominum.* Achab Rex impijſſimus poſtquam cum Jeſabele non tam conjugio ſibi quàm crudelitate conjuncta, vineam Nabuthæ cruore poſſediſſet, mox Heliæ increpatione corripitur in hunc modum: *Hæc dicit Dominus, occidiſti*

Ludov: Gran: Dñica 3tia. Adventus.

Neceſſitas pænitentiæ.

cidisti & possedisti: & iterum: *In loco in quo linxerunt canes sanguinem Nabuthæ ibi lingent sanguinem tuum & carnes Iesabel canes comedent ante muros Iesrael.* Quod cum audiisset Achab, scidit vestimenta sua & posuit saccum super carnem suam jejunavitque & dormivit in cilicio. Factusque est sermo Domini ad Eliam dicens: Quoniam reveritus est Achab faciem meam non inducam malum in diebus eius. *Unum scelus* Ad Rusticum. *Achab & Iesabel* (ait Hieron:) *& tamen conversi ad pænitentiam Achab pœna differtur in posteros & Iesabel in scelere perseverans præsenti iudicio condemnatur*: ac si diceret: Non potuit Iesabel pœnam comminatione Divina decretam evadere, quia non pœnituit. si pœnituisset, evasisset. Achabum servavit pœnitentia, impœnitentia Jesabelem damnavit. Nisi & Ninivitiæ pœnitentiã egissent, disperеam si non perijssent. Inde est quòd impœnitentes tanquam desperati & qui sibi ipsis impossibilem fecerunt salutis consecutionem planctu amaro utpote mortis æternæ mãcipia deflentur in scripturis. Plangebat Samuel Saulem, quia superbiæ vulnera pœnitentiæ medicamine non curabat. Lugebat Paulus Corinthios, quia fornicationis maculas lachrymis delere nolebant. Flevit Christus ipse super Civitatem Hierusalem quod non egisset pœnitentiam. Plangit & Hieremias populum in duritia cordis perseverantem, dicens: *Quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum, & plorabo populum istum per diem & noctem.* Cur autem plangat & defleat sequenti sermone demonstrat: *Nolite flere mortuum neque plangatis eum. flete planctu, qui egreditur quia non revertetur ultra.* Super quæ verba ait Doctor maximus. *Nequaquam igitur gentilis plangendus est & Iudæus, qui in Ecclesia non fuerunt & semel mortui sunt, sed hi, qui per scelera atq; peccata egrediuntur de Ecclesia & nolunt ad eam reverti damnatione vitiorum.* Michæas quoque lamentatur: *Super hoc plangam & ululabo, vadam spoliatus & nudus faciam planctum velut draconum & luctum velut struthionum, quia desperata est plaga populi mei.* Ezechiel librum devorat scriptum intus & foris: carmine, planctu, & væ. Carmine, super laude justorum; planctu, super pœnitentibus; Væ super his de quibus scriptum est: Cum venerit peccator in profundum malorum, contemnit. hoc est super desperatis & impœnitentibus. Væ talibus scriptum est, æternæ damnationis inevitabile decretum contra eos digito DEI exaratum. Salutis nulla spes, ubi pœnitudinis nulla res.

Triplex tempus & locus pænitentiæ. Triplex tempus & locum assignavit Divina providentia in remunerandis bonis actibus larga, in puniendis malis justa, triplex inquam assignavit tempus & locum castigandis peccatoribus. hîc, in purgatorio, in inferno. Qui ergò hic per spontaneas satisfactiones & pœnalitates peccata sua abolere non studuerit, illa infallibiliter vel in purgatorio si parva vel in inferno si gravia, infructuosa satispassione compensare necesse habebit. Asserti huius evidens in Davide argumentum. Peccavit hic quod solent Reges, peccavit fastuosa exercitus supputatione: dirigitur ad ipsum vates cum nuntio tali: dat tibi DEUS optionem ut quam malis eligas pœnam, aut 7. annis famem aut tribus mensibus vindictam inimicorũ, aut tribus diebus pestilentiam. Per septennium famis signatur infernus, in quo septem plagis novissimis quibus consummata est ira DEI, afficientur damnati; & septẽ phialas plenas iræ DEI effundent nec effundere cess-

dere cessabunt Angeli in damnatos. Denique & S. Hieronymus dicit diabolum habere *septem hebdomadas ad perditionem,* (hebdomada perinde est coram DEO atque annus) *quos Dominus observari jusserat ad salutem.* Per trimestre bellum, pœnæ purgatorij figurantur quod ad eas destinentur illi qui quidem pro peccatis suis condignam non exegerunt pœnitentiam, perstiterunt tamen in professione Sanctissimæ Trinitatis & trium theologicarum virtutum exercitio, ideoque harum merito ad tres solùm pœnarum menses deputantur. Per triduum pestilentiæ designatur præsens temporalis afflictio vel immissa à DEO, vel voluntariè juxta confessarij impositionem adimpleta. Necesse est ergo unumquemque puniri pro suis peccatis vel in inferno, vel purgatorio. vel tandem hîc, ubi solùm est locus pestilentiæ obnoxius, hoc est, morbis contagionibus infectionibus varijs tam physicis quàm moralibus: vel hîc inquam per tres dies, spatium utique brevissimum & per quod ob fidem formatam in Sanctissimam Trinitatem possimus ad quartam seu octavam cælestis beatitudinis pervenire lucem. Quis verò tam demens, qui non eligat brevissimum ad peragendam fructuosè quia liberè pœnitentiam tempus? qui non eligat punire in se momentaneo temporis lapsu quod æternis cruciatibus vindicandum esset. *Ad Demetriadem.*

Ad pœnitentiam forti nos urget impulsu & explicata eiusdem necessitas & alia nimium ponderosa incitamenta. Infinita inprimis Divinæ maiestatis inhonoratæ dignitas. *Peccare,* inquit S. Augustinus de contritione, *est DEUM inhonorare quod homo facere non debet etiamsi necesse esset perire id totum quod DEUS non est.* Tormentorum item peccatis debitorum immanitas ac diuturnitas de quibus percontatur Isaias. *Quis poterit de vobis habitare cum igne devorante aut quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Et verò quæ aut quanta tormenta illa quæ ipsa increata justitia per ministros dæmones in perpetuas æternitates irrogabit? *Pœnas dabunt,* inquit Apostolus, *in interitu æternas à facie Domini & à gloria virtutis eius.* Pœnas inquit, dabunt damnati quales illas? æternas in interitu. O pœnæ! heu quantæ? quam magnæ? hoc solo nomine infandæ, quia æternæ? quid verò quod æternæ in interitu? quod à virtute Domini, ab ipsa omnipotentia DEI in maledictos exercitæ? *Pones eos,* ait Propheta, *ut clibanum ignis in tempore vultus tui.* In tempore vultus Divini, scilicet iracundi, erunt injusti omnes ut clibanus ignis partim à confusione quam subibunt, partim ab igne quem patientur. Ignis ex silice aut ligno excussus quantam vim habet, ut eò tormentum maius inveniri non possit? Quid verò ignis à DEO ipso procedens, ignis à furore Domini accensus? devorabit impios, in æternum tamen eos vorabit. Neque vero peccatum à tergo duntaxat habet pænas in futuro nimirum seculo sustinendas: habet insuper anteambulones suos scilicet supplicia vitæ præsentis quæ passim perditis & facinorosis hominibus infliguntur absque nostro quidem periculo, sed non absque nostro documento. Monemur enim quanta sit peccati atrocitas cui exquisitos cruciatus etiam creatæ rigor justitiæ imponit. Huc illud Lyrici: *Inductiva.* *2. Thessalon: 1.*

Te semper anteit sæva necessitas
Uncos trabales & cuneos manu
Gestans ahena: nec severus
Uncus abest, liquidumvè plumbum.

S. August: de Contrit: Accedit peccati fœditas quæ sola si cætera deessent sufficeret ad absterrendos nos à reatu culpæ incurrendo. *Mors & tormenta qualibet non sunt comparabilia cum peccato. Tormenta enim in se fœda non sunt at peccatum in se habet fœditatem & cum hac trahit æternam infelicitatem. Magis ergo vitanda est peccati fœditas quam tormentorum immanitas quia homo in peccando fœdissima perversitate præposuit se Creatori suo quo nihil injustius, sed in tolerando tormenta, ordine præpostero subjicit se creatura Creatori suo quo nihil justius.* His motivis retrahebat se à peccato & in iustitia solidabat David propter quod aiebat: *Abyssus abyssum invocat*, hoc est, abyssus fœditatis peccati ducit ad abyssum & inscrutabilem quandam voraginem ac barathrum tormentorum. Taceo innumeros alios ad pænitentiam impellentes stimulos, qui à magistris spiritualibus copiosè recensentur. Nos certè Religiosos ipse pœnitentię status in quem conceptis verbis juravimus, ipse pœnitudinis habitus quem assumpsimus & capitis per tonsuram quędam decaluatio permovere debet ad continuos ejusdem virtutis actus. *Catenæ sordes & comæ non sunt signa diadematis sed fletus*, ait S. Hieronymus, per hoc innuens unumquemque Monachum ideo vestitu vili & catenulis loco cinguli circumdari barbamque promittere ut sciat se in luctus non in gaudij manere domo, nec Regum jucunditatibus, sed parentantium mærori & squalori studere debere. Quid si ante oculos nostros tot sanctorum ponamus historias, qui in rigore pœnitentiæ membra sua quę sunt super terram sine ulla intercapedine mortificabant? Divi Institutoris nostri vita quid nisi continua fuit pœnitentię disciplina: imò continuum martyrij genus quem asperitas mucronatæ vestis usque ad sanguinem cruciabat. Principem propositi sui secuti omnes longo ordine Anachoretę omniaq; Eremitarum examina è quibus in multis eo usque ascendit vitę austeritas, ut alij in sepulchris jejuni, insomnes, & ante fatum præmortui clauderentur ut D. Antonius: alij in columna excelsa diebus ac noctibus in pluvijs cælique quibusvis injurijs, rodentibus etiam atque de exeso ac putrido corpore bullientibus vermiculis stupendum Orbi spectaculum steterint ut Stylites: alij inaudito stratagemmate truncum quercinum excavatum sepibus cinctum & paliuris atque arundinum aculeis confixum coronâ lignea quaternis lapidibus hinc inde pendentibus gravata onerati inhabitarent ut Zoerardus. Quid memorem Vacium, à cuius nomine in Pannonia condita Civitas, de quo vetusti annales nostri testantur eum toto vitæ tempore omnibus pretiosis & delicatioribus abstinuisse ac in arctissima pœnitentia permansisse. Quid D. Hieronymum? quem præterire nequeo, cuius de seipso testimonium auscultare libet: *Sedebam*, inquit, *solus qui amaritudine plenus eram. Horrebant sacco membra deformia & sqalida cutis situm Æthiopicæ carnis obduxerat, quotidie lachrymæ, quotidie gemitus, & si quando repugnantem imminens somnus oppressisset nuda humo vix ossa hærentia collidebam. De cibo verò & potu taceo cum etiam languentes Monachi aqua frigida utantur & coctum aliquid accepisse luxuria sit;* subditque quod ob metum gehennæ tali se carcere damnaverit. Nolo in medium producere densissimam extra Eremiticum institutum, Professorum admirabilis pœnitentię nubem, ne dum ęmulationem suadeo, fastidium generem. Claudat agmen sexus infirmior. Fabiola nobilissima Romanarum

Ad Marcum Presbyt: Celeden:

Exempla.

Ad Eustochiū.

narum mulierum è vetusta Fabiorum gente procreata, quia justis de causis separata à marito alteri per ignorantiam legis, fædere connubiali se copularat ita pœnituit ut sacco induta publicè errorem fateretur: & tota Urbe spectante ante diem Paschæ in basilica quondam Laterani staret in ordine pœnitentium Episcopo Presbyteris & omni populo collachrymantibus: sparsum crinem, lurida ora, squalidas manus, sordida colla submitteret. Aperuit cunctis vulnus suum & decolorem in corpore cicatricem flens Roma conspexit. Tanti dux fæmina facti! Taidem quoq; si placet ut speculum pœnitentię inspiciamus. Hæc in arctiori inclusa cellula nec in cælum oculos levabat, nec ulla alia precatiuncula utebatur prçterquam illa: *Qui plasmasti me miserere mei.* tota in lachrymis, tota in luctu; quo pretiosissimum thalamum & inexplicabiles delicias in regno cælesti consecuta. Qui exoptamus prçmium, imitemur exemplum. *Tempus lugendi, tempus ridendi,* dixit Ecclesiastes. Quanquam verò totum vitę nostrę spatium sit lugendi tempus, potissimum tamen hi dies quibus veneranda Natalis Christi festa prçvenimus. Non modo Ecclesiæ sanctæ adhortatione verùm & Religionis nostrę monitis ad peculiares pœnitentię movemur actus dum nobis jejunia, vigilię nocturnę, disciplinę, mortificationes publicę & privatę, stricti silentij custodia, psalmorum ad pœnitentiam spectantium devota recitatio vi statutorum commendantur. Faciamus ergo dignos pœnitentię fructus: dignos hoc est proportionatos peccatis nostris. Peccasti carne, carnem macera; superbia intumuisti, humilitatem sectare; linguam in sermones otiosos, detractorios, maledicos, lasciviam resipientes solvisti, strictissimo eam condemna silentio: inobediens ac in tuo sensu pertinax extitisti, captiva intellectum & voluntatem tuam in obsequium. Denique contraria curentur contrarijs, graviora gravioribus plectantur pœnis. Impudicitiam, detractionem, criminationem, contemptum profectûs spiritualis, socordiã in Divinis unicâ precatiunculâ velle abolere non est dignus pœnitentiæ fructus. Agamus igitur, repeto quod jam monui, agamus dignos pœnitentię fructus, dignos ob acerbitatem doloris, dignos ob firmitatem propositi, dignos ob æquam satisfactionis mensuram. Ficum quidam misit alteri cum adiecto Laconico epistolio: *Mitte non promitte.* Ficus vix folia emittit, cum coctana generat; non spem fructuum, sed fructus ipsos producit. Perstringuntur hoc symbolo, qui pœnitentiam & rectè agendi studium in aliud atque aliud differunt tempus cum ignorent, quid superventura pariat dies. *Sera nimis vita est crastina, vive hodie.* Cras, cras, & cur non hodie finis turpitudinis meę, dicamus cum Augustino. Laxemus cum eo habenas oculis nostris in secreto anguli ut prorumpant flumina lachrymarum. Voce fletu gravida & singultibus verba frangentibus Davidicum miserere non tam promamus quam gemamus: *Miserere mei* DEUS *secundùm magnam misericordiam tuam, dele iniquitatem meam, ampliùs lava me Domine & à peccato meo munda me. Ego vero non tantum fugiam deinceps vias pravas, sed etiam docebo iniquos vias tuas ut impij ad te convertantur. Heu peccatum, nomen horrendum, res detestabilis, nullo modo comparabilis. Domine mi esto ego admisi unde damnare potes tamen tu non amisisti unde salvare soles. Conscientia quidem mea meretur damnationem pœnitentia non sufficit ad satisfactionem, misericordia tamen tua superat omnẽ offensio-*

In vita eiusdẽ

S. August: de cordis contrit: & pluribus in locis.

offensionem. Parce ergo supplicanti. Latro sum, utique latronem exaudisti: hostis tuus sum, utique pro hostibus oravisti: peccator sum utique in amplexus peccatorum brachia tua in cruce expandisti. Sic, sic pœnitentibus, sic instar columbæ gementibus aderit ac suffragabitur immaculata columba Virgo pijssima nostrosq; gemitus promovebit. Quamquam enim hæc dum de peccatis agitur non est memoranda nec unquam Lazari scopa eguit, *nihilominus peccatores non abhorret sine quibus nunquam foret tanto clara filio.*



HVMILITAS.

CRastina festivitas quam Deo propitio celebrabimus, humilitatis magisterium est. Virgo purissima (quod recolemus) tota pulchra, tota munda, inter immundas se sistens mulieres ritu veteris legis se purificandam exhibet. Salvator ipse velut peccator, velut obnoxius legi redimitur; redimitur autem non divite oblatione, sed paupere & vili duarum columbarum munusculo. Primus discendi ardor nobilitas est Magistri. Quid porro nobilius Dei Matre eiusque Filio Christo Domino? Ergo ferventer discamus quod illi profitentur. Et ne quis doctrinæ cœlestis obscuritatem obtendat, facem præfero & doctrinam humilitatis à Christo verbo vitaque ipsa laudatę & prędicatę aperio.

Humilitas, est virtus inclinans hominem ad elationem animi reprimendam. Duplex autem est elatio seu superbia. Carnalis altera, altera spiritualis. Prior est intumescentia de bonis externis: posterior de bonis internis. Per illam intumescit, quisquis de possessionibus, prædijs, domibus, vestibus pretiosis & alijs fortunę muneribus gloriatur ideoque cęteros despiciendo contemnit: qualis erat Epulo Evangelicus, qui induebatur quotidie purpura & bysso & epulabatur splendide, Lazarum mendicum ante propylæum palatij sui spernens jacentem; per hanc superbit, quisquis opera bona dotesque internas ac talenta Dei suis viribus arrogat. Prima quidem illa non adeò frequens est in monasterijs, neq; enim quidquam proprij in particulari habemus quod possidentes cæteros despiciamus: posterior tamen eô frequentior quò frequentiora in domibus Religiosis bona opera quibus illa insidiatur ut pereant. *In solitudine sito* inquit S. Hieronymus ad Nepot: *subrepit superbia & si parumper jejunaverit, hominemq; non viderit, putat se alicuius esse momẽti, oblitusq; sui unde & quo venerit, intus corde lingua foris vagatur, judicat contra Apostoli voluntatem alienos servos, nullum veretur, omnes inferiores se putat.* Habes sanctitatem? ecce tibi superbia à tergo adest blandiens & applaudens. habes scientiam? hæc maximè inflat. Activitate & industria polles? illico mens superba tibi insusurat cæteros à laboribus tuis pendere & quod fame perirent nisi tu succureres. Acceptus si sis hominibus, miraculum te mundi arbitraris. Denique nullum exercitium tam sanctum cui arrogantia non insidietur. Utraque

nimium

nimium quantum nociva est, utraque periculosa: sed spiritualis eò periculosior quo occultior. Ambas freno cognitionis suiipsius compescit humilitas. Contraria namque contrarijs curantur. Et ut de sola spirituali quæ potissimum proposito nostro inimica est verba faciam, hæc non magis nec efficaciùs vincitur quàm per nostri ipsorum cognitionem. Ad hanc porro adipiscendam necessarium est, authore D. Augustino *de spiritu & anima*, ut cognoscamus quales simus ad malum & quales ad bonum. Proni sumus ad malum, invalidi ad bonum. Proni ad malum: quia in quodcunque tandem vitium caderemus in eoq; perseveraremus nisi misericordia DEI nos retineret aut lapsos erigeret. Invalidi ad bonum: nam ex viribus arbitrij nostri nihil penitus boni operari imò nec velle quidem, ne cogitare quidem possumus, sed omnis sufficientia nostra ex DEO est. Hanc utramque cognitionem sui habuit Abraham cum diceret: *Loquar ad Dominum meum cum sim pulvis & cinis.* Pulvis quocunque ventus impellat, huc illuc jactatur, ex una in aliam aream projicitur ibique manet donec alius assurgat ventus: sic & homo ad cuiuscunque tentationis flatum huc illuc in omnem partem in omne vitium prolabitur in eoque hæret donec misericordia DEI affulgeat. Cinis sterilis est nec profert germen ex se, susceptumque semen præfocat. Sic & homo ad omne bonum sterilis est infructuosus est nulliusque virtutis fructum absque DEO miserente proferre potest. Hoc modo pulvis & cinis reputatur unusquisque homo pronus ad malum invalidus ad bonum. *Quisquis in veritate ita se cognoscit, humilis est coram DEO & hominibus.* Quod docuit, hoc in se implevit D. Augustinus. sic enim confitetur Domino: *Domine confiteor ut docuisti me. nihil aliud sum quàm universa vanitas & umbra mortis & abyssus quædam tenebrosa & terra inanis & vacua quæ sine tua benedictione nihil germinat, fructum quoque non facit nisi confusionem, peccatum & mortem. Si quando steti per te steti, sed quando cecidi per me cecidi & semper in luto jacuissem nisi tu me erexisses, semper cæcus fuissem nisi tu illuminasses.* Pergit in sua hac pijssima confessione. *Sic, sic semper Domine sic semper gratia & misericordia tua prævenit me liberans me ab omnibus malis, salvans à præteritis, suscitans à præsentibus, muniens à futuris, præcidens etiam ante me laqueos peccatorum & tollens occasiones & causas, quia nisi tu hoc mihi fecisses ego omnia mundi peccata fecissem. Quoniam scio Domine quod nullum peccatum est quod fecerit homo unus quod non possit facere alter homo si Creator desit à quo factus est homo.* Et vere ita est. Licet enim sis optimè constitutus in anima, licet comparatus ad omnem virtutem, quantumvis DEO tuo firmissimè adhæreas; nullum tamen peccatum est, nullum crimen & scelus horrendum in quod non rueres *nisi DEUS forti brachio suo sufflaminaret, nisi efficaci auxilio suo retineret.* Sed ut in ore duorum stet omne verbum, attexo alterius viri sanctissimi humile de seipso testimonium. Hic Hieronymus est, qui ad Chromatium & Jovinum scribens Bonosumque in sui comparatione pulchra dissimilitudine laudans sic concludit: *Ego in scelerum meorum sepulchro jacens & peccatorum vinculis colligatus dominicum de Evangelio expecto clamorem: Hieronymè veni foras.* quasi diceret: Ego in peccatis meis velut in quodam sepulchro positus nequaquam viribus meis resurgere valeo nisi me Christus ipse suscitet, nisi valido clamore nisi valido robore erigat & absolvi à pec-

Superbia reprimitur per cognitionem nostri.

In soliloquijs.

vi à peccatorum vinculis faciat. Idem alibi deſeipſo: *Ego vita ſum quaſi à cunčto grege morbida aberrans ovis, quòd niſi me bonus Paſtor humeris ſuis ad ſtabula reportarit, lababunt greſſus & in ipſo conamine veſtigia, concident aſſurgentis.* Alijs verbis diceret: Ego ſum errabunda ovis quam niſi Chriſtus Jesus Paſtor bonus humeris ſuis impoſitam reportet ad caulam ſuam non tantum progredi, ſed ne quidem velle, ne quidem conari poterit ut progrediatur. in ipſo conamine ſtatim concidet. Nimirum hi ſancti cognoſcebant ſeipſos, quales forent ad bonum, quales ad malum. Intelligebant ſe ad malum pronos, ad bonum invalidos; noſcebant ſe abyſſum quandam caliginoſam eſſe omnis in eſſendo & in operando defectibilitatis. E contra cæcus erat cæcitatemque interiorem amabat Eremita ille de quo B. Joannes anachoreta Palladio eiuſque ſocijs talem narravit hiſtoriam. Fuit, inquit ille, in eadem Eremo frater quidam nominatiſſimus, in propoſito monaſtico exercitatiſſimus, cōverſationis optimæ, virtutibus omnibus conſpicuus, deniqüe vir perfectus imò perfectionis exemplar. Hic lætus ſucceſſibus ſpiritualibus cæpit præſumere in ſequè tantum juſto confidere, ſanctitatem quam coleret ſuis viribus & non Deo miſericordi attribuere. Magis magiſq; intumeſcentem malignis artibus aggreditur diabolus, facilem aditum ſibi pollicendo ubi initium radicemque peccati omnis advertebat. Aſſumit itaque ſpeciem formoſæ mulieris, fingit ſe ad veſperam circa gurguſtiolum eius oberrare, pulſat fores, implorat miſericordiam & per multas obteſtationes arte compoſitas, aperiri ſibi ne morſibus beſtiarum diſcerpatur poſtulat. Motus iniqua commiſeratione ſolitarius ille aperit, admittit, locum quieti deſignat & ut officioſus videretur, ſermonem familiariùs miſcet. ſequuntur riſus, joci, & alia morituræ virginitatis principia. Quid multis? conſentit in peccatum, in obſcænos ſe inclinat amplexus, inter quorum attentata initia, phantaſma illud velut umbra elabitur moxque in aëre cum caterva aliorum dæmonum cachinnando deluſum irridet: vah! qui ſupra ſidera nidum tuum collocabas, qui te ſupra cælos exaltabas, quàm turpiter in terram deiectus es! Nec hic finis ruinæ eius. Deſperata namque ſalute ſua vadens in ſeculum abijt in reprobum ſenſum, ſeque tradidit omni impudicitiæ utinam non finali. Hac finita narratione divertit ſermonem ad auditores B. Joannes. *Rem hanc ideo narravi vobis filij mei ut vel inprimis humilitatem exerceatis, ſive in parvis, ſive in magnis eſſe videamini. Primum enim eſt quod recenſens beatitudines Salvator ait: Beati pauperes ſpiritu, quoniam veſtrum eſt regnum cælorum; ubi paupertas ſpiritûs, humilitas vocatur.* Ad nos directum ſermonem intelligamus: nobis hæc dicta eſſe credamus. *Quæcunq; enim ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam & utilitatem ſcripta ſunt.* Primum itaque in humilitatis exerceamur virtute. Diſcamus teneamuſque agnitionem noſtri quæ humilitatis mater eſt & magiſtra. noſcamus & ſæpius recogitemus quales ad bonum quales ad malum ſimus. Perſiſtis in virtutum exercitio, feciſti bonum aliquid, ſanctum & Deo placitum obſequium incepiſti & perfeciſti, dic, feci quod facere debui ſervus inutilis: dic cum Propheta: *Domine tu omnia opera noſtra operatus es nobis.* Hæc eſt doctrina Cæleſtis quam Salvator noſter (cuius in cælo *cathedra eſt, ſchola autem in terra*) tradidit nobis; ego autem ex Sanctis Doctoribus cum auxilio

In vitis PP.

S. Auguſtinus.

auxilio eius exposui. Hanc discamus amemus opereque impleamus ut veri eiusdem discipuli esse & dici possimus.



HVMILITAS.

IN Annunciatione Incarnationis Dominicæ certamen quoddam inter DEUM & MARIAM recognosco & demiror. DEUS Virginem per Archangelum honorare dignatur, Virgo se contemni desiderat: hic eam exaltat, illa se humiliat: ad maternitatis divinæ invitat maiestatem, quæ se ad ancillarum abijcit servitutem. Angelus præmisso salutationis officio antehac in terris inaudito, exponit Divinæ tenorem voluntatis: *Ecce concipies & paries filium & vocabis nomen eius* IESUM. *hic erit magnus & filius Altissimi vocabitur*. illa reponit: *Ecce ancilla Domini. Vide*, ait D. Ambrosius, *humilitatem, vide devotionem. Ancillam se dicit Domini quæ Mater eligitur, nec repentino exaltata promisso est.* Et hæc credo virtus unigenitum æterni Patris de sinu eiusdem ad sinum Virginis fecit descendere. Nardus humilitatis MARIÆ, filium DEI de accubitu paterno traxit. Virginitate sacratissima hæc Virago placuit, humilitate concepit. Et nos ad maternitatis Divinæ invitamur prærogativam infallibili oraculo: *Qui fecerit voluntatem Patris mei hic frater meus & Mater mea est*. Tantum honorem non consequemur nisi cum MARIA humiliemur. *Porro ad humilitatis exercitium ex monito ascetico opus est scire quid sit humilitas quos gradus quos stimulos habeat.* Operæ igitur pretium existimemus si hæc prędiscamus, verba demum in opera, speculationem in praxim reducturi.

In pervigilio Annūtiat:

lib: 2. in Luc:

Teretius in Idiota cap: 4. § tertio.

Humilitas itaque jam alibi alijs verbis, sed non alio sensu à me explicata, est virtus moderativa appetitus excellentiæ propriæ. seu expressiùs: Est virtus per quam quis reprimit seipsum ne feratur in ea quæ sunt supra se. Ad hoc autem quòd quis seipsum hoc pacto reprimat necessarium est, ut cognoscat in quo deficit à proportione alterius excellentioris: atque ideo cognitio proprij defectus spectat ad humilitatē tanquam regula directiva appetitus. In eo à damnatissimo superbiæ vitio vel maximè discrepat, quia humilitas attendit ad legem rectæ rationis dictantem ab uno quoque de se haberi debere veram æstimationem; è contra superbia majora quàm sint, falsò de se existimare præcipit homini cęcutienti amore perverso propriæ celsitudinis.

2.2.q.161 ar:2

Gradus, aut si mavis, actus humilitatis 12. numerat D. Benedictus: corde & corpore semper humilitatem ostendere defixis in terram aspectibus: pauca verba & rationabilia loqui non clamorosa voce: non esse facilem aut promptum ad risum: taciturnitas usque ad interrogationē: tenere quod habet communis regula monasterij: credere & pronunciare se omnibus viliorem: ad omnia indignum & inutilem se credere & confiteri: confessio peccatorum: per obedientiam in duris & asperis patientiam amplecti: cum obedientia se subdere maiori: ut voluntatem propriam quis non delectetur implere: ut DEUM timeat & memor sit omnium quæ præcepit. Ad hanc recensitorum actuum seriem omnes

Actus humilitatis.

Nnn2 alios

alios reducit Doctor Angelicus. Ubi obſervandum, aliquos hic numerari gradus qui aliarum ſint proprij virtutum. Sicut enim unum vitium oritur ex alio ita naturali ordine actus unius virtutis procedit ex actu alterius. Obſervandum item quòd abſque omni falſitate poſſit aliquis ſe credere & pronunciare omnibus viliorem ſecundùm defectus occultos quos in ſe recognoſcit, & ſecundùm dona Dei quæ in alijs latent; ſicut etiam ad omnia indignum & inutilem ſe eſſe quantum ad proprias vires, ut tota ſufficientia noſtra in Deum referatur. Quapropter, quemadmodum vetuſta accepimus traditione, perfectiſſimi illi Anachoretæ, cùm ſuperba cogitatione latenter bonis operibus inſidiante propter lætos & admirabiles perfectionis ſucceſſus extolli inciperent, à miſericordi Domino nolente cuiuſquam perditionem ad homines ſeculares morum ut videbatur abiectorum dirigebantur eo fine ut vitam eorũ rimarentur & ſibi æmulandam proponerent. Rimabantur, inveſtigabant, explorabant ceu quidam ſanctæ curioſitatis amantes corycæi, cognitiſq; virtutibus ac donis Divinis ubi nunquam ſperabantur abſconditis, humiliati ac impendiò ædificati redibant.

In vitis PP.

Pondus & lumen his accedit ex Divi Thomæ doctrina decidentis hominem unicuique debere ſe per humilitatem ſubijcere idque propterea: quia, inquit, in homine duo poſſunt conſiderari ſcilicet id quod eſt DEI & id quod eſt hominis. Hominis eſt quidquid pertinet ad defectum: DEI verò quidquid pertinet ad ſalutem & perfectionem. Cum ergo gratiæ donaque Divina præponi debeant humanis defectibus, conſentaneum eſt quemlibet hominem ſuos penſantem nævos debere ſe ſubmittere alteri cuivis homini ſecundum quod habet munera Divina ſeu apparentia ſeu latentia.

Neceſsitas humilitatis.

Neceſſitatem virtutis huius ad ſalutis conſecutionem, clangunt & evulgant buccinæ Evangeliorum. *Niſi,* inquit Chriſtus: *efficiamini ſicut parvuli non intrabitis in regnum cælorum.* Quid eſt *parvuli?* nunquid neceſſe eſt maturo corpori ad puerilis redire ſtaturam ætatis? nunquid ſolis puſionibus aula regni cœleſtis patebit? *parvulos* intelligit humiles. Arcta nimirum & anguſta porta eſt quæ ducit ad vitam. Non intrat per eam faſtu arrogantiaq; tumidus longurio, non Polyphemus aliquis, aut grandiori mole ſuperbarum actionum velut obeſitate quadam corporis monſtroſus Agag aut portentoſus Goliath. Angiportus cæleſtis veſco tenui ac depreſſo pumilionum corpori tranſitum concedit: cyclopeæ impenetrabilis magnitudini. Procul ite ſuperbi: hæc pueris via ſola patet.

Rurſus idem Magiſter & Salvator noſter: *Diſcite,* ait, *à me quia mitis ſum & humilis corde.* Cur quæſo tantopere humilitatem manſuetudinis comitem & cuſtodem commendat diſcendam, id eſt imitandam? Superbia obſtruit viam ſalutis, virtutes demoliendo, vitia implantando, Deo ſe quaſi aperto Marte opponendo. *Ut ergo Dominus impedimentũ auferret ſalutis, exteriorem celſitudinem contemnendam monſtravit per humilitatis exempla.* D. Auguſtinus præfata Chriſti vera explanans fundamentum totius juſtitiæ Chriſtianæ ducta ab ædificio ſimilitudine appellat humilitatem. Cogitas, inquit, magnam fabricam conſtruere celſitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis. Cur autem ſpiritualis ſtructuræ fundamentum vocetur, ratio eſt. Quia ſicut fundamentum pri-

S. Thom: 2. 2. q. 161. art: 5.

tum primò jacitur in ædificio; ita id quod est primum in acquisitione & comparatione virtutum fundamento comparatur. Humilitas porro permodum removentis prohibens, primum locum tenet in virtutum acquisitione, in quantum scilicet evacuando inflationem superbiæ reddit hominem subditum & patulum ad suscipiendum influxum divinæ gratiæ. Ascetæ quoque pro fundamento vitæ & perfectionis Christianæ ponunt cognitionem DEI & nostri ipsorum, ut ex una parte vilipensionem contemptum odiumque sui concipiat unusquisque, ex altera amorem æstimationemque Divinæ maiestatis. Sicut itaque domus absque fundamento nequit consistere. submoto eo ruit tota tectorum & parietum moles; ita altissima justitiæ columna ex qua cælum conscendimus, absque humilitatis spira aut stylobate stare nobisque ad gloriam æternam ascēsum parare non valet. Et hoc ipsum est insigne ad humilitatem sectandam calcar quòd sit necessaria ad regni cælestis consecutionē utpotè basis justitiæ Christianæ, quid si consideremus non esse jucundiorem Christo locum ad manendum & quasi ad exspatiandum amœniorem quàm ubi amethistinæ submissionis vernant violæ. Paradisus quidam voluptatis divinæ, est pectus humile. Cant: 6. Requisita à filiâbus Hierusalem Sponsa quonam dilectus suus declinaverit, respondit: *Dilectus meus descendit in hortum suum ad areolam aromatum.* Hortus Christi Ecclesia est, areola vel areolæ, sunt Ordines & status in Ecclesia distincti. Sunt autem areæ in hortis loca pura, nuda, soli obambulationi seu conculcationi relicta. In talia ambulacra descendit Sponsus animi gratia ut discas quòd cuiuscunque sis in Ecclesia statûs cuiuscunque ordinis, descendet in te sponsus ut spatietur ut delectetur ut in medio tui jucundetur si sis areola, si terra nuda, probè subacta soli conculcationi apta & pervia. si talem te geras, talem existimes, Christum ad te ex accubitu suo attraxisti. Nec tantum spatiationis, sed & suavissimæ quietis delicias parat Domino nostro humilitatis virtus. S. Mechtildis nocte quadam sacræ Quadragesimæ visa sibi in deserto cum Christo manere, ubinam noctis illius conticinio pernoctaturus esset, interrogavit. Cui Dominus miræ pulchritudinis monstrata arbore medium affabrè excavatum habente, *hic*, inquit, *pernoctabo*, edocens internè Mechtildem, arborem illam humilitatis esse virtutem. Taceo cætera quibus tanti boni studiū in nobis accendatur & nutriatur: ut quòd oratio humiliantis se penetrat nubes, quòd submissio hominis animum reddit apertum ad recipienda dona Spiritûs Sancti, *quòd item non modo à DEO impetrat omnia at hominibus etiam citiùs persuadet quàm quæcunq; fluiditate sermonis pruriens auribus oratio*: quòd demum ubi humilitas adest, argumentum planè certissimum habetur plenum quoque virtutum omnium chorum ibidem reperiri. Gaudet ibi innocentia morum, floret castimoniæ virtus, rubet patientiæ meritum, pallescit verecundiæ laus, ardet devotionis studium. denique quidquid cælo dignum est, sub una humilitatis custodia conservatur. Hæc inquam reticeo ut breve per exempla iter arripiam. Christum Dominum tanquam exemplar humilitatis Philippensibus imò nobis omnibus proponit Apostolus: *Hoc enim sentite in vobis quod & in Christo IESU, qui cum in forma DEI esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem DEO, sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens in similitudinem hominum factus & habitu inventus*

Inductiva ad humilitatem.

Grat: spir: lib: 2. cap: 24.

In vitis SS.PP. lib: 5.

Eggerer in anathemate.

Exempla humilitatis.

ventus ut homo. Exinanivit se, formam servi accepit, factus in similitudinem hominum. omnia hæc summam quandam ad ima deiectionem sui loquuntur. Hieronymus doctrinam Christi & opera commemorans, nos ad humilitatis impellit devotionem sequentibus. *Dominus noster Magister humilitatis discipulis de dignitate discrepantibus unum apprehendit è parvulis dicens. Quicunq; vestrum non fuerit conversus sicut infans non potest introire in Regnum cælorum. Quod ne tantum docere nec facere videretur, implevit exemplo, dum discipulorum lavat pedes, dum traditorem osculo excipit, dum loquitur cum Samaritana dum ad pedes sibi sedente Maria loquitur de regno cælorum dum ab inferis resurgens primùm mulierculis apparet.* Et profectò quis non amore humilitatis inardescat si penset natales DEI Incarnati cunas, subiectionem Matri & Josepho, pedum lotionem, discipulorum rudium vocationem, cum parvulis ac simplicibus blandam collocutionem, modestissimam ad calumnias & convitia quibus appetebatur responsionem, submissam ad varia tribunalia comparitionem. Nascitur inter jumenta: Vivit inter peccatores & piscatores: moritur inter latrones. Apostoli Magistrum suum imitati nihil studiosius coluerant quàm voluntariam sui abiectionem. Unde mirantibus turbis super eorum miraculis & nominatim super sanitate claudo collata: *Quid nos,* aiebant, *intuemini quasi virtute & potestate nostra fecerimus hunc ambulare?* Nos ijsdem quibus vos malis obnoxij homines sumus: de eodem facti luto: ijsdem compacti exordijs. An non vox humilitatis illa est. *Tanquam purgamenta facti sumus omnium peripsema usq; adhuc.* Peripsema, sordes sunt quę conspuuntur conculcantur & tandem scopis in unum collectæ foras eijciuntur. Sic & Apostoli vasa electionis, templa Spiritus Sancti, mundi Principes judicesque conculcandos conspuendos eijciendos se offerebant ac si strigmenta & retrimenta hominum essent. *Dæmones expellebant & tamen tantopere seipsos deprimebant. Nos verò miseri & calamitosi neq; culices expellere valemus ne dum dæmones: neq; unum hominem juvare possumus, taceo universum orbem, & tamen tantopere superbimus quanto ne diabolus quidem ipse.*

Ad Antonium

S. Chrysost: in Epist: ad Philip: 2.

Spiritu Sancto, (inquies,) pleni erant quem in festis Pentecostalibus per signa visibilia acceperunt: ideo non mirum si tam prodigiosa humilitate se demittebant sicut nec mirum si aristæ granis plenæ toto capite tota staminis inflexione inclinentur. Ergo extra Apostolos humilitatis tibi produco insignia. Nec volo perfectissimos quosque viros memorare, ne & horum miranda potius quàm imitanda facta replices. Sylvanum S. Pachomij discipulum ut erat initio suæ conversionis imperfectus, tibi adduco. Hic Monasterium ingressus nullis disciplinæ regulis poterat coërceri quin salutis negligens dies suos vanitatibus & ridiculis actibus in petauro priùs exercitis occuparet. Tandem post varias admonitiones, instructiones, orationes Superioris ad meliorem reductus frugem, in omni loco & in omni negotio flebat planctu amarissimo, ne tunc quidem cum cibum caperet à lamentatione & lachrymis temperans. Volebat, ut fatebatur ipse, singultus & fletum abrumpere sed non valebat. Requirentibus verò continui ploratûs causam fratribus, respondit. Non vultis ut plangam cum videam me foveri multis obsequijs Sanctorum fratrum quorum pulvis ipse pedum mihi venerandus est

In vita S. Pachomij.

dus est, & quorum contubernio nequaquam dignus sum. Quin ergo plangam, cùm scenicus nuper ludio, infamis chironomus & histrio multarum artifex nequitiarum, officia tanta percipiam! timeo valdè ne sicut Dathan & Abiron, me quoque profanum hiatu suo terra deglutiat. Illi namque impijs ausibus manibusque pollutis, sancta contrectare tentaverunt, ego verò post tantam cognitionem Divini muneris, animæ meæ salutem desidiosa conversatione neglexi. Ideo ista recolens, non erubesco flere coram omnibus, utpote multorum mihi conscius flagitiorum. Quod si ipsam miseram animam meam, per lamenta diffunderem, nihil facerem magnum, quia nullum par factis meis supplicium reperire est. Unde Pachomius eximio tantam humilitatem honoravit elogio in suorum cætu discipulorum. *Sylvanus*, inquit, *ita prostravit inimicum & à suis sensibus effugavit ut nusquam coram eo compareat altaq; humilitate eum per omnia superavit, quanto fortius pugnat, tanto se deteriorem omnibus judicans & ex tota mente totaq; virtute inutilem se & reprobum pronuncians. Diabolum autem nihil reddit ita invalidum sicut humilitas de corde puro cui tamen correctionis opera probantur adiuncta.* Insignis equidem humilitas! disce eam & à plebeio seculari homine tanto magis confundendus, quanto vilioris personæ magisterium tibi proponitur. D. Antonius ex instinctu divino veniens ad quemdam Coriarium Alexandrinum petijt quæ vita quæ opera ipsius? respondit ille: nescio me unquam aliquid boni fecisse ac propterea ex cubili mane surgens antequam ad mei pensum laboris me collocem dico: Tota hæc Civitas cum universis incolis ingredietur regnum cælorum propter justitias suas, solus ego propter peccata ad infernum pœnas luiturus sempiternas præcipitabor. Hoc prima luce nocteque corde & ore confiteor. Miratus ac veneratus tantam humilitatem Antonius laudavit Dominum quod sibi heroicæ virtutis in illo homine monstravit exemplum. Confundit tumorem nostrum & Frater ille, qui cum fortuitò ad quandam agapen venisset mensæque cum cæteris manducaturus assedisset, indignantibus quibusdam ac exire jubentibus egressus, ab alijs mox revocatus cum quasnam sic tractatus volueret in mente sua cogitationes rogatus esset, respondit: *Posui in corde meo quod sim æqualis cani, qui dum pellitur fugit, dum vocatur revertitur.* Forsan sexus infirmior citius nos cumpunget & ad imitationem provocabit. S. Euphrasia Virgo Senatoris Romani Liciæ Præfecti Antigoni nomine filia sanguine, Cæsareo creta, in Monasterio quodam inferioris Thebaidis degens, nunquam præ reverentia aliarum sororum sedere visa. Omnibus famulatum exhibebat, vilissima quæque ad instar mediastinæ subibat munia. Eadem, cum Germana Monialis obscuris orta natalibus, convitijs & criminationibus affecisset innoxiam ambitionisque occultæ & calliditatis insimulasset, prostravit se ad pedes suæ persecutricis dicens: *ignosce mihi Domina & ora pro me.* Vide jam & fac secundùm exemplar quod tibi monstratum est.

In vitis PP.

In vita eiusdē

At humilitas, inquies, potest nonnunquam scandalo esse atque alienæ detrimentum salutis afferre; imò plerumque tumore superbiæ inficitur. Hinc D. Hieronymus monet Eustochium: *Nec satis religiosa velis videri, nec plus humilis quam necesse; ne gloriam fugiendo quæras. Plures enim paupertatis misericordiæ atq; jejunij arbitros declinantes,* *hoc ipso*

Prolepsis una

hoc ipso cupiunt placere quod contemnant. Et mirum in modum laus dum vitatur, appetitur. Quid igitur facto opus ne tanta virtus vel alijs noceat, vel in nobis ipsis propter coniunctionem arrogantiæ pereat? responsum accipe. Humilitas sicut & quævis alia virtus potissimùm in interioribus actibus & in electione mentis posita est. Secundùm hos nemo alteri ruinam spiritualem accersere potest. fictionem nesciunt, superbiam non admittunt. unde idem Hieronymus: *Celata,* inquit, *virtus & in conscientia sota secreto DEUM solum judicem respicit.* Externi porro actus fictionem habere possunt ut dum quis gestu compositione & reverentia humilitatem simulat, animo autem vel dolos nociturus fovet vel gloriam ambitione latenti aucupatur. Quare in externis actibus moderatio juxta dictamen rationis adhibenda ne vergant in detrimentum salutis alienæ juxta quod monet D. Augustinus Superiores non debere veniam à subditis petere ne dum nimium servatur humilitas regendi frangatur authoritas. Quod si aliquo faciente quod debet, ceteri sumant occasionem peccati, non curandum nec inde aliqua in animum admittenda anxietas. Tunc enim quamvis operans non scandaliset, alius imprudenter scandalisatur.

In Epitaph: Tabul:

Contemnar, ais, si humilis ero? hoc ipsum debueras appetere & toto desideriorum sinu anhelare. Contemni, nauci haberi, dishonorari, conculcari, nisi ex corde cupias, perfectionis culmen non attinges quod olim docuit Zacharias Anachorita detracto de capite cucullo eodemque conculcato aiens: *Nisi ita conculcatus fuerit homo, non potest Monachus esse.* Quod si contemptum horres, audi quid aureum illud os loquatur. *Non putemus nos delapsuros à nostra dignitate si nos ipsos humiliaverimus. Tunc enim meritò magis exaltari poterimus, tunc magis celebres fieri.* Æternæ veritatis propositio est: *Qui se exaltat humiliabitur.* Humilitas palma est symbolica, inclinata resurgit, quò profundius in terra radices agit, eò altiùs attollit ramos. Quò magis humiliatur, eo magis elevatur.

Altera.

In vitis PP. libro 5.

In Epistolā ad Philip:

Humiliemus igitur animas nostras sub manu DEI, quia humiles spiritu salvabit & exaltabit. *Exardesce contra te,* o homo! o religiose! *nec patiaris tumorem in te vivere, sed ita subiectum & parvulum te exhibe, ut omnes super te ambulare possint & sicut lutum platearum conculcare. Humiliatio tua in medio tui.* Si naturam spectes, cadaver es putridum, vas fætidum, esca vermium; si mores, cibus nunc ignium cōcupiscentiæ, futurus cibus ignium gehennæ, nisi misericors DEUS præservet. Quidquid boni est in nobis sive parvi, sive magni donum DEI est, nostrum verò nonnisi malum. Unde igitur gloriabitur omnis caro; nunquid de malo? hæc non est gloria, sed miseria. Nunquid de bono? *Tuum Domine, est bonum tua gloria, qui de bono tuo sibi gloriam quærit, hic fur est & latro & similis est diabolo, qui voluit furari gloriam tuam* ait D. Augustinus. De sui cognitione Mater salutis humilitas oritur. Nosce ergo teipsum. Nosce te abyssum tenebrosam, filium iræ, vas aptum in contumeliam, genitum per immunditiam, viventem in miseria, moriturum in angustia. Nosce te implicatum multis erroribus expositum mille periculis, mille timoribus trepidum, mille difficultatibus anxium, mille necessitatibus calamitosum, proclivem ad vitia invalidum ad virtutes. unde ergo tibi extollentia oculorum, unde levare caput?

Thomas à Kempis.

in solliloquiis.

S. Bernar: ser: 36. in Cant:

Proprij

Proprij defectus cognitio ut dixi ex S. Thoma, regula est nostri appetitus nè altiora se quęrat. Cum igitur senseris cor tuum elevari, reduc peccata tua præsertim maiora in memoriam & sic venenum veneno pelles quæ medicorum industria est, sic pavonum more respiciens in te quæ sunt turpiora rotam vanitatis dissipabis. Cum criminationibus, convitijs, maledictis & quibuscunque offensis impeteris, reflecte te in te ipsum & dic: *Quid sordide peccator potes contradicere exprobrantibus tibi qui toties* DEUM *offendisti & infernum multoties promeruisti.* Simia horret speculum ne videat turpitudinem suam. Camelus turbat aquam ne gibbum advertat. E contra tu frequenter speculum cordis tui introspicere debes, ut scias, quid desit tibi, ut videas deformitates tuas abominationes tuas ex quarum intuitu & consideratione te ipsum contemnas & contemni appetas; alios honores, æstimes & magnificias. Humiliemur itaq; iterum iterumq; moneo, sub potenti manu DEI humiliemur vera & cordiali humilitate. *Verus humilis* authore Bernardo *non quærit humilis prædicari, sed vilis reputari,* non quærit sibi placere sicut nec Christus sibi placuit, sed improperiū expectavit cor eius & miseriam. Absit, absit à nobis illa ad speciem humiliatio, rectius hypocrisis quam carpit scriptura: *Est qui nequiter se humiliat interiora autem eius plena sunt dolo.* Talis humilis lupus est ovinâ pelle contectus. Dæmon est in Angelum transfiguratus. Non est discipulus Christi humilis, sed Apostolus superbi Antichristi cum eodem dignam damnationem incursurus. Expectat eum gehenna debitis armata supplicijs. Veram, veram humilitatem, cordis humilitatē hanc amemus, super aurū & topazion diligamus, discamus studiosissimè, exerceamus frequentissimè ut ad maternitatis divinæ dignitatē & tandem ad æternę glorię felicitatem exaltemur.

Tho: à Kemp:



MANSVETVDO.

In Cœna Dni.

MAnsuetissimus Dominus, semper quidem, speciali tamen modo in transitu suo mansuetudinis reliquit insignia. Cum discipulis ad mensam amicè accubuit, suavissime collocutus, Judę hosti & proditori suo panem porrexit intinctum imò etiam sacratum, eidem jam in horto osculum præbuit, Malcho persecutori amputatam restituit auriculam, militibus se captivandi facultatem tribuit. Magna sunt hæc divinæ in Christo bonitatis indicia, sed illud maximum quòd eo tempore dum ipsi toto virium conatu, tormenta opprobria, virgas, cruces parabat mundus, ipse non ultionem at amorem immensum, beneficium beneficiorum, gratiam gratiarum, reposuit Sanctissimum Eucharistię SACRAMENTUM instituendo. In hoc omnes thesauros suos occuluit; hic divinitatem, hic humanitatis merita, hic animam, hic corpus recondidit, omnes suas perfectiones attributa miracula hic signavit ea liberalitate ut cui placuerit, quantum placuerit de hoc cęlesti gasophilatio accipere valeat si purus sit à peccati mortiferi labe & à rancore iracundiæ. *venite,* inquit, *ad me omnes, qui laboratis & onerati estis & ego reficiam vos,* re-

vos, refectione videlicet sacramentali. sed prius *discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Solis mitibus, qui & humiles corde solent esse esca Eucharistica conceditur, solis mitibus hoc divinitatis aperitur ærarium. Mansuetudo ergo disponit nos ad dignam mensæ divinæ communionem (ac uberem meritorum Christi ex ea participationem. De qua proinde instituendis disponendisque animis dicere aliqua proposui.

Natura & actus mansuetudinis. Mansuetudo est virtus inclinans hominem ad moderandos juxta dictamen rationis iræ motus. Graphicè describitur in Glossa super Mathæum mite ingenium: *Mitis est quem mentis asperitas seu amaritudo non afficit, sed simplicitas fidei ad omnem injustitiam patiendam instruit. Mitis est, qui non irritat nec irritatur non nocet nec nocere cogitat*, demum *mitis est*, *qui malis moribus dominatur.* ubi actus mansuetudinis perspicue datur intelligere: ne tamen unus confundatur cum altero, expressiùs eos libet ponere. Primum ex Sancto Ambrosio hunc assigno, *temperate ex causa irasci.* *Apud Laurent. à Ponte in Mathæum.* *Prudentis est*, ait ille, *iræ motus temperare, nec minus dicitur virtus temperate irasci quàm omnino non irasci, estque plurimum hoc levius illud fortius.* scilicet multo fortius est habita justa causa irasci cum moderamine, quam non habita justa, sed tantum apparenti, vel levi causa penitus non irasci. Alterum ex Doctore Angelico, *Apud eundē.* *etiam ex justa causa non irasci.* Verba sunt S. Doctoris: *Ille est mitis, qui non irascitur hoc autem potest fieri per virtutem ut quis non irascatur nisi ex justa causa, sed si habeas etiam justam causam & non provocaris, hoc est supra humanum modum.* ac si diceret: eximium & heroicum opus est, si quis etiam læsus etiam appetitus convitijs, aut quacunque rationabilem ansam habens irascendi non provocetur ad iracundiam. Jansenius mansuetudinis vult esse inprimis adversus Deum non indignari nec murmurare propter felices perversorum successus aut proprias adversitates. Deinde erga homines ita se gerere, ut vel taciturnitate, vel placida responsione vel malorum illatorum patienti tolerantia humana superetur improbitas. Neque enim ad mitem pertinet solùm, vindictam non quærere, sed etiam placida exterioris hominis suavitate utilem se & comem omnibus exhibere ut non modò non vincaris à malo sed ipsum quoque malum in bono vincas.

Arduitas mãsuetudinis. Excellentia virtutis de qua loquimur, vel ex ipsa claret obiecti arduitate, versatur namque circa iræ moderationem, quæ est maxima & effrenatissima passio faciens hominem à se alienum imò hominem lumine rationis præditum commutans in bestiam furore percitam. Unde S. Thomas inter omnes virtutes pravis resistentes affectionibus primatum attribuit mansuetudini ideo, quia hominem maximè facit sui compotem.

Christus ad mansuetudinem exemplo suò invitat. Elevat eandem ad præeminentiæ fastigium Magistri dignitas. Glos: super illud Math: *Discite à me, quia mitis sum. huius*, inquit, *virtutis quasi magnæ Magistrum se fecit Dominus quod non fecisset nisi una summæ perfectionis hæc esset virtus.* Tanti Magistri quàm sana & sancta doctrina! ideoque avidissimo intellectu & affectu haurienda cum præsertim magnum eam audientibus & implentibus proponatur præmium: *Beati mites, quia ipsi hæreditate possidebunt terram.* Quam terram? illam credo de qua in Psalmo dicitur: *spes mea es tu portio mea in terra viventium.* *S. Augustinus.* *Significat enim terra in sacris literis quandam soliditatem & stabilitatem hæreditatis perpetuæ, ubi anima per bonum affectum tanquam* *Mitibus terra promittitur.*

in loco

in loco suo requiescit, sicut corpus in terra & inde cibo suo alitur sicut corpus ex terra. Ita certe possidebit omnis mansuetus terram illam promissionis quam fundavit Deus super stabilitatem suam non inclinabitur in sęculum sęculi; possidebit tanquam hęreditatem propriam, sed olim post peractam hanc peregrinationem, nunc verò in tempore incolatûs mundani possidebit terram cordis sui juxta illud Proverb: 15. *qui acquiescit increpationibus possessor est cordis;* quia ut dixi ex S. Thoma Aquinate, *mansuetudo maximè facit hominem sui compotem.* Sed & terrena bona hęreditario jure possidenda sub typo terræ promittũtur mitibus. Benignis enim justum est ut tellus in concessione fructuum sit benigna. Et verò nemo rectiùs vocari potest possessor bonorum terrenorum quàm mansuetus. Mitibus suffragatur illud: *Tanquam nihil habentes & omnia possidentes.* ac si dicatur: videntur quidem nihil habere, revera tamen omnia possident. Mansueto homini totus mundus divitiarum est, totus mundus patria est totq; locis habet fundum, quot locis reperit amantes evangelicæ mansuetudinis atq; ex omnibus, quæ habet mundus voluptatẽ & fructum capit; cum è contra immitis & ferox nec hoc possideat quod habet. Audcter dico: Immiti tam deest quod habet quàm quod non habet. Quia licet multa habeat, plura tamen invidet & circa suas facultates ringitur, turbatur, rumpitur, plura & plura, appetit appetendo, congregat congregando, laborat sudat non quiescit omni egeno pauperior omni misero miserior, quia si quid non ad votum suum eveniat furijs agitatur & atra Tysiphone. Quàm verò validum est ad amorem hujus virtutis incentivum cordis requies quæ est quędam beatitudo viæ, pręgustatio æternæ jucunditatis pignus & arrha futuræ in cęlo pacis. Porro cordis requies certissimum est mansuetudinis in hac vita pręmium. Nam ut dixi mansuetus est possessor cordis. Et veritatis æternæ promissio fallere nequit. *Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde & invenietis requiem animabus vestris.* Ad rem Hugo Cardinalis. *Mansuetudo,* inquit, *est mollis in lecto conscientiæ culcitra ubi molliter & suaviter anima requiescit, quæ etiam lapides contumeliarum detractionum & injuriarum quarumcunq; sibi inflictos amplexatur & sine læsione recipit.* Quantum insuper est illud quod Deus singularem quandam benevolentiam & amorem frequenter in sacra scriptura contestatur & pollicetur mitibus: *Beneplacitum est Domino in populo suo & exaltavit mansuetos in salutem. dulcis & rectus Dominus diriget mansuetos in judicio. docebit mites vias suas. Abominatio est Domini omnis illusor ipse deludet illusores mansuetis autem dabit gratiam.* Insuper divina pietas eum qui iræ dominus fuerit hominibus reddit amabilem & gratiosum. *Fili mi in mansuetudine opera tua perfice & super gloriam hominum diligeris.* Tandem rigide zelat, severè vindicat omnes mitibus illatas injurias justitia Dei. Numerorum 12. Maria soror Moysi propter uxorem eius Æthiopissam murmuravit, quod solent religiosæ mulieres imò & religiosi viri, contra Moysen contemnensq; illum, dicebat! *Num per solum Moysen locutus est Dominus? nonne & nobis similiter est locutus?* Tacuit Moyses licet forte contumelia in aures & per aurium organa in cor intrasset. *Erat,* enim inquit Sacer textus, *vir mitissimus super omnes homines, qui morabantur in terra.* Impunè igitur abivit Mariæ stulta illa indignatio & exprobratio? minime. Surdus erat & elinguis Moyses ad detractionem

Quæ terra?

Iansenius à pud à Ponte.

Requies cordis propria mitibus.

Apud à Ponte in Mathæum.

Mites Deo & hominibus amabiles.

Psal: 149.
Psal: 24.
Proverb: 3.

Eccl: 3.

Deus ultaria iniuriarũ mãsuetis irrogatarum.

onem suo honori, suę famæ impactam, non surdus nec elinguis Deus. Statim namq; vocavit Moysen & Aaron & Mariam ad tabernaculum fœderis, ibiq; in ipso introitu in facie Moysis, Aaronē & Mariam durissimè corripuit: *Quare non timuistis detrahere servo meo Moysi?* iratusq; contra eos abijt & ecce Maria tanti mali dux fęmina apparuit candens leprâ quasi nix. Cumque deprecaretur pro ea Moyses: *obsecro Domine sana eam*, tanta constantia tuebatur honorem mansuetissimi servi ut absque pari pœna & confusione noluerit eam sanitati restituere: *Si Pater eius spuisset in faciem illius nonne debuerat saltem septem diebus rubore suffundi. Separetur ergo septem diebus extra castra & postea revocabitur. Hinc elucet*, ait à Ponte, *quantùm persecutores mansuetorum timere debeant. Nam quòd ipsi ad contumelias surdescant, Deus eas audit & in judicium se accingit dum ipsi victoriam non in repercussione, sed in passione reponunt.* Pręsto sunt & domestica rei huius exempla. Annales nostri memorant fratrem quemdam iniquas conglomerantem cogitationes contra Superiorem tandem & verba in eum furoris plena mordacesque comminationes fulminasse. Bilem contra bilem non evomuit offensus, placido pectore excepit ictum suavia aliquot in suæ charitatis testimonium reponendo verba. Aderat spectans ab alto Deus & vindictam adversus iniuriosum parabat quæ & brevi consecuta est. Nam furibundus ille dum pessimum non reprimeret affectum imò in pectore suo velut in fornace babilonica æstum nutriret iracundiæ, die altera guttâ capitis percussus in medio fratrum corruit semianimis, mutusque deinceps quoad vixit manens, manifestum ultionis divinæ pręsetulit posteris refrenandæ linguæ maledicæ argumentum. Inde forsan est quòd quia Deus, cui in pace factus est locus, in mansuetorum corde velut in suo sacrario suavissimè quiescit, & quia mansuetorum est tutor ac vindex zelosus, inde inquam est quòd mites dęmonibus terrori sint uti fuit Isidorus Abbas quem monstris infernalibus formidabilem dum mirarentur fratres atque admirationi interrogationem apponerent, respondit ille: *Ex quo factus sum Monachus statui apud me, ut iracundia extra guttur meum non procederet & ideo timent me dæmones.*

In vitis PP. lib: 4. author Pelagius.

Quod si dixeris: Ergo ne irascendum nunquam? utique Psaltes permittit irasci: *Irascimini & nolite peccare.* Ad hoc ego. Non laxare jubet fręna iracundiæ Propheta Domini dum ait: *Irascimini*, sed peccatis irasci mandat ut de cętero non peccetur. Ita exponit D. Augustinus & ex ipso contextu veritas expositionis liquet: S. Hieronymus id interpretans, *irasci*, inquit, *hominis est, iniuriam non facere iracundiam non fovere, Christiani.* Idem ad Castrinam hæc expressa habet: *Irascimini*, inquit David & *nolite peccare. Hoc quid velit intelligi Apostolus plenius interpretatur: Sol non occidat super iracundiam vestram. Quid agemus nos in die judicij super quorum iram non unius diei, sed plurium sol testis occubuit?* Peccatis ergo irascendum, aut certe si fervor passionis in iram exarserit, sine mora & non expectato mali incremento comprimendam eam esse monet vates Regius. Quare omnibus omnino compescendi iracundiæ motus, omnibus in fręno tenendi. Nemini adversus alterum deliberatè irasci licet, nisi cui ex officio incumbit defectus corrigere, evellere vitia, pravas consuetudines & inolitas inobservantias destruere, disperdere torpentem in servitio divino ignaviam,

Confes: lib: 9.

machina-

machinationes & quaſcunque doloſas artes pacis fraternæ turbatrices diſſipare; hic certe iraſci debet, *ſi dolor & bilis ſi juſta cogerit ira.* Juſta autem, imò juſtiſſima erit quoties in præfatis officij ſui partibus rigorem exerere continget. Neque id extra manſuetudinis fiet orbitam. Moderata namq; efferueſcentia qualem non modo honeſtam, ſed & neceſſariam in poteſtatem habente adſtruo, maioris fortitudinis maioriſque meriti eſt quàm omnimoda iræ coërcitio.

Quorſum hæc omnia? ſcilicet *ut veteri rancore depoſito mundum pectoris* DEO *paremus habitaculum*, aio cum S. Hieronymo ad Materteram: & ut qui frequentes ac fermè quotidiani ſumus in uſu ſanctiſſimi SACRAMENTI, eam diſcamus virtutem ſine qua quiſquis menſæ accumbit Angelicæ judicium ſibi manducat & bibit. Non abſque myſtica cauſa SACRAMENTUM hoc in latina Eccleſia conficitur in pane aſymo haud in fermentato. Fermentum rancorem animi ſignificat. ſicut enim hoc totam cui inijcitur farinæ maſſam aceſcere & commoveri facit, ita iræ paſſio acidam inſipidam amarulentam reddit animam & nimium commovet. & ideo quem ira videmus alteratum, in fermento eſſe dicimus. Fermentum ergo excluditur à materia Sacramenti huius, (quamquam in græca alio myſterio adhibetur.) ne in fermento malitiæ & nequitiæ, ne in amaritudine animi ſumatur. Agnus eſt, qui manducatur manſuetus, & manducantes eſſe agnos convenit. Arcetur à nuptiali epulo ac repotijs toga lacera lutulenta corroſa à blattis: nec ad divinum convivium admittitur, qui ſordibus infectam & à tinea conſciſſam portat cōſcientiæ veſtem. Quid ſimilius tineæ quam ira? tinea ex illo ipſo panno quem rodit naſcitur: & ira ex nobis ipſis gignitur quos tamen rodit imò conſumit non ſolum animam perforando, ſed etiam vitam temporalem abſumendo. *Ira enim & zelus imminuent dies*, ait Eccleſiaſtes. Solis manſvetis panem hunc manducare integrum eſt: *manducaverunt & adoraverunt omnes pingues terræ*, hoc eſt pingues ſpiritu poſſeſſores terræ, qui manſueti ſunt juxta dicta. His ſolis conceſſum manducare & quod manducauerunt adorare non communem utique panem, ſed eum cui cultus latriæ ob intro contentam divinitatem debetur. Vitis in ulmo cum duobus botris quos duæ manus in calicem exprimunt cum lemmate: *Inſontibus*, eſt ænigmatica repręſentatio Sanctiſſimi SACRAMENTI. Quid eſt inſontibus? Innocentibus, manſuetis, qui nimirum juxta Gloſſam ad initium relatam non nocent neque nocere cogitant, his ſolis calix Euchariſticus ex duobus botris, botro corporis & ſanguinis confectus offertur, his ſolis ſimpullum cum vino non herbis, ſed verbis condito pręparatum eſt. Cibus in cholera ſumptus toxicum eſt, vinum venenū eſt: & epulum poculumque Euchariſticum aconitum eſt bilioſo & felle amaritudinis obvoluto homini ut agnovit Judas, qui buccella accepta intoxicatus ita intumuit ut crepare debuerit. Sepoſita itaque omni ad invicem ſimultate, reconcilitatis animis toti ad manſuetudinem compoſiti toti in agnos deſiderabili metamorphoſi commutati accedamus ad menſam divinā nobis propoſitam. nec hodie ſolum ſic inſtructi, ſic diſpoſiti, ſed ſemper accedamus. Promiſiſti Domine mitibus terram, en ſupplices tibi proſternimur non iram non minas non furorem ſpirantes, ſed placido animo, obliviofo injuriarum pectore, redintegrata charitate: da igitur quod promiſiſti, ſi nos fecimus quod juſſiſti. da terram, ſed terram ſanctam,


Cur in azymo pane Euchariſtia cōficitur.

Typotius.

ctam, sed terram benedictam, terram promissionis lacte & melle cœlestium consolationum manantem, tuum videlicet corpus sacratissimum de terrena formatum materia, sumptum de Virgine Beatissima de terra illa quam benedixisti & à qua captivitatem Jacob avertisti. Quodsi necdum in corde nostro propter aliquam amaritudinem dignum reperis habitaculum tu prępara, perfice, exorna. *Evelle à nobis animi rancorem & da mitis mentis dulcedinem.* fac ut in mansuetudine servemus animas nostras & demus illis honorem secundùm meritum suum. Nos vero benedicemus te Dominum in omni tempore, semper laus tua in ore nostro. In Domino laudabitur anima nostra: audient mansueti & lętabuntur.

S. August:

Ecclesiasti: 10.



MAGNANIMITAS
ET SANCTITAS.

S. Thomas.

S. Chrysost:

I*Mmensa Divinæ largitatis beneficia exhibita populo christiano inæstimabilem ei conferunt dignitatem. Unigenitus siquidem* D E I *Filius factus est homo ut homines Deos faceret.* Frater noster fieri voluit, carni & sanguini propter nos communicavit: vicissim ipsam carnem & sanguinem, per quæ cognatus noster factus est nobis in cibum & potum tradidit. Communis hæc dignitas, est omnium prorsus corona fidelium! Quid dicam de Sacerdotibus? qualem & quantam in ipsis venerabor sublimitatem? illis hodie dictum: *Hoc facite in meam commemorationem.* Et: *Hæc quotiescunq; feceritis, in mei memoriam facietis.* Quibus verbis personæ suæ eos surrogavit Christus, omnipotentes quodammodo effecit, communicata ipsis conficiendi corporis & sanguinis sui potestate, ministros & dispensatores mysteriorum suorum creavit, mediatores & sequestros inter DEUM & hominem constituit. *Salvator noster aliquando nos sermonibus aliquando operibus admonet, quia ipsa eius facta pręcepta sunt.* Quid ergo monet per hoc quod nos ad tanti fastigium status sublimavit. Monet ut sicut dignitate, ita & vivendi sanctimonia cęteros pręcedamus. *Videte*, inquit Apostolus, *vocationem vestram.* ac si diceret: nunquam vita adęquabitur vocationi nostræ, nunquam mores congruent statui nisi sępe sępius recogitetis ad quantum gratia divina vos provexit honorem? Quòd si densa vitiorum caligo ita intellectum nostrum terrenis immersum obtenebravit ut neque nos ipsos hoc est nostri excellentiam statûs nosse valeamus, verbum DEI ex scripturis & Sanctis Patribus desumptum fiet nobis lucerna ad cognoscendam initiationis nostræ sacerdotalis eminentiam & ad accendendum in pectoribus nostris amorem sanctitatis.

Dignitas sacerdotalis maior regali & imperatoria dignitate.

Divus Chrysostomus eximius Sacerdotij pręco quęrit quoto in ordine collocandus sit Presbyter. *Cum sacrificium,* verba sunt Doctoris pręfati, *horrore & reverentia plenissimum perfecerit communi omnium Domino assidue manibus pertractato, quęro ex te quoto illum in ordine*

colloca-

collocabimus? Supremus in humanis ordo est Imperatorum & Regum. Dicerem ego hoc in ordine ponendos Sacerdotes & aliquid magnum me dixisse arbitrarer, nisi D. Ambrosius obsisteret qui ait: *Si regum fulgori & Principum diademati sublimitatem compares Sacerdotum, longè erit inferiùs quàm si plumbi metallum ad auri fulgorem compares, quippe cum videas regum colla & Principum submitti Sacerdotum genibus.* Si imperialis celsitudo sacerdotali ancillatur prerogativæ, profectò hæc nullam in terris nancisci potest sublimitatem æmulam. Ad celum ergo parilis inter creatas dignitates excellentiæ quesiturus conditionem ascendam. Isaiæ 6. visio mirabilis describitur. *Volavit ad me* (ait Propheta) *unus de Seraphin & in manu eius calculus quem forcipe tulerat de altari & tetigit os meum & dixit: Ecce tetigit hoc labia tua & auferetur iniquitas tua & peccatum tuum mundabitur.* Quot verba tot sacramenta. Calculus hic ignitus seu ut volunt 70. carbunculus, est Sacratissima Eucharistia ardentissimos divini amoris eiaculans radios: cuius videlicet effectus proprius auferre iniquitatem & peccatum nostrũ mundare. Altare Christus in quo & ex quo hic accipitur carbunculus. Forceps instrumentum ex duobus ferreis dentibus secum connexis ad aliquid firmissimè stringendum, designat intellectum & voluntatem facultates secum unius vinculo substantiæ coherentes. His firmissimè strinxit Seraph calculum & sua actione velut manu quadam ad labia Isaiæ quodammodo eum communicans applicavit. Sed quare Seraph ad huius ministeriũ officij adhibetur? quare non ex inferiori choro Angelus? ut nimirum discas, te qui de altari carbonem ignitum sacrosanctę Eucharistiæ accipis & tuo vel alieno ori applicas, te inquam non de quocunq; ordine Angelũ sed unum de Seraphim esse. Visionẽ visio consequatur & altera firmet alterius veritatem. Apoc: 22. hoc est ultimo capite post factam sibi revelationẽ futurorũ eventuum in Ecclesia Christi, voluit B. Joannes gratum testificaturus animum humili gestu & religioso duliæ cultu adorare Angelum interpretem mysteriorum quæ videbat. *Cecidi ut adorarem ante pedes Angeli.* Cecidi, id est consensi, decrevi eum adorare. Angelus recusat honorem: *Vide ne feceris.* Cur id? certè Angelus hic ex supremis spiritibus fuisse censendus est, cur ergo detrectat ab homine quam ab inferioribus acceptaret reverentiam. Nunquid novum nec unquam usitatum celestibus genijs divinos ab hominibus excipere honores? Illos & minimè quidem renitentes prostrationibus aliovè id genus culto Abraham Loth Josue ac ceteri viri pijssimi venerati. Mirum sane quod ab eiusdem venerationis officio Joannes impediatur. S. Thomas opusculo 8. dicit adoratos olim ab hominibus Angelos & non è contra, id ẽ, propterea quia maior erat Angelus homine, maior propter dignitatem, maior propter familiaritatem cum DEO, maior propter plenitudinem splendoris gratiæ divinæ. Quia itaq; à Joanne, adorari renuit Angelus, eò ipso fatetur se non esse majorẽ Joanne, sed parem: *Conservus tuus sum.* At quid illud queso est, quod Patmeum vatem celiti æquavit spiritui? Equidem non communio in servitio DEI, quia etiam Gedeon alijque Patres antiqui communicabant cum Angelis in famulatu divino & tamen hi tanquam maiores religiosissimè ab illis colebantur. Reminiscor sanctissimum hunc vatem initio suæ Apocalipsis gratias egisse Christo pro Sacerdotij munere: *Fecit nos regnum & sacerdotes DEO & Patri suo ipsi gloria & imperium in secula secu-*

Par Seraphinis & supremis Angelis.

Apocalipsis 1.

la sæculorum Amen. quod non de spirituali, sed de ordinario & Sacramentali Sacerdotio intelligi volunt plerique Expositores. Hoc igitur est quod coęquavit Beatum Joannem supremo spiritui: hoc supra hominem extulit & parem Angelico pręstitit ministerio. Jam si, ut claret ex adductis, sacerdotum authoritas par dignitati mentium supernarum, videntur meritò in illarum ordine collocandi. At hic etiam est, qui se opponat. Bernardus mellifluus audet pręferre maiestatem Sacerdotij omni Angelicæ sublimitati. *O præclara!* ait ille, *o veneranda potestas vestra Sacerdotes! Certe non est potestas post* DEUM *sicut potestas vestra. Quantam dignitatem contulit vobis* DEUS, *quanta est prętogativa Ordinis vestri? Prętulit vos* DEUS *Regibus & Imperatoribus, prętulit ordinem vestrum omnibus ordinibus, imo ut altius loquar prętulit vos Angelis & Archangelis Thronis & Dominationibus. Sicut enim non Angelos, sed semen Abrahæ apprehendit ad faciendam redemptionem: sic non Angelis, sed hominibus solisq́, sacerdotibus Dominici corporis & sanguinis commisit consecrationem.* Cui ergo comparabo te vel cui assimilabo te regale Sacerdotium? Prorsus imcomparabilis maiestas tua si verum est quod asseruit Ambrosius: *Honor & sublimitas sacerdotalis nullis poterit comparationibus adæquari.* O venerandam! o superexcellentem dignitatem nostram! & quæ nullum ordinem in quo sit reponenda invenire valet.

imò maior.

Cur ista replicaverim sequens sermo monstrabit. Grandis dignitas Sacerdotum, sed etiam grandis ruina si peccent. Cui plus datum, plus ab eo exigitur. Terribile est illud quod D. Chrysostomus ait: *Non arbitror inter Sacerdotes multos esse qui salvi fiant, sed multo plures, qui pereant.* statimque dat rationem: *quoniam res excelsum requirit animum.* idem est dicere: Meo judicio plures damnabuntur Sacerdotes quàm salvabuntur idque propterea, quia ob status sui sublimitatem, ob sacrificij quod offerunt infinitam maiestatem, ob vicariam divinitatis potestatem cum deberent se ad magna, sancta, cęlestia erigere & pro vocationis suæ qualitate vitam ducere angelicam, illi gerris jocisque puerilibus, ac rebus indignis, quæ etiam hominibus de trivio pudori essent sese occupant & immergunt. Excelsum ergo animum, verbo, magnanimitatem habeat necesse est, si dignè iuxta vocationem suam ambulare Sacerdos velit. Necessaria illi virtus quæ aut magnos facit aut invenit: virtus inclinans ad ea quibus eximius honor debetur: virtus cuius proprietas hominem movere ut se gerat secundùm donorum divinorum quæ habet eminentiam, utque dedignetur eos qui gratijs divinis abutuntur. *Magnamini enim est non ita appretiare quempiam ut in eius gratiam quidquam indecens faciat.* ad instar illius de quo Psaltes: *Ad nihilum deductus est in conspectu eius malignus.* Neque excelsa hæc virtus cum humilitatis pugnat conditione, cum virtutes omnes quasi ansulis quibusdam sibimet annexis concatenatæ sint. Illa namque respicit dona DEI & secundùm ea hominem æstimat; humilitas verò proprios attendit defectus. Humilis igitur simulque magnanimus ille erit qui se ad alta urget, semper tamen indignum ac inutilem se credens atq; consitens. Nec tibi subrepat ex eo quod dixi magnanimitatem ea sectari quibus magnus honor debetur, non inquam subrepat tibi quasi virtus hæc honores quadam deordinatione accupetur sicque in ambitionem

Status Sacerdotalis sublimitas, requirit magnanimitatem.

Magnanimitas quid?

S.Thomas 2.2. q. 129.

Non pugnat cum humilitate.

quæ est

quæ eſt appetitus inordinatus honoris degeneret. Enimverò honorem qui ab hominibus impenditur, tanquam inſtabilem & plerumque fallacem & fucatum generoſo contemnit ſpiritu, à DEO qui ſolus virtutem ſufficienter honorare & pręmiare valet condignam expectando remunerationem. Unde & Philoſophus 4. Ethic: de magnanimo aſſerit quòd non ſit ei cura ut laudetur, magiſque veritatem quàm opinionem curet, & quòd dehonorationes tanquam indigne ſibi illatas flocci pendat nec eis frangatur. Hæc docendi cauſa prolocutus ſum ne in excelſi animi ſtudio errare contingat.

Hîc mihi quiſpiam ad alia properanti occurrat rogans quęnam amabo ſunt illa magna ad quæ nos extendere debeamus? Mundum fabricare, viſibilia & inviſibilia creare, in ipſo mundo mirabilia facere & mortuos ſuſcitare, magna ſunt, excelſa ſunt; at non noſtræ poteſtatis non noſtræ activitatis. creatrix omnipotentia, hæc in ſuis ſignavit theſauris. Nec ego iſta magna ſomnio. de alijs mihi ſermo eſt ad quæ nobis facultas conceſſa. Levitici 21. Sacerdoti lex poſita: *De ſanctis non egredietur & non polluet ſanctificationem* DEI *ſui.* Ego inquit Hieronymus, *ſi fecero, ſi dixero quidpiam quod reprehenſione dignum eſt, de ſanctis egredior & polluo vocabulum Chriſti in quo mihi blandior: quantò magis Pontifex & Epiſcopus quem oportet ſine crimine eſſe, tantarumq; virtutum ut ſemper moretur in ſanctis & paratus ſit offerre victimas pro populo ſequeſter* DEI *& hominum & carnes Agni ſacro ore conficiens.* Idem, ornatum ſummi Sacerdotis & tintinnabulorū à fimbrijs veſtis hiacynthinæ dependentiam ad mores applicans, ait: *Talis debet eſſe ſcientia & ſanctitas Sacerdotis* DEI *ut greſſus eius & motus & univerſa vocalia ſint. Quidquid agit quidquid loquitur ſit doctrina populorum.* Hæc ſunt magna quæ proſequi obligamur, hæc ſunt excelſa ad quæ niti tenemur: de ſanctis nunquam ingredi, nunquam aut verbo aut cogitatu, aut opere nomen & ſtatum polluere ſanctitatis, omnibus actibus, motibus, ipſo denique greſſu gloriam amoremque DEI reſonare. de ſanctis nunquam egredi. hoc eſt, nunquam creaturis rebuſq; terrenis miſceri ſed ſoli DEO firmiſſimè inhęrere quæ duo ad ſanctitatem requiruntur. ſanctitatis nimirum eſt natura, ut mentem noſtram DEO firmiter applicet, quod non faciet niſi prius eandem à rebus inferioribus abſtraxerit. Et hæc abſtractio mundam mentem noſtram reddit. Quælibet namque res ex immiſtione deterioris, ſordeſcit & maculatur. Sic videmus argentum ex admiſtione plumbi, vilitatem & deformitatem contrahere; aquam limpidam ex admiſtione terræ ſordidari; aërem purum ex admixtione fumi obnubilari, oleum per amurcam, vinum per fæces commotas & quemvis perſpicuum liquorem craſſioris agitatione ſedimenti turbidum reddi. Quare munditia & firmitas duo hæc, ſanctitatis complent perfectionem; munditia collocatur in obiectione terrenorum, firmitas in adhęſione ad DEUM ſtabili & perpetua. Munditia ſignificatur per gręcum vocabulum *agios* hoc eſt ſine terra, firmitas per latinum. ſanctum enim & firmum pro eodem à latinis ſumitur: munditia res terrenas ſordibus & fęculentijs plenas à quibus animum ſegregat, reſpicit; firmitas DEUM tanquam ultimum finem & primum principium, quæ ſunt maximè immobilia. In hoc ergò excelſum animum exigit dignitas ſacerdotum, ne ſe amore creatarum rerum contaminent

Ad quænam. magna debet ſe extendere ſacerdotij ſtatus.

S. Thomas.

Sãctitatis cõſtitutiva.

verùm id totum quidquid eſt infra Deum magno ſpiritu abijciant & ſoli Creatori mundiſſima mente coniungantur. Quod ipſum plenius planiuſque demonſtrant ſuadentque ſcripturæ.

Sanctitatem Sacerdotibus ſuadent ſcripturæ.

Exodi 3tio Moyſi viſuro ardentem nec deficientem rubum atque ad viſionem hanc magnam appropinquare paranti præcipitur ut deponat calceamenta de pedibus. *Solve calceamentum de pedibus tuis.* Cur ita? Tutius erat Moyſi calceatis ire ad rubum pedibus ne pungeretur; tutius ad ignem, ne adureretur. Per pedes, affectus animæ deſignantur, quia quemadmodum corpus pedibus ita anima movetur affectibus. Per calceamentum deſignatur ſenſualitas noſtra: ſicut enim pedes teguntur calceamentis ita anima veſtitur & contegitur ſenſualitate & ſicut pes totus in ocrea, ſic tota anima immerſa materialitati ut omnis eius motio omnis operatio pendeat à ſenſibus. Calceis ſordes & pulveres adhærere ſolent: nec minùs animalitas noſtra & appetitus ſenſitivus maculas conſuevit trahere. Appropiaturus ergo Moyſes rubo ardenti deponere jubetur perones hoc eſt, ait Ambroſius, *detritæ & popularis vitæ pulverem abijcere.* ſeu, verbis Apoſtolicis loquendo, *hominem veterem* nimirum animalem *cum actibus ſuis exuere.* Idem Moyſes mandatum accepit à Domino ut montem cum Sacerdotibus aſcenderet, populus autem deorſum ſtaret. Quorſum iſta? ſcilicet ut noveris, te qui ad rubum ardentem Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ſæpius accedis, qui ad ignẽ conſumentem quotidie appropias, debere exui carnem cum vitijs & concupiſcentijs ſuis, animalitatem cum inquinamentis ſuis. Doceris prætera ut cum Moyſe montem aſcendas contemplationis, montem perfectionis, montem in quo cum Deo conjungaris à populi contubernio ſeiunctus. *Vides,* D. Ambroſij verba ſunt, *vides in Sacerdote nihil plebeium requiri, nihil populare, nihil commune cum ſtudio atq; uſu & moribus multitudinis. Sobriam gravitatem, ſeriam vitam, ſingulare pondus dignitas ſibi vendicat ſacerdotalis. Quomodo enim obſervari poteſt à populo, diſpar à multitudine? Qui etenim in te miretur ſi tua in ſe recognoſcat? ſi nihil in te aſpiciat quod ultra in ſe non inveniat, ſi quæ in ſe erubeſcit, in te quem reverendum arbitratur offendit?* En conſpicis qua & quali ſanctitate nitere & eminere debent ſacerdotes dum jubemur calceamentum ponere, in carne non ſecundum carnem ambulare, mentem ſuam à terrenis, à ſenſualibus actibus & cogitationibus velut quibuſdam mortuorum animalium pellibus abſtrahere, dum jubentur à vulgo ſegregari & Domino in monte firma charitatis compage uniri. Sanctitatem dilecti ſui commendans ſponſa eboris utitur ſimilitudine: *Venter tuus eburneus diſtinctus ſaphiris.* Per ventrem mens intelligitur ab interpretibus. Et rectè. ſicut enim venter cibos demiſſos colligit, ita mens notitias rerum recipit. digerit venter & ſecernit purum ab impuro, ſubſtantiale à non ſubſtantiali, fæces & excrementa emittit: pari modo mens dijudicat rerum ſubſtantias, ſanam doctrinam retinet, falſam abijcit. Quare autem mens Chriſti eburnea appellatur? In ebore duo ſunt: candor, unde quidquid candidum eſt eleganti metaphora eburneum vocatur, eburnea manus, eburnea colla, eburneum corpus. *Talis eras,* canit Poeta, *modò tonſe Pelops poſitiſq; nitebas crinibus ut totum Sponſa videret ebur.* ſoliditas: nam ex ebore, dente nimirum Elephantis variæ pyxides, variæ dolandi artificio formantur figuræ. Mens ergo Chriſti Domini eburnea

Canticorum 5.

Martialis.

eburnea dicitur ad ostendendam ipsius puritatem simulque firmitatem in prędicatione veritatis ac in operibus redemptionis. Quęrit Pannonius an hęc nobis etiam conveniant, respondetque affirmativè. Enimverò *qui naturam in se divinam morum imitatione assumere nituntur, mentem oportet habeāt eburneā.* subscribo & ego. Sāčti sumus, sanctificavit nos Dominus manibus Episcoporū ad sacrificia sibi offerenda, ad interpellandū pro populo, ad ligandas solvendasque humanas conscientias, unxit nos oleo Spiritûs Sancti, fecit vicarios Unigeniti sui. sicut proinde hic ventrem possedit eburneum, ita nos munditiem cordis & firmitatem in coniunctione ad DEUM, eboris imitati naturam servare necesse habemus.

Etiam in veteri testamento mundum cor ad ministerium arcæ non habere, exitiale fuit. Bethsamitæ videntes Arcam Domini timuerunt valde dicebantque. *Quis poterit stare in conspectu Domini DEI sancti huius?* Oseas quia eandem calcitrantibus bobus ne decideret fulcire volens non satis mundus tetigit, mortuus est. Ophni & Phinees lib:dinosi sacerdotes ad eandem ministrantes miserè perierunt. Philistęi ob curiosam inspectionem subitanea interitione deleti. Quare id? ut discamus quanti piaculi simul & periculi res sit, indignè tractare aut sumere sacraquanti piaculi simul & periculi res sit, indignè tractare aut sumere sacratissimum Christi corpus in hostia salutari, cuius typum sic DEUS magnificavit, sic sublimavit, sic vindicavit. *Væ sacrilegis manibus, væ immundis pectoribus, immundorum sacerdotum à quibus tam insolenter quotidie tangitur & suscipitur? si talis ultio in umbra qualis fiet in veritate?* Quapropter pij monitoris officio clamat Apostolus: *Probet seipsum homo & sic de pane illo edat.* quasi dicat: Examinet se sicut examinatur aurum, probet sicut probatur aurum. per ignem probatur aurum num sit purum an forte alicuius inferioris metalli admistione adulteratum; sic & homo examinare se debet in foco divinæ dilectionis an non sit aliquid quod de terrenis quisquilijs suæ cohęreat menti?

Exempla veteris testamenti.

Thomas à Villa nova Conc: 3. de Eucharistia.

Multas causas habent Sacerdotes, quæ in ipsis requirunt excelsum animum, non exiguam sanctitatem, puritatem summam; at sufficit sacrificij incruenti maiestas ad quod celebrandum unctione Episcopali, veriùs divina ordinati sunt. Sivè enim expendamus supremam offerentis Christi dignitatem, sivè ipsius mysterij magnitudinem hostięque oblatæ excellentiam, sivè illam cui offertur DEI Maiestatem, sivè illius quâ offertur actionis inæstimabile pretium, sivè illorum pro quibus offertur necessitatem ac fructum incredibilem, omnia prorsus in hoc mysterio summa excellentissima dignissima sunt ut Angelicam magis quam humanam puritatem sanctitatemque exigere videantur. *Quo non oportet esse puriorem,* ait Chrysostomus, *tali fruentem sacrificio, quo solari radio non splendidiorem manum carnem hanc dividentem, os quod igni spirituali repletur, linguam quæ tremendo nimis sanguine rubescit? Qualis putas* inquit idem, *in Sacerdotibus puritas spiritus, devotio mentis, reverentia animi & corporis requiritur intra sacrificium, ubi Christus ipse adest, Christus immolatur, ideoq; per id tempus & Angeli Sacerdoti adstant & cælestium potestatum universus ordo clamores excitat & locus altari vicinus plenus est Angelorum choris in honorem illius, qui immolatur.* Miratur Asceta quidam quomodo homo sanæ pręsentisque mentis hoc in loco officioque, torpere possit aut cum levi etiam imperfectione maculave non vereatur ad hoc mysterium accedere. Ad ineffabilem oblationis dignitatem

Causæ moventes seu motiva sanctitatis in sacerdotibus. 1mùm.

Masenius in Exerc: spiritualibus. 2dùm.

gnitatem respiciebat D. Hieronymus instruens Presbyterum eiusmodi cō-monitione. *Ad altare Christi quasi virgo de thalamo procedas.* Virgo antequam de thalamo in publicum prodeat multum tempus insumit ad speculum ornando comendo crispando seipsam, nativum adstititio auctura decorem; polire faciem purpurisso, cerussa ora depingere, ornare crinem & alienis capillis turritum verticem struere tota illi cura est. Adhibet ornatui candorem, gemmarum rubri maris profunda testantium, adhibet pretiosa monilia & graves censibus uniones. Assumit vestimēta sine ruga, soccos crispantes & peregrini muris olentes pelliculas. Huius porro laboris pretijque non alius finis nisi ut oculos & suspiria trahat post se adolescentū. O si ex consilio Hieronymi imitaremur, quanto fructuosius divinis placeremus oculis! Hei mihi quod olim mulieres stabunt in tremendo Dei judicio contra nos, quia illæ ut humanos ad se attraherēt obtutus prudētiores & studiosiores erant in cultura corporis, quàm nos in cultura cordis! Fundebat uberes lachrymas B. Nōnus Episcopus ex occasione Pelagiæ quàm viderat ornatissimam dicebatque gravidà fletu voce: *Ignosce mihi Domine Iesu Christe, quia unius diei ornatus meretricis superavit ornatum animæ meæ. Væ mihi quoniam ante altare tuum assisto & non offero pulchram animam qualem expetis à me. Illa promisit placere hominibus & fecit. Ego promisi placere tibi & mentitus sum propter pigritiam meam.* Si sanctissimum virum confudit mundus muliebris pretiosus & exquisitus copiosas attonito excutiens lachrymas; profectò nos justiori titulo in lamenta & singultus prorumpere debemus eò quod videamus mulieres cum tanti jactura temporis seipsas polire & ornare propter cordis humani aucupium atque oculorum fascinationem, nobis ut in Dei oculis gratiam inveniamus, cultum animæ negligentibus. Non sumus pueri illi non à Nabuchodonosor, sed ab omnipotenti Numine in ministerium suum assumpti ut adstemus in conspectu eius. Nos animæ illæ Gynęcei cęlestis quæ non uno anno at toto vitæ tempore venustati studere atque pigmentis & suaveolentibus virtutum aromatibus pulchritudinem conquirere jubemur in gratiam supremi terrarum cęlorumque Principis ad cuius complexum toties admittimur. Nos Reginæ a dextris divinis assistentes. Quanto igitur studio in id intendendum ut non modo nulla in nobis appareat macula, verum etiam omni ornamentorum spiritualium apparatu & gratiosa varietate circumdati in vestitu deaurato charitatis semper fulgeamus. Quid B. Franciscum ne sacerdotio fungeretur deterruit nisi summa puritas, quam in Sacerdote requiri visione edoctus angelica. Angelus namque de statu Sacerdotali amplectendo deliberanti monstravit ampullam crystallinam liquore plenam limpidissimo dicens: *sic purus esse debet, qui sacra celebraturus est.* Et ut antiquiora memorem quid causæ fuit quod Daniel Abbas Presbyter alioqui ordinatus nunquam liturgiam fecerit, nisi debita tanto sacrificio ab omni prorsus labe immunitas? Quid Isaacum de quo Rufinus, impulit ut honorem Presbyterij varijs sese abdens latebris fugeret donec mirabiliter proderetur? quid Theodorum Diaconum ne in suo ordine ministraret? Equidem rara & insignis sanctitas ad altaris ministerium necessaria. Matthois quoque factus Presbyter nunquam ausus oblationem consecrare quippe qui diceret eorum id esse officium qui sine querela vivunt. Pachomius vir ille sanctissimus ne ab Athanasio ordinaretur inter:

Ad Rusticum.

In vita Pelagiæ.

Cassianus Coll: 4.

In vitis PP. lib: 5.

tur inter Monachos ſeſe occuluit. Longum eſſet aliorum retexere indicem qui ſacris initiari noluerunt ordinibus ne aliquando indignè tremendum tractantes myſterium grandem incurrerent damnationem.

Univerſa hæc ideo dicta ac repetita ſunt ut quia vocati ſumus à DEO tanquam Aaron, puritatem vitæ & morum ſanctimoniam indefeſſo quæramus & cuſtodiamus animo: ut induamur juſtitiam: ut ſancti, innocentes, impolluti, ſegregati à peccatoribus & ipſis excelſiores fiamus cælis. Verum quidem eſt quòd neceſſe ſit de mundano pulvere etiam religioſa corda ſordeſcere, laborandum nihilominus ut ubi primum aliquid in pectoris noſtri ſacrario de terrenis immunditijs adverterimus, protinus eijciatur. Quod quidem certò certiùs nos curaturos & DEO propitio obtenturos ſpondeo, ſi modo quod initio monui, vocationis noſtræ ſublimitatem & tremendi ſacrificij ad quod offerendum initiati ſumus maieſtatem frequenter recolamus. Aaronem depictum cum thuribulo adiecta admirationis teſſera: *Quo ſum vocatus?* non picta exprimebat imitatione Joannes Medices Presbyter Cardinalis eo Symbolo ad ſplendorem morum ſe perurgendo. Idem nos identidem mente oreque revolvere non gravemur *quò ſum vocatus*, ad quàm ſublimem ſtatum, ad quàm excelſum officium, ad quàm formidabile miniſterium, ſi ſanctitatem quæ noſtram deceat dignitatem, combibere geſtimus. *Typotius.*

Cogita ergò ô Sacerdos DEI altiſſimi quali ſis inſignitus honore quali menſa fruaris? *Agnoſce dignitatem tuam & in veterem vilitatem degeneri converſatione redire noli.* Conſidera Sacerdotium tuum regno venerabilius maiuſque eſſe: quanto anima corpore nobilior, tanto dignitatem tuam Imperatoria amplitudine excellentiorem: perpende ipſis etiam cęlorum ſublimitatibus celſitudinem tuam ſublimiorem, nec prorſus eſſe vel in cęlo vel in terra cui tua valeat exæquari pręrogativa. Et ex hac conſideratione excelſum concipe animum, virtute magnanimitatis ad auguſta ad paria ſtatui tuo te extende ut magnis, perfectis, ſublimiter ſanctis te dignifices; viles porro & agreſtes animas quæ ranarum inſtar illud coaxant: *Mihi terra lacuſq;* averſeris neque in gratiam earum quidquam indecens facere inducas in animum. *Nolo habeas illarum conſortium, diſce in hac parte ſuperbiam ſanctam, ſcito te illis meliorem.* *Hieronym: ad Euſtochium.* Magna ſublimitas, magnam debet habere cautelam: grandis honor grandiori debet ſolicitudine circumvallari. Memento te è Sanctis nunquam egredi debere, nunquam ſanctificationem tuam polluere. Sancta anima tua, quia ſacrarium Dei; ne ergo polluas! Sanctū corpus quia templum Spiritus Sancti; ne inquines! Sanctificatæ manus tuæ per conſecrationem & per attactum Chriſti; cave illas ſordidare! *parce pias ſcelerare manus.* *Virg:* Sanctificatum os tuum per baſiationes & manducationes filij Dei; ne ergo illud obſcęnorum verborum, detractionum, murmuris ſcurilitatis & omnis quicunque ad rem non pertinet ſermonis eructatione commacules! *Diſce verecundo ſanctius ore loqui.* *Martialis.* Denique totus es ſanctificatus per introſumptionem cęleſtis alimoniæ, attende ut ſanctificationem cuſtodias, ne ſi incautus amittas, pro benedictione & ſanctificatione maledictio ſicut oleum intret in interiora tua. *Sit procul omne ſcelus tam ſancto à munere cura.* *Maſenius.* Quare ſi quando amor terrenæ dulcedinis te titillet, dic: ad maiora natus ſum, ad maiora vocatus ſum, ſanctificatus ſum, quàm ut mancipium corporis mei fiam. Sic

fiet quod quemadmodum prælatione ita & actione; quemadmodum status sublimitate ita & morum dignitate; ut gradu honoris ita & gradu virtutis ceteros præcedemus.



ABSTINENTIA.

INtra festivos & specialiori devotioni consecratos Adventûs Domini dies proponit nobis in exemplum vivendi Sancta Mater Ecclesia D. Joannem Baptistam. Nam & sacrosancta de ipso leguntur Evangelia, & in officio divino frequens *vocis clamantis in deserto* commemoratio celebratur. Vita præcursoris Domini nihil aliud fuit nisi continuum jejunium & quoddam abstinentiæ & inediæ theatrum. Unde & veritas ipsa de eodem protestatur: *Venit Ioannes non manducans nec bibens*, ac si diceret: tam modici cibi potusque fuit ut plane nec manducasse nec bibisse videretur, ideoque & nos ad imitationem eius in jejunijs & abstinentia præstolari adventum Domini eique viam præparare debemus.

Matth: 11.

Abstinentia porro (ut eius naturâ cognita faciliùs actus suos exerceamus) est virtus moderans juxta dictamen rationis appetitum edendi & bibendi. Opponitur è diametro gastrimargiæ seu gulæ. cuius quinq; species à Doctore Angelico numerantur & brevi, memoriæ causa, comprehenduntur versiculo: *Præpropere, lautè, nimis, ardenter, studiosè.* In omni enim esu & potu duo interveniunt, nimirum cibus ipse, qui comeditur aut liquor qui bibitur, deinde actio bibendi & edendi. Quantum ad substantiam escæ & potus; circa eam delinquitur per *lautè, nimis, studiosè. Lautè* comedimus dum cibos delicatos ac pretiosos manducamus & qui antea vix milio & cibario pane rugientem ventrem saturare potuimus nunc similam & mella fastidimus: *nimis*, dum stomachum cibis infarcinamus & potu ingurgitamus: *studiosè*, dum rariores sapores embammata & condimenta varia conquirimus, genera & nomina concharum indagamus, saporeque avium provincias discernimus. Quantum ad actionem ipsam; circa illam delinquitur duplici modo: *præpopere* & *ardenter* cum nimirum horam refectionis antevertimus atque avido appetitu involamus in escas non tam manducantes quàm vorantes.

Nobilissima virtus hæc sufficerat quidem dignitate sua vultuque sereno nos ad amorem sui pertrahere, non desunt tamen in sacris literis ad eius curam & studium incitamenta. Num: 25. Phinees Sacerdos Domini, luxum & lasciviam Israelis repressurus, intravit quoddam prostibulum & ventrem scorti Madianitidis pugione confodit. Cur ita? cur non caput amputavit, cur non transverberavit pectus, cur non cæsim mediam illam divisit pellicem? Respondet S. Hieronymus: *Venter receptaculum ciborum in scorto Madianitide pugione sacerdotali confixus universos hominum labores, momentanea gulæ blandimenta stercoris fine condemnat & ostendit mentibus consecratis DEO, totum quod voramus in secessum projci.* Eundem astum adhibuit ad domandam populi sui idolatri-

lolatri-


lolatriam Moyses. Peccavit Israël, adoravit vitulum conflatilem, exacerbavit & in iram concitavit Altissimum. Quid ergò Moyses? accepit vitulum illum, & confregit, contrivit, comminuit in pulverem, eumque in potione bibendum prębuit idololatris. Quare id? *ut discerent contemnere quod in secessum viderant projci.* Nec nos ventrem nostrum ciborũ officinã imò coquinã nimiùm fovebimus, non ei cultum & amorem tanquã idolo impendemus si consideraverimus escarum nostrarum finem; si sordes quibus illæ terminantur munda mente tractaverimus, gloriam certe in confusione nostra non collocabimus. Apostoli vox est: *Esca ventri venter escis* DEUS *autem & hunc & has destruet.* In contemptu nobis erit universa gutturis & ventris voluptas si fædam eius escarumvè & liquorum corruptionem & destructionem penitius & sępiùs trutinemus. Sed à pueris quo imbecillior eorum ætas eo fortiora virtutis incentiva. Danielis I. Eliguntur ex captivitate Judaica pueri cęteris venustiores & corpulentiores qui in conspectu Regis ministrarent. Annona alendis designatur. decernitur ut nonnisi regalibus vescantur cibis: ipsi nihilominus petunt à suo Pręposito ne polluantur de mensa Regis sed solis oleribus sustententur. Impetraverunt desiderata & quidem eo effectu ut exactis diebus 10. cęteris pueris regijs, qui delicatius nutriebantur apparuerint vultus eorum longè formosiores, longè corpulentiores. Abstinentia illa quæ in conspectu Dei eos quoad animam gratiosos reddiderat, etiam in conspectu hominum quoad corpus gratiosos reddidit. Times forte pallorem, maciem, & infirmitatem corporis ex frugalitate victûs: attende quid in istis ephebis operata sit. Tantum abest ut noceat animæ vel corpori ut potius & corpus curet vitiosos aqualiculi concoquendo humores & animam Deo reconciliet. Et quia olerum feci mentionem, in his etiam moderatio adhibenda. *Inde enim est,* ait D. Hieronymus, *quod nonnulli vitam pudicam appetentium in medio itinere corruunt dum solam abstinentiam carnium putant & leguminibus onerant stomachum quæ parce & moderate sumpta innoxia sunt.* Ad Furiam.
Esau hucusque damnatur concupiscentia non in gallinæ aut attagenis seu quorumcunque mattyorum esu sed in vilis lenticulæ manducatione. David non propter vini generosi concupiscentiam, sed propter aquæ desiderium seipsum graviter in facie Israëlis reprehendit. Ipse quoq; Salvator noster post jejunium quadragesimale non de carnibus sed de panibus tentatus est. Hoc ideo dico ne quia carnibus non vescimur, in hortorum fructibus turbucinandum nobis arbitremur. *Deliciæ qualibet,* ait S. Augustinus, *si absq; desiderio sumantur non officiunt, & cibi viles delectabiliter vel appetenter accepti perfectæ abstinentiæ impediunt virtutem.* Non immunditia obsonij (omnia enim munda mundis) sed immunditia cupiditatis timenda est. In potu quoque sumendo sobrios nos esse & continentes expedit. Noverimus nos esse Sacerdotes Domini ad quos lex illa: *Qui altari deserviunt vinum & siceram non bibant. Sicera hæbreo nomine omnis potio nuncupatur quæ inebriare potest, sivè illa quæ frumento conficitur, sivè pomorum succo, sivè dum favi coquuntur in dulcem & barbaram potionem aut palmarum fructus exprimuntur in liquorem, coctisq; frugibus aqua pinguior coloratur. Quidquid inebriat & statum mentis evertit fuge similiter ut vinum ut venenum. Nec hoc dico quod Dei à nobis damnetur creatura cum & Dominus noster* Ad Nepotianum.

potator vini appellatus sit & Timotheo dolenti stomachum modica sorbitio relaxata sit: sed modum pro ætatis & valetudinis & corporum qualitate exigimus in potando. Alloquitur nos exhortatorio sermone Sanctus Pater & Legifer noster Augustinus: *Ebrietatis malum velut inferni foveam vitetis.* ubi etiam Martyrem appellat qui huic resistit vitio, & ob hoc ipsum aliquid vexationis ab ebriosis patitur. Verba ipsius sunt: *Si ille qui ebrietati resistit cum Dei adiutorio perseverare voluerit & pro ea ipsa re aliquas tribulationes pertulerit, omnia ei Dominus ad Martyrij gloriam computabit.* Demum per tremendum diem judicij nos adjurat ut malum hoc fugiamus & in eius turpitudine gentibus & paganis similes esse verecundemur. Inter alia verba salutis dixit Abbas Pæmon fratribus suis: *Nisi Nabusardan princeps cocorum intrasset in Ierusalem, templum Domini non arsisset igne.* Hoc est ut idem explicat: Nisi vitium gastrimargiæ animum occupaverit, non succendentur sensus nostri impugnatione diabolica. Hoc est quod alius Magister in spiritualibus monet: frange gulam frange inordinatum edendi & bibendi appetitum, & reliqua vitia facilius superabis.

De Ebrietate. *In vitis PP.* *Thom: à Kem.*

In tentationibus igitur quotidianis positi certemus adversus edendi & bibendi concupiscentiam. Frænos gutturis temperata relaxatione & constrictione teneamus. Quod saluti satis est, delectationi parum est. Non delectationis ergò sed salutis respectum habeamus: ubi non voluptaria cupiditatis fallacia ministerium petit sed necessaria corporis cura subsidium suppetit succurramus, si beati Joannis precursoris austeram vivendi rationem pro modulo nostro æmulari cordaque nostra Domino preparare cupimus, denique si desideramus *ut quos expulit è Paradiso saturitas, reducat esuries.*

S. August: in Confess: *Hieronym: ad Furiam.*



PATIENTIA.

S. Cyprianus de bono patientiæ.

INter omnes disciplinæ cælestis vias nullam invenio vel utiliorem advitam vel expeditiorem ad gloriam quàm ut qui præceptis Dominicis obsequio timoris ac devotionis innitimur, patientiam tota observatione tueamur. Festiva omnium Sanctorum sub una celebritate memoria, coronæ beatorum in celis triumphantium, imò & expressa Christi verba in Evangelio currenti posita probant quod dixi. *Beati*, inquit Salvator noster, *qui persecutionem patiuntur, quoniam ipsorum est regnum cælorum & beati estis cum maledixerint vobis homines & persecuti vos fuerint & dixerint omne malum adversum vos mentientes propter me gaudete & exultate quoniam merces vestra copiosa est in cælo.* ac si diceret: nunquam certiorem & cumulatiorem gloriam sperare potestis quàm si amore Dei & justitiæ patiamini. Gestit animus, ardet pectus, anhelant viscera & totus spiritus ad promissæ mercedis suspirat consecutionem. Sed labor precedat necesse est si merces expectatur. Per angusta ad augusta itur. per patientiam ad regna celestia tanquam per angustum callem

lem ad ſpatioſos deliciarum campos pervenitur. De ea ergò locuturus unde primum incipiam quàm quod nunc quoque ad audiendum, patientiam veſtram video neceſſariam? *Tunc enim demum ſermo & ratio ſalutaris efficaciter diſcitur ſi quod dicitur, patienter audiatur.*

Patientia ſecundum D. Auguſtinum eſt virtus per quam mala æquo animo id eſt abſque perturbatione triſtitiæ toleramus. Tullius in ſuis Rhetoricis eam honeſtatis aut utilitatis causâ rerum difficilium & arduarum voluntariam ac diuturnam perpeſſionem appellavit, quæ deſcriptio etiam longanimitati convenit ex mente Doctoris Angelici. Ex definitione claret, patientiam verſari circa triſtitias propriumque illi eſſe, bonum rationis conſervare contra triſtitiam ne ratio mærori ſuccumbat in adverſis. *Apud S. Thomam 2. 2. q. 136.*

Frequentiſſimè divino in ſacris literis commendatur calamo. Proverb: 14. *Patiens vir, multùm prudens; qui autem puſillanimis eſt, vehementer inſipiens* vocatur. Ubi quia puſillanimitas patientiæ contraponitur, magnanimitatem patientiæ ſororem diſcas eſſe, cum magnanimitas pro nihilo ducat adverſa, vilemque reputet qui eis frangitur. Jacobus Apoſtolus patientiæ *opus perfectum* attribuit, in adverſis tolerandis uti exponit D. Thomas. Chriſtus ipſe inſigni eam nobilitavit encomio dum cultores illius beatos & conſortes regni cęleſtis nuncupavit: *Beati qui perſecutionem patiuntur, propter juſtitiam, quoniam ipſorum eſt regnum cœlorum.* Verba hæc Salvatoris noſtri mira ſunt audientibus, vera intelligentibus. Ergonè ſola patientia januam aperit regni cęleſtis? Ergonè ſola beatificat? nunquid & fides ad ſalutem neceſſaria, quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Et ſine charitate tanquam veſte nuptiali ad nuptias Agni admittetur nemo. Ita ſanè, nec ſine fide, nec ſine ſpe, nec ſine charitate quiſquam beatitudinem æternam conſequitur: ſed fidelem noſſe nequeo niſi patientem videro. *Patientia namq; palam facit omnibus verè credentem & quod dignus ſit retributione tanquam athleta fortis & conſtans & fidelis.* Nec ſpem credo ineſſe niſi ubi patientiā demiror, quia *patientia probationem, probatio ſpem operatur.* Nec charitatem ſuſpicari queo, niſi ubi adverto patientiam: *Charitas enim patiens eſt, omnia ſuffert, omnia ſuſtinet.* Rectè quidam patientiam Lydium lapidem virtutum omnium nominavit; quia ſicut Lydius lapis indicat venam auri & quantum puritatis inſit eidem, ſcrupulari differentia oſtendit: ita patientia Fidem, Spem, Charitatem, aliaſque virtutes in nobis probat ac demonſtrat. Quando igitur Chriſtus regni cæleſtis remunerationem adiunxit patientiæ, in patientia etiam virtutes Theologicas incluſas intellexit: ac ſi vera patientia non poſſit eſſe ſine Fide & Charitate in Deum uti revera non poteſt quod docet & deducit Aquinas. Ergò *beati qui perſecutionem patiuntur propter juſtitiam.* Beati quia fidem, quam profitentur, non abnegant in adverſis, ſed fortiter aſſerunt. beati quia ſpes quâ æquanimiter mala tolerant non eos confundet. beati quia charitas eorum in adverſis velut aurum in fornace probatur puriorque & fragrantior redditur. O verè ipſorum eſt regnum cęlorum! quod vel ex ipſa regni cęleſtis diſpoſitione & ſymbolo videre eſt. Regnum cęleſte ſub typo civitatis novæ Jeruſalem in ſacris literis deſcribitur. Porrò muri parietes & manſiones Civitatis non poſſunt conſtrui ex lateribus & lapidibus

Laus patientiæ ex Scriptura Sacra.

Pannoni: in Apocalip:

Lauren: a pōte in Cap: 5. Matthæi.

dibus nisi illi prius in camino exurantur, hi ex petra excindantur malleis findantur & vario artificum labore ad ædificij compagem adaptentur. Similiter & supernæ illius urbis structuræ accommodari nequeunt saxa rationalia nisi prius ictibus persecutionum & adversitatum tundantur & poliantur. Unde canimus: *Scalpri salubris ictibus & tunsione plurima fabri polita malleo hanc saxa molem construunt aptisq; juncta nexibus locantur in fastigio.* Persecutores, latomi sunt, qui viva marmora variè secant & ad ædificium cęleste nescientes licet adaptant. Igitur *nisi tundaris ut saxum non pertinebis ad Sion cælestem. Qui fugit persecutiones non vult habitare in Ierusalem.* E contra si persecutiones æquanimiter amore Dei & justitiæ toleras, scito te esse unum ex vivis & electis lapidibus è quibus superna consurgit Ierusalem. Quare *si persecutionem pateris*, ait quidam, *ne ægreferas sed age gratias Deo, quia iam es ex electis Dei.* Quàm ergo vera est Christi Domini sententia: *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

Didacus Stella de contemptu mundi.

Idem.

Laus eiusdem ex SS. PP.

Sanctorum Patrum mirus in pręducanda hac virtute fervor & sancta concertatio. D. Cyprianus Demosthenem aut Tullium nobis in eius laudibus repręsentat. Gregorius radicem & custodem virtutum omnium appellat. Ludovicus Blosius pretiosum & pręclarum annulum quo Deus animam sibi desponsat: Laurentius de Aponte coronam virtutum omnium & nobilissimum stemma animæ perfectæ: Cęlius Pannonius unicum in omnibus tentationibus afflictionibus infirmitatibus varijsque adversæ fortunæ assultibus refugium & medicinam quam si sustuleris omnis virtus concidere necesse habeat.

Inductiva ad Patien:

Via desideriorum, ait B. Augustinus libro de patientia, *facit tolerantiam laborum & dolorum & nemo nisi pro eo quod delectat, sponte suscipit ferre quod cruciat.* S.Thomas, *tristitiam* inquit *& dolorem secundum se abhorret animus, nec unquam eligeret illum pati propter se sed solùm propter finem.* Finis porro patiētiæ positivus, est consecutio beatitudinis æternæ; negativus, evasio tormentorum inferni. Et quia magis movent mala ad fugam quam bona ad prosecutionem saltem per accidens ut deducit Angelicus Doctor, ideo patientiam in adversis servare volentes cōtinuò tormenta inferni tam intellectûs quam imaginationis apprehensione tenere opus habemus. Cur etenim sancti tantopere patientes fuerunt nisi quia cruciatus gehennæ sępissimè ob oculos versabant mentales? D. Joannes Apoc: 14. inducit Angelum voce magna dicentem: *Si quis adoraverit bestiam & imaginem eius & acceperit characterem bestiæ in fronte aut manu, bibet de calice iræ divinæ & cruciabitur igne & sulphure in conspectu Angelorum sanctorum & in conspectu Agni.* statimque subiungit: *& ascendit fumus tormenti in sæcula sæculorum nec requiem habebant die ac nocte qui adoraverunt bestiam & acceperunt characterem nominis eius.* Post hęc exclamat: *hic est patientia sanctorum qui custodiunt mandata Dei & fidem Iesu.* Singula verba imò singulæ penè syllabæ cęlestia spirant sacramenta. Bestia diabolus est: imago eius, Antichristus: character, peccatum seu malignitas per quam improbi à probis secernuntur: frons mentem denotat: manus operationem. Sensus ergo est: quòd si quis peccatum characterem videlicet diabolicum impresserit menti suæ aut etiam ad opus deduxerit, bibet de vino

Primum.

iræ divinæ ad æternam protrufus damnationem & cruciabitur igne & fulphure. Sulfur ad fętorem pertinet, ignis ad uftionem: quorum alterum quamvis ad cruciandum malos fufficere poffit, utrumque tamen redundat ut infelices damnati jufto Dei judicio & ardorem fuftineant & fætorem. Poft hanc quafi in tabula depictam fuppliciorum inferni hiftoriam exclamat ut jam dixi Pathmæus vates. *hic eft patientia Sanctorum.* At nunquid patientia Sanctorum fita eft in perpeffione tormentorum infernalium? nunquid fancti bibunt fęces æternæ damnationis de calice iræ divinæ, nunquid igne & fulfure cruciantur in facie cæli & Agni? abfit ita fentire, impios manet hęc procella. Quo igitur myfterio poft exaggeratas tanta emphafi damnatorum pœnas dicit Propheta: *hic eft patientia Sanctorum?* nimirum patientia Sanctorum nafcitur ex confideratione cruciatuum infernalium. Leve videtur ipfis omne tormentum mundi cum æterno comparatum. *In æternæ damnationis reproborum confideratione,* ait cælicus Cælius *fancti fefe patientiâ præmuniunt penfitantes, quia pro temporali afflictione æternam funt evafuri.* Et verò quis nolit ad horam cum Laurentio in candenti craticula torreri ut perpetuum gehennæ effugiat fupplicium: quis non eligat ad breve tempus in equuleo extendi, pulfantem lividas carnes & fulcantem latera ungulam pati: carceres, numellas, virgas, fecures, flammas experiri quàm per fęcula fęculorum in rogo à virtute divina extructo & accenfo coram fanctis & Agno cruciari? Hoc ftimulo ad patientiam fe urgebant fancti. *Hic ure hic feca modò in æternum parcas* dicebat Auguftinus. Hieronymus ob metum gehennæ ultro fe atroci folitudinis afperrimæ damnaverat carcere. Senex quidam ftupentibus hofpitibus atque interrogantibus quomodo rigorem fummum in laboribus & afflictionibus voluntarijs fuftinere valeret, refpondit: *Totus labor temporis mei quem hic fuftineo non eft idoneus comparari ad unum diem tormentorum quæ peccatoribus in futuro fæculo præparantur.* Hoc eodem ftimulo excitat ad tolerantiam magnus ille Magifter in fpiritu Thomas à Kempis: *Quid,* inquit ille, *fordide peccator potes contradicere exprobrantibus tibi qui toties* DEUM *offendifti & multoties infernum meruifti?*

In Apocalyp.

In vitis P.P. lib: 5. fol: 558

Motivum hoc imperfectorum quales fumus, fervit ingenio: qui verò perfectiores funt, pofitivæ beatitudinis reminifcentia, omnium adverfitatum cuneos penetrabunt fecuri. 2. ad Corinth: 4. ait Apoftolus: *Id quod in præfenti eft momentaneum & leve tribulationis noftræ fupra modum in fublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* Dicere voluit Apoftolus: quidquid tribulationis patimur in pręfenti, & momentaneum & leve eft; nihilominus fupra modum, fupra menfuram, fupra captum in fublimitate ftatus beatitudinis æternum gloriæ pondus, prægravantem, fi fas eft ita dicere, gloriæ cumulum operatur. Felix tribulatio quæ immenfam eamque immortalem generat felicitatem! Sane afflictio in fęculo pręfenti materia pręmiorum eft. Hoc perfectorum incentivum eft. fed & imperfectis ad maiora pedetentim progreffum facientibus, ab illa tormentorum gehennalium recogitatione ad gloriæ æternæ contemplationem afcendere licet ut hoc duplici munimine contra univerfas adverfitatum armentur impreffiones. *Is qui tranfit per aliquem finum profundum maris ne capitis vertiginem patiatur, flectit* oculos

Secundùm.

Didacus Stella

oculos versus terram. Neq; tu respicias ad turbidam & verticosam persecutionis aut tribulationis aquam sed ad terram viventium quisquis nunc navigas per mare tempestuosum huius mundi.

Tertium. Ultra finem, suaves nobis reddit adversitates ille qui nostro bono virgâ nos flagellat æquitatis. Quis non excipiat flagellum à Patre paternè corripiente? quis non patienter amaram bibat potionem à Medico porrectam? quis chirurgo secanti vulnus irascatur? Joannis 18. Petrum evaginato gladio milites in horto Getsemani aggredientem corripuit Christus: *Calicem*, inquit, *quem dedit mihi Pater non vis ut bibam illum.* quasi dixisset. calix hic passionis à Patre mihi missus est cur ergo non bibam illum? Pater mihi propinavit & ego reijciam? si ab alio offerretur, posses impedire, sed quia à Patre porrigitur, occlusis oculis epotandus cum omni angustiarum & amaritudinis mixtura. Adhuc in veteri lege patientissimus ille ac mansuetissimus David non personam persecutorum, sed Domini benignè castigantis attendebat voluntatem ut colligere est ex verbis illis dulcedine plenis ad Saulem hostem suum prolatis: *si Dominus incitat te adversum me odoretur sacrificium.* & ad Semei: *Dominus præcepit illi ut malediceret David.*

Quartum Exempla. Calcar ad patiendum addunt exempla patientum: Certè enim discemus ex aliorum exemplo non esse tantas afflictiones & cruces quas patimur quantas apprehendimus. D. Hieronymus enarratis malorum examinibus quæ patiebatur Julianus cui consolatoriam scripsit Epistolam, ut quòd duas virgunculas filias junctis penè extulerit funeribus, quòd pudicissimam ac fidelissimam conjugem Faustinam in qua sola post amissos liberos acquiescebat subita dormitione subtractam doluerit, quod ingentia rei familiaris damna sit passus, atque in communi totius Provinciæ à barbaris depopulatione privatarum possessionum ruinas, abactos armentorum ac pecorum greges, vinctos occisosque servulos viderit, enarratis inquam hisce malorum examinibus subijcit: *Hic est cathalogus tentationum tuarum hæc cum Iuliano tyrunculo Christi pugna hostis antiqui. Quæ si ad te respicias, grandia sunt si ad bellatorem fortissimum, Iobum videlicet, ludus & umbra certaminis.* Graves & nobis videtur afflictiones quęcunq;, quia in earũ perpessione nos ipsos respicimꝰ. At si respexerimus fortissimos Christi seu in veteri testamẽto seu in novo nobis in patientiæ exẽplar propositos bellatores, imò etiam extra scripturæ campum multos seu quos vidimus seu de quibus audivimus athletas, nostram afflictionem risum putabimus. Videbimus non totis adversum nos ut remur certari cuneis. Tota vita Christi Crux fuit & martyrium & nos ad requiem & gaudium in mundo hoc habendum aspiremus? Sanctissima eius Mater gloriam multis tribulationibus sibi comparavit; nos per delicias nobis obventuram somniabimus? Vide mihi Davidem inter persecutiones Saulis, imo & filij, inter linguas maledicas, inter grassantem pęstilentiæ luem. Vide Jobum inter funera natorum, inter convitia & maledicta uxoris, inter infirmitates corporis vermesque è corpore scaturientes. Vide Tobiam in exilio, in cęcitate, in orbitate, in subsannationibus conjugis aliorumque malorum lerna. Vide alias vivas patientiæ imagines: & ludum umbramque certaminis tuas censebis pressuras. Quid est quod ad modicam tentationem, quod ad modicam lęsionem tui vel per linguam vel per extrinseca elementorum molesta-

mina-

mina ſtatim triſtaris, ingemiſcis & querulo ore injuriam exaggeras vel impatienti pectore æſtum concludis! adverſus culicis morſum delicatus, martyr efferveſcis? nimirum non penſas quæ alij paſſi ſed quæ tibi pati fors conceſſit adverſa. Intuere Paulum in laboribus plurimis, in carceribus abundantiùs, in plagis ſupra modum, in mortibus frequenter: lapidatum, naufragum, in profundo maris noctu diuque excubantem, in itineribus continuis, in periculis creberrimis, in labore & ærumna, in jejunijs multis, in frigore & nuditate prȩter inſtantiam quotidianam & ſolicitudinem omnium Eccleſiarum. Alter Paulus nominis & virtutis Apoſtolicæ hȩres, Author & Magiſter noſter in ſolitudine, in fame, & ſiti, in frigore & æſtu, in aſpero veſtitu in chaumenijs abſque ullo ſolatio abſque ullo humano ſubſidio centum circiter vixit annos. Beſſarion quadraginta noctibus in ſenticeto vigil hȩſit. Eulogius elephantiacum convitioſum quindecim annis curavit, ut de aliorum ſtupenda penes infirmorum curam alijſque in occaſionibus ſileam patientia. Et infirmior ſexus in adverſis firmus. S. Paula *teſtimonijs Sacræ Scripturæ quaſi armatura Dei contra invidiam ſævientem ſe inſtruebat & patiendo injurias furorem rabidi alieni pectoris mitigabat.* Monialis quȩdam Monaſterij Tabenneſiotarum teſte D. Baſilio pro obſeſſa & fatua habita à contubernalibus jam ictus frequentes jam purgamentorum immundicitias & exquiſita ludibriorum genera patientiſſimè toleravit, ſtudioſiſſimè interim vilibus univerſarum intenta miniſterijs quouſque ſanctitatem ejus B. Pitirion non evulgavit. Fȩmina hȩc viros religioſos confundet in judicio, qui patientes videri, non eſſe volunt: qui in ſinu Abrahæ requieſcere affectant, priùs tamen cum Lazaro ad januam humilitatis abijci & ulceribus imperfectionum notari detrectant: qui cum Jobo proſpera & fortunata expectant, priùs tamen cum illo in ſterquilinio ſedere flagella & opprobria ferre recuſant: qui ſequuntur Chriſtum uſque ad fractionem panis non uſque ad calicem paſſionis: aurum apparere volunt, probam in fornace adverſitatum non ſuſtinent: triticum ſe jactant ſine lolio vitiorùm, tribula & cribra refugiunt: milites Chriſti vocari volunt, & boatus tormentorum audire non poſſunt: in Monaſterio velut patientiæ gymnaſio ſemper diſcunt nec unquam ad ſcientiam veniunt. Appage cum eiuſmodi ſtolonibus. Non ex gymnaſio ſolùm ſed tota rerum naturâ eliminandi ſunt. Quis enim in Orbe univerſo ſine miſerijs?

In vitis PP.

S. Hieron: in vita Paulæ.

Eggerer in anathem: Mariano.

Vivit in hoc mundo Cæſar, Rex, ruſticus: omnes
Lege perennali quod patiantur habent.

Prolepſis una.

Petes forſitan in quibus patientia ſervanda ſit? breviter reſpondeo, in omnibus adverſis & malis tibi repugnantibus atque te contriſtantibus ſerva patientiam. Si linguæ rodant ſi morbi affligant ſi tentationum impetus quatiant ſi externæ ab elementis & cȩlo inclementiori aſperitates afficiant, ſi defectus & indigentia rerum neceſſariarum premat, ſi demum mala quȩcunque ſæviant, æquo eſto animo.

Secunda.

Durum eſt verbum iſtud, inquies. Virulentias mordacium linguarũ, incommoditates & defectus in neceſſitatibus vitæ, ægritudines varias, variaſque moleſtias quis æquo ferre poſſit animo? planè inſenſibilis & omnis expers paſſionis ille eſſet qui in medijs non alteraretur malis, nec tranſmutationes ſentiret corporales. Fateor non illubens, durum eſſe.

Lucanus. ſed *gaudet patientia duris.* Circa dura, aſpera, injurioſa exercetur patiens at non ſine gaudio. Carolus Neapolis Rex hierographiæ loco habuit petram ſera diviſam, in faſtigio petræ erat Crux, in cruce roſa, *in patientia ſuavitas.* Patere tu quoque & maiorem referes lætitiam ac ſuavitatem quam ſi tuam millies ultus eſſes injuriam. Quod patientia ſvavis ſit & eſto plus fellis quam mellis habere interdum videatur non ſit tamen abijcienda, docuit Chriſtus inſigni revelatione facta S. Mechtildi. Vidit hæc aliquando ſtantem ante ſe in veſte ſericea conchyliata Chriſtum Dominum danſque oſculum manui eius quia ſenſit nimiam mollitiem & levitatem veſtimenti cogitabat quid hæc ſignificaret. Dominus ad cogitationem reſpondit: *Sicut ſericea veſtis levis eſt & mollis ſic omnis pœna & tribulatio animæ Deum verè amanti eſt ſuavis.* Sancta: *Hoc quidem,* inquit, *in principio ita eſt cum animam tribulatio invaſerit in affectu tenero divini amoris exiſtentem, at cum pœna invaluerit, oppidò gravis erit.* Dominus reſpondit: *verum eſt, ſed ſicut coccinum ex hoc quod lapidibus pretioſis ornatum & oneratum eſt non abijcitur quin imo tanto carius habetur; ita fidelis anima pœnam propter gravitatem ipſius non recuſabit quia omnes virtutes eius inde nobilitantur & meritum in infinitum augetur.*

In Gratijs Spi: S. Mechtildis.

Durum eſt & gravè adverſa perpeti, ſed fructuoſum. Quod palea grano, lima ferro, ignis auro, hoc tribulatio homini juſto. Ipſa rerum natura teſtis eſt quem fructum operetur virtus ſuſtinentiæ. Vitis putatione fęcundior: incenſum in igne redolentius: crocus attritus melior: ignis creſcit ſpirantibus auris: aqua inter præcipitia vires acquirit eundo: venti aquas maris turbantes & fluctus elevantes, turbant ſed extollunt: roſas ſpinæ circumdantes vallant non violant: ſcutum Achillis dum lædit medetur: malleorum ictus ferro dant formam: mola agitabilis ex turbine lucrum generat.

Tertia. *At difficile eſt preſſam malis innocentiam non dolere & in hoc ipſo fide non periclitari quod ſe videat iniuſtè ſuſtinere quod patitur?* Ad hoc

S. Hieron: ego: dic mihi ſodes quid fecit Chriſtus? quid alij? nonne innocens Abel occiditur, bonus Joſeph venditur, Elias S. in exilium pellitur, Daniel innocuus ad leones damnatur, optimus Tobias cæcitate punitur, ſceleris purus Baptiſta in vincula trahitur. *Multæ,* ſcilicet, *tribulationes juſtorum.* & *omnes qui pie volunt vivere in Chriſto, perſecutionem patientur, nec unquam deerit tribulatio perſecutionis ſi nunquam deſit obſervantia pietatis.* Difficile eſt innoxium ſi angarietur & injurijs appetatur non triſtari. concedo ſanè difficile eſſe ſed audi quid dicat B. Petrus: Si, inquit, *bene facientes tribulationes patienter ſuſtinetis hæc eſt gratia apud Deum: in hoc enim vocati eſtis.* Quaſi dicat hanc eſſe peculiarem Dei gratiam, hanc pręcipuam profeſſionis Chriſtianæ partem, hanc vocationis Chriſtianæ obligationem pati propter juſtitiam, pati innocenter. Difficile eſt. at iſta eſt nota veri Chriſtiani, character, ſtemma, ſignum filij DEI. Aliter juſtitia tua non patebit, aliter probitatem non manifeſtabis pręterquam ſi patiaris inſons. Uti nauclerum tempeſtas, athletam ſtadium, Ducem pugna, magnanimum calamitas; ita Chriſtianum patientia probat. Et arbor fructu gravida innocens eſt quantumvis lapidibus & perticis, uncinisque impetatur; neque tamen

illâ

illâ felicior ſterilis & omni fructu vacua quæ nec percutitur nec lapidatur excindenda ad ultimum & in ignem mittenda.

Ad omnes quidem quicunque Chriſtiani nominis profeſſione cenſentur ſermo pertinet, potiſſimum tamen ad eos quos cura noſtra complectitur. Hos rogamus hortamur & obſecramus ut nobiliſſimæ huic & ore divino deprędicatæ conſueſcant virtuti. In ſchola patientiæ eſtis, pudeat ſi regulas patiendi neſciatis: in loco & arena certaminis, pudeat ad quemcunque ictum acceptum flere, quiritari, & inſtar puerorum ſuas miſerias contracto vultu ſingultibuſque teſtari. Agere & pati Romanorum eſt dixit nonnemo: dicam ego, Chriſtianorum & Religioſorum eſt. Apud Chriſtianos & potiſſimũ Religioſos non qui patitur ſed qui facit injuriam miſer eſt. Nec minus malum eſt referre injuriam quam inferre. *Omne ergo quod tibi applicitum fuerit accipe & in dolore ſuſtine & in humilitate tua patientiam habe quoniam in igne probatur aurum & argentum, homines verò receptibiles in camino humiliationis* monet Ecclesiaſticus. Monet & Poëta: *Æquam memento rebus in arduis ſervare mentem.* Addo ego: memento Religioſe, memento perfectionis ſtudioſe, memento Crucis diſcipule. Si magnitudo mali obverſetur menti tuæ teque ad triſtitiam trahat, cogita quantillum id eſt reſpectu malorum inferni, cogita non eſſe condignas huius temporis paſſiones ad futuram gloriam, cogita non ab homine tibi venire vexationem ſed à Deo probationem. Pater eſt, qui tibi propinat calicem paſſionis, quid dubitas bibere? qui tibi amaricatum porrigit poculum, Pater eſt, accipe. *Exercet-nimirum ille purgatq́; nos medicinalibus moleſtijs in tempore ut nos ſanos & ſine ruga & macula ſervet æternitati.* Fatigat te laceſſitq; malitioſus frater, lingua, geſtu, ſannis modiſque alijs affectatis; æquam memento ſervare mentem. *Quiſquis enim non tolerat malos ipſe ſibi per impatientiam teſtis eſt quia bonus non eſt. Et Abel eſſe renuit quem malitia Cain non exercet.* Imo verò in homine, in fratre te perſequente, Domini venerare voluntatem & dic cum David: *ſi Dominus incitat te adverſum me, odoretur ſacrificium.* quæ verba cuivis etiam ægritudini, cuiuis moleſtiæ, infortunio & nocumento dicere, ſummi erit meriti. Dolores & amarores tuos confer cum Chriſti eiuſque ſequacium doloribus & aut nulli aut certè leves videbuntur. Dices tunc cum Hieronymo: *Quotam partem anguſtiarum perpeſſus ſum qui cruci milito,* id eſt: quid hęc ſunt quæ patior? nondum uſq; ad ſanguinem decertavi, nondum flagellis atrocibus conciſus ſum, nondum in crucem actus ſum: modica patiendi cauſa oggeritur mihi & non patiar? & fremam? & furore concitus vindictam ſpirabo aut triſtitiâ animum deiiciam, ego qui cruci milito, qui Chriſti patientis caſtra ſequor, qui Ducem ſanguine proprio rubentem & vulneribus lividum nactus ſum? modicum eſt quod patior: plura & plura pati deſidero. Dices cum Sancta Tereſſia: *Domine aut pati aut mori.* Non pigeat igitur imitari quod celebrare delectat. & ſi volumus gaudere cum Sanctis, tribulationem mundi non gravemur ſuſtinere cum ijſdem.

Horatius.

S. Auguſt: lib: de doctr: Chriſtiana.

S. Gregorius.

Ad Aſellam.



MODESTIA.

SAncta Mater Ecclesia solicita de profectu filiorum suorum varijs temporibus ad varias nos adhortatur virtutes. Jam ad pœnitentiam, jam ad fervorem pietatis, jam ad rigorem jejunij, ad continentiam, aliaque spiritualia studia prout fert circumstantia temporis, crebra nos commonitione impellit. In adventu Domini speciali modo virtutem modestiæ sectandam proponit dum illo Apostoli Capitulo ad nos frequentius utitur: *Fratres gaudete in Domino semper: iterum dico gaudete. Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.* Ne verò quis dubitet in quo sit posita, & ne quis declinet os suum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis, breviter quid sit, aperio & ad eius studium manuduco.

Modestia est virtus inclinans hominem ad moderandos juxta dictamen rationis motus externos. Hi porro ita ordinari &temperari debent ut non modo nobis seu statui officioq; nostro, sed etiam locis ac personis in quibus & cum quibus agimus conveniant. Idcirco Doctor Angelicus duo in compositione exteriori considerat: convenientiã ad personã & convenientiam ad ea quæ circumstant. Synopsim actuum virtutis istius, (quanquam in vastas diduci possit tabulas,) paucis comprehendo lineis: nimirùm, ut cum quidpiam respicis, non nimiùm defigas oculos in rem conspectam, utq; procedens in publicum non circumspicias, sed demissis paulisper in terram oculis progrediaris: cum familiariter colloqueris, manus aut caput non agites: cum rides, sine dissolutione & effusis cachinnis risus fiat: quando incedis, gressus juxta monitum D. Ambrosij *sit probabilis, in quo species authoritatis gravitatisq; pondus ac tranquillitatis vestigium*, absque tamen affectatione appareat ne mollioribus in incessu tarditatibus, pomparum ferculis similis esse videaris: si sedes aut inniteris, membra sint decenter composita, nec pedes decusses aut indecorè tibiam tibiæ supponas. Stando rectum corporis situm custodias ac divaricationem & instabilitatem pedum manuumque à tergo tentionem caveas. Denique ad eum modum universos gestus motusvè admetiaris ut decorum ac honestum, neque ad nimiam urbanitatem, neque ad rusticitatem declinando, observes. Et quia unicum fatigatæ intensis operationibus animæ remedium in delectatione situm est, utpotè quæ est quędam quies animi vires interiores ad instar somni refocillans, delectatio autem quęritur in ludis & jocis: ad modestiam ultra recensitas partes spectat cavere, ne delectatio quęratur in ludis jocisvè aut turpibus aut nocivis; ne item gravitas animæ ridiculis rebus seu verbis totaliter resolvatur; insuper ut ludicra dicta factavè congruant personæ tempori & loco, atque secundùm alia adiuncta debitè ordinentur. Ex hoc capite, quòd ab immoderantia ludorum refręnet modestia, rectè eam titulo Eutrapeliæ donaveris: Eutrapelia autem latinis sonat jucunditatem. Ad extremum lex, modestiæ cultum exteriorem attemperat,

Actus Modestiæ.

genus

genus veſtimenti groſſioris vel ſubtilioris pro ratione ſtatus aut officij cuivis pręſcribendo.

Dignitas Modeſtiæ.

Dignitas virtutis huius, unius è duodecim fructibus Spiritus Sancti, ipſa ſibi laudi eſt nec humani pręconij eget ſuffragio. Ea eſt quæ nos Deo amabiles & hominibus reddit gratioſos. Ea eſt quæ omni impietati oppilat os ſuum ne converſationem noſtram dente canino carpat. Ea eſt quæ homines pios & timoratos ad ſpirituales jubilos & laudes Dei celebrandas excitat juxta quod dicit David: *Qui timent te videbunt me & lætabuntur.* ac ſi diceret: Quicunque timens Deum viderit me, viderit meam compoſitionem, meam in factis geſtibuſque exterioribus maturitatem & honeſtatem, exultabit & Dominum inde glorificabit. Sed vel maximè inde promicat fulgor & decus modeſtiæ quòd ſit electionis ad gloriam non obſcurum indicium. *Induite vos* ait Apoſtolus ad Coloſſ: 3. *ſicut electi Dei & dilecti viſcera miſericordiæ, benignitatem, humilitatem, modeſtiam.* ac ſi diceret: Quia electi Dei eſtis, veſtiamini ſicut veſtiri ſolent electi: veſtimentum porro electorum eſt virtutũ ac potiſſimùm modeſtiæ ornatus. Ex veſtimento, hominis conditio agnoſcitur. Paludamentum Cęſarem, purpura Regem, ſagum militem, latus clavus Senatorem, prętexta adoleſcentem, maſtruca nequam Sardum prodit. Similis ex veſtitu ſpirituali conjectatio habetur. Si gratioſa modeſtiæ epomide quempiam indutum videris, electum Dei, ſanctum Dei judica. Ex candida toga dignoſcebantur olim competitores ad ad magiſtratus alicuius conſecutionem aſpirantes, qui etiam candidati appellabantur: puritas coloris eligendos indicabat. Non eligendi ſed jam electi ſunt ad cęleſtem magiſtratum quos candidiſſima modeſtiæ chlamys circumdat. Quem in niveo modeſtiæ amictu albere conſpexeris, gloriæ æternæ & immortalitatis feliciſſimæ candidatum puta.

Bona fama inductiuũ ad modeſtiã prę-cipuum.

Et hoc ipſum inflammat animos noſtros ad ſtudium virtutis huius. Quis enim tam pretioſo operiri veſtimento non deſideret quo nonniſi Filij Dei nonniſi electi Dei ornantur? ſed & inde amor eiuſdem virtutis noſtro pectori ingeneratur quod famam, pretioſiſſimum margaritum, bonum quo non prętantius ullum, cuſtodiat nobis & conſervet; ad cuius boni amorem frequentiſſima in ſacris literis habemus adhortamenta. Eccl: 39. *Obaudite me* (inquit ſacer textus) *fructus divini & quaſi roſa ſuper rivos aquarum plantata fructificate: quaſi Libanus odorem ſuavitatis habete: florete flores quaſi lilium & date odorem & frondete in gratia.* Ubi per odorem, odor bonæ famæ deſignatur. Alludit Apoſtolus: *Chriſti bonus odor ſumus Deo in omni loco.* Diceret aliter fuſiori ſententia: Omnia opera noſtra omnes actus geſtuſque noſtri ſint odoriferi, Chriſtum redoleant, Chriſtum ſpirent ut proximi nos intuentes Chriſtum in nobis olfaciant. Eundem bonæ famæ odorem & SS. Patres commendant nobis. S. Auguſtinus: *Omnis,* inquit, *vita religionis profeſſæ, integritatis famam debet curare ne quem expectat corona virtutis, pudoris damno pereat.* Et paulo infra: *Magnum eſt quidem & glorioſum & uſq; ad cælum omnium ore proferendum nunquam malis actibus locum dediſſe ſed multo fortius eſt nunquam falſis ſuſpicionibus,* (id eſt pravis de te opinionibus) *laboraſſe.* S. Hieronymus ex incauta converſatione *etiamſi,* inquit, *conſcientia criminis vulnus non habeat habet tamen fama ignominiam.* Sciendum namq; eſt duas res eſſe quas

De bono diſciplinæ.

Ad Matrem & filiam in Gallias.

in vitæ huius curriculo maximopere curare & custodire necesse habemus: conscientiam & famam. *Propter nos conscientia nostra sufficit nobis: propter proximum fama nostra non pollui sed pollere debet.* Hinc est quod Sancti quique nihil magis quam famæ suæ maculam abhorruerunt. Laudatissima illa in sacris literis mulier Judith ita erat boni nominis studiosa ut de ea sacra scriptura reliquerit testimonium: *Erat hæc in omnibus famosissima quia timebat valde Dominum nec erat qui de ea loqueretur verbum malum.* David inter omnes adversitates & tribulationes nullam maiorem habuit quàm existimationis bonæ læsionem dum factus est in parabolam & contra eum psallebant qui bibebant vinum. Machabæi potiùs vitam profundere quàm crimen gloriæ suæ inferre maluerunt. Quid loquar de Sanctis novi testamenti quorum omnium vita rectè vivendi norma est. Huius igitur tanti boni custodem virtutem quanta virium contentione curare, quanta diligentiâ custodire debeamus conspicimus. Quod autem famam nostram tueatur modestia, inde est quia motus exteriores sunt signa interioris dispositionis quę pręcipue attenditur secundum animæ passiones. Sicut enim ex indice facile est colligere quo pacto se intus habeat horologium & sicut ex accidentibus ut volunt Philosophi cognoscitur substantia ita ex motibus exterioribus humanis interior hominis innotescit constitutio. Unde Eccl: 19. *Ex visu cognoscitur vir & ab occursu faciei cognoscitur sensatus.* Item: *Amictus corporis & risus dentium & ingressus hominis enuntiat de illo.* Si igitur compositum externè quempiam vident homines, probum quoque & sanctum judicant ac non nisi recta de illo opinantur, atque si quid sinistri de eodem audiverint, non facilè credunt.

S. Aug: de vita & moribus Clericorum.

Ad moderationem exterioris hominis stimulat etiam hoc quòd beneficio dictæ moderationis non modò integritatem famæ conservabimus sed & à periculo scandali cuius gravitatem horrenda Christi maledictio intonat remotissimi erimus: imò verò modestiæ & exempli boni efficaciâ multiplices Christo spirituales filios procreabimus. Erimus *sicut greges tonsarum ovium quæ ascenderunt de lavacro, omnes gemellis fœtibus. Et sterilis non est in eis*, ut qui onera secularia tanquam vellera deposuimus ablutique sumus in lavacro baptismi & pœnitentiæ, non tantum duplo sed etiam decuplo plures fætus gemina charitate pollentes producamus: quatenus nullus nostrum sit sine fętura, nullus qui salutari exemplo non procreet DEO & cęlo spirituali generatione filios. *Et certè dici non potest quantum sive ad imitationem sive ad persuasionem religiosa morum compositio valeat, vultus totius modestia ac maturitas, decens omnium membrorum constitutio, frons serenior, oculi modicùm dejecti & verecundiam signantes, os genæq; pudorem testantes, manuum totiusq; corporis seria maturitas, ut vel hæc sola ingentia non semel incitamenta fuerint vitæ melioris.* Nec mirum: facta namq; potentiora verbis sunt plusque potest morum locutio quàm fęcundissima verborum flumina divite quocunque fonte manantia. Longum nimirum est iter per pręcepta, breve per exempla. Hoc pacto Antonius magnus plurimos ad Christum & sanctioris vitæ institutum attrahebat de quo S. Athanasius testatum reliquit quòd *quicunq; ad eum accurrebat, & animæ puritatem agnoscebat ex vultu & per speculum corporis gratiam sanctæ mentis intuebatur.* De Sancto Luciano proditum legimus quod ad eius aspectum

Cantic: 4.

S. Aug: lib: 2. de doctrina Christiana.

Scribanus in Medico Relig: lib: 3. cap: 23.

ſpectum multi Ethnici Deum laudabant qui à tanto viro coleretur & baptiſmo ſe initiari curabant. S. Franciſcus Seraphicus non aliter efficacius concionabatur quam modeſtè per urbis compita & vicos incedendo. Eandem externæ compoſitionis gratiam in Virgine Beatiſſima deprędicat D. Ambroſius: *Nihil torvū in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu inverecundum. Non geſtus fractior non inceſſus ſolutior, non vox petulantior: ut ipſa corporis species ſimulacrum fuerit mentis, figura probitatis.* Modeſtia Virginis Beatiſſimæ, ait quidam Marianus encomiaſtes, tam erat inſolens & admiranda toti mundo ut omnes ſano judicio prędìti qui eam à tenera ætate aſpexiſſent, faterentur nunquam parem creaturam in hunc mundū prodijſſe. Vultus eius honeſtus, membrorum compoſitio, omnium motuū decor planè cęleſtis erat, ad ruborem ſanè eorum Religioſorum quorum motus & geſtus nil niſi diſcolam mentem pandunt, quorum motus inquam & geſtus nil niſi ſęculum ſapiunt, ex quibus haud immeritò curioſioribus inferre licet quid in animo geſtent. Hęc igitur quæ propoſui exempla & quæ paſſim nobis occurrunt, ſequamur, hęc imitemur: ut in nobis refulgeat ſpecies caſtitatis & forma virtutis. *Nemo inveniat ex nobis male vivendi occaſionem: nemo circa januam noſtram vanis ſuſpicionibus ægrotet*, Vita noſtra ita ſit lucida ut ſit omnibus nota nec unquam falſi ad nos famam admittamus erroris quos tenet amor ſervandæ integritatis. Scurrilitas & laſcivia nobis pręſentibus locum non habeat. ridere & rideri ſecularibus derelinquamus. gravitas perſonas noſtras decet. Catonem quoque, illum dico Cenſorium & Romanæ quondam Urbis Principem qui extrema ætate literas græcas nec erubuit Cenſor nec deſperavit ſenex diſcere, & Marcum Craſſum ſemel in vita riſiſſe ſcribit Lucillius. Poëta item ſuadet:

Eggerer in anathemate.

Auguſt: de bono diſcipl.

Hieronymus.

Vultus indue tu magis ſeveros
Quàm coniux Priami nuruſq; maior.
Mimos ridiculi Philiſtionis
Et convivia nequiora vita
Et quidquid lepida procacitate
Laxat perſpicuo labella riſu.


Martialis.

Si hęc in Ethnicis propter gloriam auramque popularem fuerit maturitas; nobis potior eſt ſervandæ in externa compoſitione honeſtatis finis, *glorificatio nimirum* Dei *& proximi ædificatio.*

Agreſtes, inquietis, & duros nos vis eſſe. Minimè verò. Novi utiq; virtutem in modo medioque ſiſtere & tam per defectum quàm per exceſſum in vitium deſinere. Alijs ſe oneroſum exhibere, puta & nihil delectabile facere dicereque, & honeſtas familiarium impedire delectationes, æquè vitioſum diſſonumque rationi judico ac effundi in riſus Megaricos luſuſque indecoros. Amplector Senecianum illud: *Sic te geras ſapienter quòd nullus te habeat tanquam aſperum nec contemnat quaſi vilem.* Sicut molliculum & infractum, aut vocis ſonum, aut geſtum corporis, ita agreſtes & ruſticos non probo mores. Moderationem, non moroſitatem ſacræ profanęque eruditionis ſuadeo teſtimonijs. Deſipiam ſi injucundos faſtidioſos & echino aſperiores vos voluero. Nolo inter feſtivos & hilares quiſquam Areopagita ſit, nolo tragicum tueatur, nolo Atreum, qui ſerenitatem aliorum torvo ac terribili funeſtet aſpectu, quanquam fateri cum Principe Oratorum debeo, ad ſeveritatem

potiùs & ſtudia graviora quàm ad ludum jocumvè nos à naturâ generatos: & cum Principe Philoſophorum, parum de delectatione ſufficere ad vitam ſicut parum ſalis ſufficit ad cibum, ideoque exceſſum in jocis vitioſiorem eſſe quàm defectum, quod probat Angelicus Aquinas.

Honeſtè igitur ambulemus ad eos potiſſimum qui foris ſunt, nemini dantes ullam offenſionem ut non vituperetur miniſterium noſtrum: ut omnis qui ex adverſo eſt vereatur nihil habens malum dicere de nobis. Monitum regulæ hęreat ſemper in mentibus noſtris: *In inceſſu ſtatu habitu in omnibus motibus veſtris nihil fiat quod cuiusquam offendat aſpectum, ſed quod veſtram deceat ſanctitatem.* quod ſi obſervare ſtuduerimus, modeſtiam noſtram mundo notam faciemus, Dominumque qui propè & jam in januis eſt, dignè in cordium noſtrorum ſacraria excipiemus.



PERSEVERANTIA.

MIſericors & miſerator Dominus in omnes calamitoſos ſuas explicat miſerationes. Proprium quippe illi eſt miſereri ſemper & parcere: & ſicut ſolem ſuum oriri facit indifferenter in bonos & malos ita clementiſſimis miſericordiæ radijs fovet indiſcriminatim univerſos, juſtos ne pervertantur injuſtos ut convertantur. Quid igitur ſpecialiter erga turbam cuius craſtinum meminit Evangelium moveri ſe miſericordiâ confitetur coram diſcipulis? Nimirum quia hęc per triduum Chriſto adhęſerat non ſolitudinis tędio, non victus neceſſitate, non domus & familiæ cura, abſtrahi ſeſe ſinens à Salvatoris ſequela. Triduum eſt totum vitæ noſtræ ſpatium. Quantumcunque enim vixerimus tempus, non niſi modicum dici debet. Per diei curſum alibi deſignatur vita noſtra ab ortu ad occaſum velociſſimo impetu feſtinans, hìc per triduum propter fidem Sanctiſſimæ Trinitatis quam profitemur. Epaminondas magnus ille Argivorum Dux dictitabat ita breve eſſe vivere hominis ut non niſi 3. verba homini quantumvis ad uſq; decrepitam ſenectam degenti dici poſſint: in infantia ave, in inventute ades, in ſenectute vale. Trifariam diviſit Princeps iſte vitam hominis in tres quaſi dies ita ut unus ſit infantia & pueritia, alius adoleſcentia & juventus, tertius ſenilis ætas. Hoſpitem agit homo in mundo in quo ultra triduum hoſpitari non permittitur. Per hoc igitur triduum ſi ſuſtineamus Chriſtum in deſerto mundi huius, firmiſſimè perſeverantes in adhęſione ad ipſum, miſericordiam in oculis eius inveniemus, in loco paſcuæ æternæ ab ipſomet collocandi. Ad hanc ſuſtinentiam ſeu perſeverentiam ſtimulat exemplo ſuo turba devota ſed & ſermo noſter dabit aliquid emolumenti.

Natura perſeverautiæ. Tullius perſeverantiam ſic deſcriptam voluit: *Eſt in ratione bene conſiderata ſtabilis & perpetua permanſio.* D. Thomas in eo naturam ponit perſeverantiæ quòd *ſit virtus ordinans hominem ad inſiſtendum bono alicui,*

no aicui usq; ad consummationem vitæ vel operis. Unde etiam advertis duplicem esse: aliam scilicet operis, finalem aliam. Idem eandem specialem deducit esse virtutem. Cum enim virtus secundum Philosophum: 2dò. Ethic: sit circa difficile & bonum, quia in insistendo diutiùs alicui difficili specialis reperitur arduitas, speciale quoque agnoscitur virtutis insigne. Si rem spectes, convenit cum constantia, differt nihilominus in fine. Utraque enim intendit persistere in aliquo bono. sed perseverantia facit firmiter persistere in bono hominem contra difficultatem quæ provenit ex diuturnitate actûs; constantia verò contra difficultatem quæ provenit ex quibuscunque alijs exterioribus impedimentis in diuturna difficilium & laboriosorum tolerantia. 2. 2. q. 137.

Laus ergo perseverantiæ inde est quòd aliquis non recedit à bono. Instabilis enim & mollis animi nota est si de facili propter aliquam arduitatem, ab eo quod rectum & honestum est, resilias. Nam molle dicitur quod facile cedit tangenti. non autem judicatur molle quod fortiter impellenti cedit; quia & parietes cedunt machinæ percutienti, & Philosophus in 7. Ethic: judicat ei qui à fortibus & superexcellentibus delectationibus vel tristitijs vincitur non esse exprobrabile sed condonabile. *Laus eiusdem*

Laus item eiusdem in eo est quia non invenitur quicquam in mundo tam arduum & difficile ad quod non pertingat perseverantia divinæ subsidio gratiæ suffulta. Quod enim ædificium tam excelsum & magnū est quod non absolvatur, paulatim lapidem lapidi superaddendo. Quæ via tam longa quæ non perficiatur si quotidie aliquantum non dico grallatorio, sed testudineo incessu progrediamur. Litogliphus, qui vult marmoreum aliquod saxum excavare aut urnarium facere & si singulis ictibus modicam scobem de saxo auferat, si tamen laborem continuet, post non multos dies supremam operi imponet manum. Age itaque cum tantum possit perseverantia sine gratia, quid non poterit illi coniuncta?

Ad hanc boni operis virtutem salutari monitione Eccl: 10. adducta unusquisque nostrum invitatur: *Si spiritus potestatem habentis ascenderit super te locum tuum ne dimiseris.* D. Hieronymus ad Demetriadem scribens hac prefatum textum amplificat oratione: *Quasi in procinctu & in acie stamus semper ad pugnam. Vult nos loco movere hostis & de gradu decedere sed solidanda sunt vestigia & dicendum: statuit supra petram pedes meos.* Ita profectò est, militiam esse vitam nostram experimur. In arena sumus, descriptus nobis certaminis locus: si extra circulum excesserimus, in hostilem potestatem redacti sumus. Cavendum igitur ne gressus nostri è loco, à via mandatorum divinorum moveantur. Cavendum ne stationem virtutis deseramus, memores firmitatis Ecclesiæ in amore & amplexu Christi Domini. Cant: 3. Sponsa amissum sponsum cum tandem invenit: *Tenui,* inquit, *eum nec dimittam.* figuratur allegoricè Ecclesia quæ nec verbositate Philosophorum nec cavillationibus hereticorum nec gladijs persecutorum potuit aut poterit aliquando separari à charitate quæ est in Christo Jesu. S. Patriarcha Jacob colluctans cum Angelo, non dimittam te, ait, nisi benedixeris mihi; hec autem non sic, rejicit omnem conditionem, quia nec pro benedictione quidem vult eum dimittere quem tenet. *Tenui eum nec dimittam.* *Eccl: 10.* *Pannonius in Cant:*

Yyy En ta-

En talis eſt Mater noſtra? ſi veri filij ſumus, gloriam Matris paribus vitæ lineamentis exquiramus: filijs Abrahæ opera Abrahæ facienda: Ecclefiæ filijs, conſtantia Ecclefiæ tenenda. At nos imitamur ne? proh dolor degeneres ſumus! levi occaſione & quidem non pro dono aliquo cęleſti, non pro benedictione, ſed potius pro peccato, pro exigua delectatiuncula, pro crepundijs pro cruſtulis puerilibus quem tenuimus dimittimus, ſimiles non Matri Ecclefiæ, ſed novercæ ſynagogæ. Judæi namque cum ipſis Moyſes attuliſſet & retuliſſet mandata Divina uno ore clamarunt: *Cuncta quæ locutus eſt Dominus faciemus*, & tamen ad quamcunque occaſionem mandata Dei violabant, ad jdola toties quoties refluebant fędifragi & impij Jechovæ deſertores.

Inductiva ad Perſeverantiam. Fortitudinis & conſtantiæ lumina in myſtico ſacræ ſcripturæ cęlo tot reſplendet ut numerari nequeant. Quis non miretur Jobum, qui tot in adverſis & ſannis proteſtabatur: *Donec deficiam non recedam ab innocentia mea.* Quis non prędicet Machabęos, qui maluerunt truncari, torreri, laniari quàm legem Dei deſerere? quis heroicum Suſannæ non magnificet ſpiritum quæ elegit incidere in manus hominum quàm peccare in conſpectu Dei ſui. Nec vero poſſibile cruces gladios rotas ignes & innumerabilia mortis genera narrando percurrere quibus ſancti in ſtatu legis gratiæ extenſi ſunt, ſecti ſunt, confracti ſunt, cremati ſunt.

S. Cyprianus. *Tolerarunt uſq; ad conſummationem gloriæ duriſſimam quæſtionem nec ſupplicijs ipſi ſed ipſis ſupplicia ceſſerunt. Inexpugnabilem fidem ac charitatem ſuperare non potuit ſæviens diu plaga repetita quamvis rupta compage viſcerum in ſervis Dei non iam membra torquerentur ſed vulnera. Sic dimicarunt adverſus peccatum ſancti. ſic & laborando fortiores & moriendo victores effecti ſunt.*

Ut perſiſtamus in bono uſque ad conſummationem non modò exempla ſanctorum ſpectare, verùm etiam hoc nos ſentire convenit, tamdiu unumquemque patientià Dei ſuſtineri quamdiu nondum peccatorum ſuorum terminum finemque compleverit, quo conſummato reum illico perſ cuti nec illi ullam veniam amplius reſervari.

Induct: ſpeciale. Eſſe autem certum peccatorum modum menſuramque, ipſius Dei teſtimonio comprobatur, & quia unuſquiſque vel celerius vel tardius prout peccatorum ſuorum modum expleverit judicatur, evidentiſſimè quidem demonſtratur quando de Sodomorum & Gomorrhęorum interitu ac incendio, qui ſua jam peccata repleverant, ad Abraham Deus loquitur dicens: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum repletus eſt & peccata eorum magna vehementer repleta ſunt.* De Amorrhęis verò quos poſt multos annos quàm ſupradictæ Civitates crematæ ſunt, conſtat eſſe deletos, dicit: *Nondum ſunt repleta peccata Amorrhæorum uſq; adhuc.* Quo exemplo manifeſtiſſimè inſtruimur & docemur ſingulos ſecundùm peccatorum ſuorum plenitudinem conſummari & tam diu ut convertantur ſuſtineri, quam diu cumulum delictorum ſuorum non habuerint conſummatum.

S. Aug: de vita Chriſtiana

Jam quis tibi revelavit, numerum peccatorum tuorum haut integrum? à quo certificatus es multum deficere ad implendam delictorum tuorum menſuram? quis literas ſecuritatis dedit te ſi ſemel adhuc peccaveris, necdum ad prævaricationes tuas ultimam appoſiturum. Scimus equidem multos dum adhuc benignam permittentis Dei promittunt ſibi conniventiam inopino fato in ipſo peccandi actu extinctos. Scimus multos poſt expletam malitiam, clau-

am, clausam sibi agnovisse misericordiæ januam. Her & Onan filij Judæ subita & horribili morte à Dæmone Asmodęo propter mastuprationes occisi sunt. Septem viri Saræ dum minimè rentur, à dęmonio interfecti. Ex Hebręis 24. millia ob fornicationem subito interempta. Exhorruit Antonius Magnus & quis cum illo non exhorrescat quando accepit per revelationem, monachum cui antea onagri ceu prodigioso mulioni obtemperabant lapsum esse brevique non obtentis ad pęnitendum quas desiderabat inducijs, mortuum. Nescis heu nescis, te quoque si semel peccaveris simul condemnandum? Nescis unum, ultimum fore tibi erratum. Scalæ variæ sunt aliæ maiores, minores aliæ; hæ paucioribus, illæ pluribus nectuntur gradibus. quis scit in quoto gradu ęs ad infernum? quis docuit quòd peccatum si illud expleveris non extremus ad gehennam progressus fiet? De Pica cuiusdam Tonsoris narrat author Hagiophilæ quod humanas voces expeditè proferebat, recitabat Symbolum Apostolorum, Litanias Lauretanas, Orationem Dominicam; quæ tamen ad unum tubæ in vicina domo clangentis sonitum terrefacta totius suæ latinitatis & devotionum oblita, nullo labore ad loquacitatis pristinæ redire potuit argutias. Pica, pica mansit naturali relicta garrulitati: nullum ex oblivione sensit damnum, quia nullum ex devotione retulerat meritum; at nobis æterna labes nec reparabile damnum fieret si post nostras industrias spirituales, post varias ad serviendum Deo adinventiones alicui mundano lenocinio aurem prębentes totum illum deperderemus spiritum nunquam deinceps ad nostras devotiones ad nostros virtutum actus redituri. Neque enim in nostra potestate est reducere nos lapsos ad statum pristinum, sed in Dei miserentis gratia, qui cuius vult miseretur, quem vult indurat. *In vitis PP.*

Efficax & illud perseverantiæ motivum est, quòd carere Deo extrema sit miseria & quidam terrestris infernus. Sicut namque homo justus propter suam cum Deo conjunctionem, inchoatam possidet beatitudinem; ita in peccatum prolapsus, propter Dei amissionem infernales incipit experiri ærumnas. *Timentis Dominum beata est anima eius ad quem respicit & quis est fortitudo eius!* Et verò quomodo beata non sit cui Dominus ipse *protector potentiæ, firmamentum virtutis, tegimen ardoris & umbraculum meridiani, deprecatio offensionis & adiutorium casus, exaltans animam & illuminans oculos dans sanitatem & vitam & benedictionem.* Sub tali protectore sub eiusmodi firmamento quam formidabit potentiam? à qua sibi timebit virtute? quis sub hoc tegimine aduret ardor, sub tali umbraculo quis decolorabit æstus? nulla lædet offensio Domino deprecante, nullus affliget casus Domino adiuvante. Si conspirent adversa, ipsaque Erebi molimina ad humiliandam animam, Deus exaltabit. Si Cimmerijs tenebris oculos mentis involuere Sathan tentaverit, ipse illuminabit. Infirmitas vel aberit vel non oberit, eo medente in cuius pennis sanitas. Vita aderit pręsente eo qui est vita. benedictio tota se infundet ubertate ubi fuerit ille, qui aperit manum suam & implet omne animal benedictione. Porro Deo destitutus peccator quid faciet in medio Principum & potestatum inferni contra se pugnantium? quo tegimine utetur in tribulationum ardoribus? in æstu persecutionum quo confugiet, in casibus & adversa infortuniorum sorte quis depressum eriget, quis ad tenebras detrusum luci restitu-

restituet, quis infirmum fovebit, mortuum resuscitabit, maledictum benedictione restaurabit? Homo sine Deo est miles inter hostium manipulos absque armis, est ovis inter lupos absque opilionis & canum excubijs, est hortus in medio pecorum absque sepimento & ut loquar tenerrimi Teretij verbis: est arbor à radice præcisa, manus sine capite, infans absque Matre. est, ut Christus ipse in revelationibus S. Brigittæ asseruit, miserior catulo illo qui recèns natus matri suæ ademptus, cæcus in foveam proijcitur ubi quærit ubera aut aliquod matris solatium nec ullum invenit. Da mihi hominem destitutū omnibus huius vitæ bonis, da oppressum omnibus malis, da ab omnibus desertū, si tamē Dei amicus sit, is certe beatissimus re ipsa est. Da contra Principem daRegem da Imperatorem vitæ huius bonis quibusvis ad satietatem usq; pro arbitrio abundantē, fac tamen eum destitui gratia Dei & illum coram tribunali Dei statue, nonne merito infelicissimum putabis. Sanctissimè proinde ac rectissime Augustinus dicebat: *Melius est mibi non esse quam sine Iesu esse: melius est mihi non vivere quam sine vita vivere.* quæ tessera millies singulis horis geminari & ruminari digna. Ad rem facit illa Varronis pictura qua peccato mortali innodatam animam effigiavit. Pinxit ille Reginam in habitu lugubri continuè trementem. in circuitu Reginæ visebantur tres imagines: prima Dei, secunda diaboli, tertia hominis; ad unamquamque imaginem regina gerebat chartam protensam. In ea quæ dirigebatur ad Deum, scriptum fuit: *Salvatorem meum misera perdidi & omnes Angelos eius. Væ væ mihi ad quid nata sum?* Charta ad diabolum directa hanc ostendebat scripturam: *Diabolo & Angelis eius homagium feci quando in peccatum per consensum incidi.* In charta ad hominem porrecta eiusmodi inscriptio: *Omnia mala omnis horror omnis tribulatio finis meus & omnis pæna, ut si quis dilexit me, hæc sibi innotescant.* Quis ista perpendens adeo temerarius imo fatuus fuerit ut eligat absque Deo esse & sic in omnium malorum gurgitem sese præcipitare.

In instruct: Idiotæ. *Gaudier:* *In medit: C.39* *In tabula exempl: dist: 9. Exempl: 162.*

Persistentiam in bono & merces æterna suadet. *Ne verearis usq; ad mortem justificari quia merces Dei manet in æternum* Eccl: 18. Age dic sodes si præmium tanto tempore sit duraturum cur tu servitium vis esse momentaneum? Si merces non finietur quamdiu Deus in cælo regnabit, cur tu non vis ut servitus duret saltem quamdiu vivis in terra? ut præmium labori sic labor præmio respondere debet. Non piguit Jacobum pro Rachele obtinenda continuos septem servire annos. Septem anni post quos octavus æternæ beatitudinis sequitur, universam figurant vitam nostram; his continuè laborandum ut delicatissima & pulcherrima perpetuæ felicitatis Rachele potiamur. Videre est in veteribus historijs, quosdam lustrasse provincias, novos adiisse populos, maria transisse ut eos quos ex libris noverant, coram quoque viderent. Ad Titum Livium lacteo eloquentiæ fonte manantem de ultimis Hispaniæ Galliarumque finibus quosdam venisse nobiles legimus & quos ad contemplationem sui Roma non traxerat, unius hominis fama perduxit. Apollonius sive ille Magus ut vulgus loquitur, sive Philosophus ut Pytagorici tradunt, intravit Persas, pertransijt Caucasum, Albanos, Scythas, Massagetas, opulentissima Indiæ regna penetravit & ad extremum latissimo Physon amne transmisso pervenit ad Brachmanas ut Hiarcham in throno sedentem aureo & de Tantali fonte potantem, inter

S. Hieronymus

paucos

paucos discipulos de natura & motibus siderum ac dierum cursu audiret docentem: inde per Elamitas, Babylonios, Chaldæos, Medos, Assirios, Parthos, Syros, Phęnices, Arabes, Palęstinos reversus Alexandriam, perrexit in Æthiopiam ut gymnosophistas & famosissimam solis mensam videret in sabulo. Si tantus tam diuturnusper tot terrarum mariumque discrimina susceptus labor ut videretur & audiretur ad horam aut dies aliquot, ad summum ad annos aliquot vir eruditus Hiarchas in throno aureis laminis fulgurante disputans, solisque mensa conspiceretur: si integrum vitæ spatium consecrabant sęculi homines curiosæ ad modicum tempus visioni; vilior erit perpetua regni cęlestis beatitudo, throni divini maiestas, Sapientia increata revelans mysteria parvulis, Mensa Solis justitiæ perenni beatitate accumbentes satians? vilior inquam erit quàm ut eius visioni ac fruitioni in secula duraturæ numerum dierum totamque peregrinationem nostram eamque sat brevem devoveamus? Si tanti vitrum quanti margaritum? Ut hyeme bene sit tibi, tota æstate sudas: Ut exiguo vitæ circulo egestatis evadas calamitates, non cessas opes congregare: ut verò per æternitatem in perennibus vivas delicijs, tantillum temporis quod vita tua est, labori non impendes? Si quando igitur languet animus & ad deficiendum proclivis est, erigendus recordatione mercedis æternæ.

Peculiare tenendæ perseverantiæ medium invenio frequentem firmi propositi innovationem. Nimirum propositum nunquam grauiter peccandi est fundamentum vitæ spiritualis, basis charitatis, est cubus perfectionis. Quamdiu in eo anima persistit, tamdiu permanet in charitate & statu salutis; at ubi resilierit, subitò deletur de libro vitæ atque in volumen perditionis refertur & ad regnum tenebrarum transportatur. Quamdiu sanctum hoc decretum fixum firmumq; durat in anima, immota stat substantia virtutis ceu scapus in basi. submoto illo, protinus & hęc corruit non secus ac manente ædificij fundamento etiamsi ex parietibus abradantur crustæ & picturæ non solvitur domus; diruto fundamento, omnia quæ structuram perficiebant solo æquantur. Homo igitur cui amicitia divina cordi est quive in eadem perseverare desiderat, animum nunquam divinam bonitatem offendendi stabilem & immobilem habere curet. Hoc eius sit studium: hoc obiectum in omnibus actionibus motibusvè: hoc petat à Deo in omni oratione: hoc colligat ex concionibus, ex piorum librorum lectione, ex fabrica mundi & creaturarum omnium constitutione: hoc demum conquirat ex passione Christi & sacramentorum perceptione. Quemadmodum enim, qui parieti clavum vult infigere, non est contentus unum duos aut tres ictus marculo dedisse sed eo usque pulsat donec clavus immotus hęreat; ita spiritualis profectûs studioso sat esse non debet si qualemcunq; firmitatem propositi habeat verùm conari & laborare quotidie debet ut ex omnibus rebus quas videt quas audit legit aut cogitat, occasionem eruat quo magis in eo crescat amor Dei & odium peccati.

Media perseverantiæ.

Lud: Granat: in Duce pec:

Proposito eiusque frequenti renovationi junge Orationem. Probata namque Theologorum sententia est justos homines per preces Numini fusas obtinere posse apud Deum ut in gratia eius persistant vitamq; finiant. Et sumitur doctrina hęc ex Doctore Angelico cuius sunt ista: *Perseverantia donum aliquis petendo impetrat sibi & alijs.* Quodsi Orationem

1. 2. q. 114. art: 9.

tionem tuam acceptandam diffidis, ora ut pro te oretur. Legimus utiq; in historijs Ecclesiasticis alienas preces magnum momentum alijs contulisse ad perseverantiam & salutem. Proficient sine dubio in salutem animæ tuæ aliena suffragia, modò & ipse fructum eorum inerti desidia non impedias.

Teretius in Idiota:

Dices. Semel tantùm peccabo ut experimentum sumam delectationis & postea pœnitentiam agam. Quid dicis qui ista profers? ita plane est ac si dicas: Confodiam me modò gladio & postea vadam ad medicum. Heu miser homo nescis quòd unius horæ puncto vulnus accipitur, sed vix longo tempore in cicatricem obducitur. Deinde qui dicis te exempli gratiâ post procax libidinandi flagitium pœnitentiam acturum, fieri potest ut apoplexia vel alio affectu correptus, repentino exanimeris fato, pereatque tibi dilatio & succedat æterna damnatio. Quid dicis: semel peccabo. cum peccatum præcipuè carnis ad quod vehementissimi solent esse impulsus, maximæ sit adhærentiæ & difficilè possit homo ab eo eripi. Insatiabilis est delectabilis appetitus nec unquam dicit more inferni sufficit, semperque quavis hirudine tenacior & crudelior clamat *affer affer*. Luxuriosi enimverò licet amittant pecuniam famam & cum ingenio alijsque animi dotibus valetudinem, nunquam tamen satiari possunt donec passione tanquam vento urente exsicati pabulum fiant ignis infernalis. Et tametsi minus dulcedinis quam deceptoria titillatio obtrudit, ex fœdo actu se in deterius mutante referant, quin potius quandam animi amaritudinem sentiant, nihilominus sicut ignis oleo perfusus esto aliquantum mitescat, brevi tamen in maiorem consurgit flammam; ita illi laxatæ libidinis graviore impetu acti, cæco mentis affectu in maiora ac maiora scelera proruunt. Quis unquam præ Salomone expertus est plura genera deliciarum, ludorum, venationum, Canticorum, Conviviorum & tamen cum omnia periclitatus esset non alium fructum percepit quàm meram inanitatem & afflictionem spiritus uti fatetur de semetipso, cui omnino credendum est, neque enim loquitur ex theoria, sed ex praxi. non ea quæ audivit narrat, sed quæ vidit & palpavit. Cur ergo tu probare vis quod jam probatum est? Antiquû mundus obtinet. Ne tibi persuadeas invenire te posse quod alius non invenit. Noli putare quòd sitim concupiscentiæ sedabis sterili racematione quam Rex memoratus vindemia tam abundante restinguere non poterat. Peccabo, inquis, moxque agam pœnitentiam. At nostine quid serus vesper vehat? quis, ut jam monui nec semel monuisse contentus sum, quis inquam revelavit concedendum tibi spatium pœnitentiæ, quis assecuravit seriam & veram pœnitentiam te acturum? quis scit an etiam post pœnitentiam perniciosis argutiarum diabolicarum strophis ad complacentiam non traduceris seductus? Quam multi enim sunt qui solo mortis metu pro peccatis doluerunt cum Antiocho & Juda, illaque confessi sunt nec tamen justificati? quàm multi legitimè sumptis sacramentis pœnitentiæ & sacrosanctæ Eucharistiæ, fermè in ipso puncto mortis ex habitu perverso in antiqua mala per complacentiam ludificante diabolo misere relapsi atque damnati sunt. Maximè etenim in fine laborat diabolus, quod Christus revelavit S. Birgittæ, ut anima versutijs & imposturis eiusdem averruncetur ab intentionis rectitudine, justè id permittente Deo, quia anima cum deberet, renuit vigilare. unde multi in

S. August: de honest:

Teretius in Arma.

Ludovic.Gra: in duc: pec: 1. part: 3. pag: 574.

Teretius in Arma lucis.

ti in

ti in occulta desperatione moriuntur, juxta Drexelij annotationem.

Ergo obturemus aures ad has diabolicas suadelas, ad hos sibilos infernales, claudamus filias carminis. Radicemus in nobis ex omni occasione firmum, nunquam Deum, pro totius mundi lucro omniumque voluptatum experimento, offendendi propositum, radicemus & nutriamus donec ad illam crescat perfectionem ut possimus cum Apostolo dicere: *Quis nos separabit à Charitate Christi. Væ his qui perdiderunt sustinentiam & dereliquerunt vias rectas & diverterunt in vias pravas. Quid facietis cum inspicere cæperit* DEUS? O desertores! o rebelles! o fædifragi! quid facietis cum severitatem cęperit in eos exercere qui ceciderunt, in eos autem bonitatem qui perstiterunt in bonitate. Væ nobis, væ tempori illi quo DEUM non amavimus, quo sustinentiam perdidimus non persistentes in bono immobiliter, sed illecebris cedentes muliebriter! Polypus ea firmitate adhęret petræ ut se non sinat avelli, priusque patiatur minutim conscindi quàm ab amplexu rupis abstrahi: si nihilominus stilla mellis desuper in os eius mittatur, ultrò petram deserens labitur. Polypis fortiores nos convenit esse ut non modo adversitates pungentes, sed nec voluptates blandientes possint nos à Petra Christo sejungere. *Non est enim consentaneum, qui metu non frangatur eum frangi cupiditate & qui invictum se à labore præstiterit, vinci à voluptate.* Probri & risus plena res, qui inter gladios & ignes inter mortis pericula invictam animi servasset fortitudinem, eum ubi imbelli voluptati resistendum, ignaviter instar pathici mollescere: & qui ignitas sartagines pro Christo superasset, muscarum aculeis cedere. Alphonsus XI. Rex Castellæ & Legionis pro Hierographia habuit mustellam in medio arborum in Orbem euntium & fumo circumfusarum depictam cum adiecto lemmate: *Malo mori quàm fædari.* Mustella mori malle dicitur quàm transire ea quæ fuligine inspersa sunt ne pellem inquinet. Ita credit Jovius. Mustellæ mysticæ simus, potius mori quàm aliquo crimine pellem nostræ conscientiæ fędare eligamus. Frequenter illam D. Casimiri Candidæ Religionis nostræ Candidissimi Patroni repetamus tesseram: *Malo mori quàm fædari.* Dicamus jugiter cum Psalte: *In æternum non obliviscar justificationes tuas, quia in ipsis vivificasti me. Et quia solus* DEUS *gratis perseverantiæ bonum largitur cuicunq; illud largitur*, rogemus continuis & indefessis precibus ut nos sanctificet per omnia ut integer spiritus noster & anima & corpus sine querela in adventu Domini nostri JESU Christi servetur. Fidelis est enim qui nos vocavit, qui etiam faciet ut post constantem sustinentiam, ad vitales æternæ gloriæ epulas admittamur.


Ecclesiast: 2.

Cicero lib: 1. de officijs.

Typotius.

S. Thomas 1.2. q. 114. art: 9.

1. ad Thessa: 5.



MISERICORDIA.

SEquentis Dominicæ Evangelium proponit nobis misericordiam Domini decem millia talentorum servo debitori dimittentis: necnon duritiem servi exiguum debitum conservo relaxare nolentis atque ob id

ob id justam indignationem ac increpationem incurrentis: *Serve nequam nonne & te oportuit misereri conservi tui sicut & ego tui misertus sum.* Quod Christus Dominus nudis ac simplicibus verbis monuerat dicens: *Estote misericordes sicut & Pater vester cælestis misericors est*; hoc idem sub parabola commendat, quatenus quod per simplex præceptum teneri ab auditoribus non poterat, per narrationem parabolicam teneretur. Nec id satis erat, adhibuit & exempla vitæ sanctissimæ quibus nos ad sectandam suam doctrinam pertraheret. Tota namque vita ipsius circa misericordiæ & beneficentiæ occupabatur actus. Pleni sunt Evangeliorum libri, plenæ scripturæ omnes, qualiter tempus universum impendebat sanandis languoribus, mortuis resuscitandis, pauperibus evangelizandis, peccatoribus justificandis & quibusvis defectuosis sublevandis. Superiores vicariam Christi in terris tenent potestatem, atque idcirco ore & re ipsa sequi præeuntem obligantur. Igitur & ego si non exemplo, saltem verbo imitaturus Christum Dominum, ad amplexandam & exercendam misericordiæ virtutem adhortabor, ut vel minimum in regno cœlesti gradum obtinere valeam juxta promissum Salvatoris: *Qui docuerit & non fecerit minimus vocabitur in regno cælorum.*

Ita legit S. Hierony: in Epist: ad Rufinum.

Misericordiæ natura.

Misericordia juxta D. Augustinum 9. de Civit: Dei *est alienæ miseriæ in corde nostro compassio, qua utiq; dum possumus, subvenire compellimur.* Inter effectus interiores charitatis post gaudium & pacem ponitur à Doctore Angelico ut triadem effectuum charitatis interiorum perficiat: sicut charitas perficit triadem virtutum Theologicarum.

Nobilitas.

Ex omnibus quæ proximum respiciunt virtutibus potissima princepsque est, quia potioris actûs: nam alijs se effundere defectusque aliorum sublevare, superioris meliorisque partibus accensemus. Supra ipsa etiam religionem secundum externos suos actus & litationes acceptam extollitur. Oseæ enim 6. & Matthæi 12. præfertur & præeligitur sacrificio: *Misericordiam volo & non sacrificium.* Neque enimverò colimus Deum per sacrificia exteriora propter ipsummet Deum, qui nullius boni nostri eget; sed propter devotionem in nobis excitandam & propter proximorum nostrorum utilitatem à nobis ea vult sibi offerri. Cum itaque misericordia propinquior sit ad inducendam proximorum utilitatem, præ omnibus externis holocaustis gratior habetur Deo.

Misericordes misericordiã consequentur

Christus Dominus inter octo beatitudines misericordiam collocavit: *Beati*, inquit, *misericordes, quoniam ipsi misericordiam consequentur.* Idẽ est acsi diceret: Beatitudinem hic quidem imperfectam & inchoatam habent at in cælis consummatam habebunt, qui misericordes sunt. Esto enim ultio divina inveniet in eis quod plectat, nihilominus in ipsorum causa misericordia superexaltabit judicium. Misericordiam consequentur: quia non permittentur mala morte perire. Dicit enim Hieronymus: *non memini me legisse mala morte mortuũ, qui opera charitatis exercuit*, ubi charitas ad proximum, hoc est beneficentia intelligitur. Misericordiam consequentur: quia à gravioribus præservabuntur delictis aut saltem in ijs non sinentur perseverare juxta illud Ecclesiastici 24. ubi enumeratis multis atrocibus flagitijs subdit sacer textus: *A misericordibus hæc auferentur & in delictis non volutabuntur.* Misericordiam consequentur; quia pro peccatis ex infirmitate humana commissis cor-

fis corripientur quidem, non tamen clementia auferetur ab eis, juxta glossam Ambrosij quæ sic habet: *Omnis summa disciplinæ Christianæ in misericordia & pietate est, quam aliquis sequens, si lubricum carnis patitur, sine dubio vapulabit, sed non peribit.* Quam glossam sic intelligendam Princeps Theologorum tradit, quòd per opera pietatis ille qui lubricũ carnis patitur, liberatur à perditione æterna in quantum per huiusmodi opera disponitur ad hoc ut gratiam consequatur per quam pœniteat; & in quantum per huiusmodi opera satisfacit de lubrico carnis commisso. Non autem ita intelligendam vult quòd quis in lubricis peccatis perseverans finaliter absque pœnitentia, per opera pietatis liberetur à damnatione.

Scripturarum veritas fideli historiarum comprobatur relatione. S. Joannes Patriarcha Alexandrinus Eleemosynarius cognomento dictus de semetipso hęc referebat: Cum essem in Cypro annorum circiter 15. vidi una noctium in somnis puellam sole formosiorem ornatamque supra humanum morem, & coronam de ramis olivarum in capite gestantem, cumque me in latere pulsasset expergefactus in rei veritate assistentem conspexi, factoque crucis signo quænam esset & quomodo ad me dormientem introire ausa interrogavi. Illa ut erat hilari vultu talia respondit subridendo: Ego sum prima filiarum Regis, si me possederis, ducam te in conspectum Regis. Ego verò reversus in me, intellexi compassionem esse atque idcirco ramis olivarum redimitam. Visionem consecuta veritas. Nam horâ obitus Patriarchæ, Monachus quidam Alexandrinus, nomine Sabinus, in excessu mentis vidit Antistitem prętatum quasi eunucho quodam cubiculario eum ad Imperatorem vocante de proprio episcopio inter numerosam cleri cerea portantis manum egredi & mox ultra januam progressum (quod significabat exitum è corpore) à puella solis pulchritudinem superante ac serto oleagino coronata, blando complexu suscipi: & hęc misericordia fuit plurimùm adamata Divo isti, quæ revera duxit illum ad Imperatorem in cuius manu sunt omnium potestates & jura regnorum.

In annalibus quoque nostris proditum est, quendam pręfectum castri Socies propter opera misericordiæ fratribus nostris affatim impensa, cum jam defunctus ob peccata damnandus esset, interventu Divi Pauli institutoris nostri niveo candore fulgentis ac multitudine fratrum circumvallati ad vitam pœnitentiæ agendæ causâ redijsse, & ea triginta diebus in monasterio nostro, prodigioso rigore impletâ, obijsse. Facilem se exhibuit ad miserendum & parcendum misericordi pijssimus Deus cum pro illo preces & regnantium in cęlo & adhuc in terris viventium atque corpus demortui cum Beato Luca Nostrensi viro Thaumaturgo circumdantium fratrum funderentur. Contrarium legimus de quodam aspero & crudo homine, qui miserorum gemitus subterfugiens, se elongabat ab eis. Cum enim justa pro anima eius exoluerentur vidit Episcopus intra missæ sacrificium quòd crucifixi simulacrum in ara consistens aures ambabus manibus obturaret ne preces pro defuncto factas audiret. Quod alijs pręstitit miseratio, etiam nobis pręstabit, nosq; non permittet infelici fato decedere, non permittet ob admissos ex fragilitate naturæ defectus damnari; sed ducet in conspectum supremi Imperatoris æternaliter visione ipsius beatifica gavisuros: secus si asperi

durique simus & ad gemitus pauperum claudamus aures.

Motivum miserendi, defectus aliendus. Impulsus ad miserendum est defectus alienus velut noster apprehensus. Ait enim Doctor Angelicus: *Semper defectus est ratio miserendi, in quantum aliquis defectum alicuius reputat suum, vel propter unionem amoris vel propter possibilitatem similia patiendi.* Vis alterius misereri, vis silice duriorem animum erga proximum emollire? miseriam eius, tuam æstima. Conspicis morbos alterius? noli spiritu pharisaico peccatis adscribere patientis, sed statim cogita quis sit qui patitur, quòd tuus proximus, tuum in corpore Christi commembrum. Cogita quod forsan duriora patieris ipse. Si videris diversas hominum calamitates, capita alopecia & porrigine fędata, truncas nares, effossos oculos, semiustos pedes, luridas manus, tumentes aluos, exile femur, crura turgentia & de exesis ac putridis carnibus vermiculos bullientes, si morbo regio & pedore confecta membra adverteris, reputa tuum esse quod alius patitur: considera tuam in alio naruram corpusque tuum torqueri & quòd qui nunc incolumis es, mox maiori pedore conficiendus & consumendus sis. His stimulis ad exercendam miseris beneficentiam urget D. Hieronymus in Epitaphio Fabiolæ verbis sequentibus: *Ille quem despicimus quem videre non possumus, ad cuius intuitum nobis vomitus erumpit, nostri similis est, de eodem nobiscum formatus est luto, ijsdem compactus est elementis: quidquid patitur & nos pati possumus, vulnera eius existimemus propria: & omnis animi in alterum duritia clementi in nosmetipsos cogitatione frangetur.*

Miseriæ experientia incitat ad miserendum. Et verò quare rogo permittente Domino varijs necessitatibus, morbis, & calamitatibus crebrò obruimur nisi ut non ignari malorum miseris succurrere discamus. Populus Judaicus non sine causa nec sine providētia divina ex natali solo in Ægyptum fame generali mundum gravante migravit. Ea id factum ratione ut populus ille electus, in extera patria captivitatis & peregrinationis miserias laboresq; edoctus, faciliùs postmodum misereri peregrinantibus & laborantibus nosset. *Nemo enim peregrino & advenæ tam libenter miseretur quàm qui peregrinationis exitus novit.* (*S. Augustinus*) *Nemo libentius hospitem in suum introducit hospitium nisi qui ante tecto indiguit alieno. Nemo ita alacriter esurientem cibat, sitientem potat, quàm qui sitim esuriemve perpessus est. Nemo tam facile nudum suis operit vestimentis quam qui nuditatis & frigoris novit asperitatem. Nemo sic tribulato & misero succurrit quam qui tribulationum & miseriarum casus expertus est. Meritò ergo Deus misericordiæ & pietatis magister, qui misericordiæ & pietatis præcepta erat traditurus populo suo, prius eum omnes pressuras tribulationes & angustias in terra perpeti aliena voluit quò facilius posset talia patientibus misereri.* Ob hanc causam Hebręos afflictionibus pressos fuisse ex ipsius Domini liquet mandatis: *Advenam non vexabitis nec tribulabitis, fuistis enim & vos advenæ in terra Ægypti.* Et iterum: *Proselytis & orphanis & viduæ date panem & vestimentum. Diligite proselytum, quia & ipsi fuistis in terta Ægypti proselyti.* Non modicus & ille ad miserendum

Item pretiosa in conspectu Domini miserorũ conditio. stimulus quòd pauperes ac calamitosi homines inter varia fortunæ fulmina & potissimum inter pressuras ægritudinum constituti, esto contemptibiles videantur, sunt nihilominus lapides pretiosi ex quibus superna construitur Jerusalem. Macarius Presbyter anachoreta virginem quandam

dam Alexandrinam locupletem, quia immisericors erat nihilque pauperibus ex sua substantia largiebatur, hoc pio astu ad beneficentiam induxit. Novi, ait ad illam, venales incomparabilis pretij quodam in loco haberi smaragdos & hyacinthos: si placet, da præsentarium aurum & ego efficiam ut tibi veneant. Illa ut erat rerum eiusmodi avida (*philocosmon enim ut habet Hieronymus in Epistola ad Gaudentium, genus fœmineum est: multasq; etiam insignis pudicitiæ quamvis nulli virorum, tamen sibi scimus libenter ornari.*) obtulit confestim stipulatori 50. solidos petijtque ne fortè quis in hoc mercimonio eam anteverteret. Abijt Macarius erogavitque pecuniam omnem pauperibus. Post multum temporis in Ecclesia demoranti Macario insusurrat Virgo emeritne lapides pro quibus pecuniam acceperat. Omnino, respondet, emi: veni ad habitationem meam & vide. Introduxit ergo virginem in nosocomium cuius præpositus erat, monstravitque ei in inferiori contignatione mulieres varijs morbis laborantes dixitque *hi sunt Smaragdi.* Ad superiora quoque domus ductæ ostendit viros leprosos & omnigenis languoribus tabescentes dixitque *hi sunt hyacinthi.* Si acquiescis, erunt tibi ornamento: quodsi nummos mavis, restituam. Equidem lapides pretiosi sunt pauperes omnes: quia Christus ipse in illis habitat. Unde Hieronymus monet: *Quoties manum extendis, Christum cogita.*

Incitamenta hæc levia videntur esse si cum sequenti conferantur. In die judicij de operibus misericordiæ, divinum à Christo in facie totius mundi referemus encomium: sicut & damnati non redarguentur nisi de eorundem neglectu. Quis putas honor ille erit quod gaudium audire à Christo collaudationem & humanissimam ad regnum cœleste invitationem: *Venite benedicti Patris mei. esurivi enim & dedistis mihi manducare: sitivi & dedistis mihi bibere: hospes eram & collegistis me: nudus & cooperuistis me: infirmus & visitastis me.* Et contra quæ confusio quis stupor erit vocem indignationis ac exprobrationis divinæ audire: *Ite maledicti in ignem æternum.* quoniam minimis meis & in persona eorum mihi ipsi nihil unquam boni præstitistis. *Item honor qui dabitur à Christo in die judicij misericordibus.*

His puto incitamentis acti sanctorum plurimi eximia beneficentiæ monumenta reliquerunt nobis. Non perijt hactenus memoria decem millium Monachorum Ægyptiorum, qui messis tempore suam elocabat operam eo fine ut pauperibus subvenirent, quibus illud elogium datum est quòd intra Ægyptum non sufficiebant, qui largitates eorum absumerent. Josaphat Rex, Bessarion Eremita, S. Stanislaus, Carolus Borromeus, Paula, Fabiola, Heduigis profusissimi erga miseros fuere. Et ne plura replicando, fastidium generem, in copia etiam nunc Ecclesia se habere gaudet Martinos, Paulas & Fabiolas quæ Monasteria opibus suis sustentant, nudos & clinicos vestimentis tegunt atque miserorum quorumuis indigentiam festina sublevant largitione. Ad confusionem imò ad emendationem eorum hæc dicuntur, qui duritiem stulti Nabal secuti, modico quantumvis officio egentem dedignantur reficere Davidem. *Exempla misericordiæ.*

Adamantis ea est natura quod nullis valeat frangi malleorum illisionibus. Unde illam inscriptionem habere meruit: *semper adamas.* Notantur duri & immisericordes homines quos frustra fortibus precum ictibus pulses. operam perdis hos rogando. etiamsi sanguineis rores lachrymis, semper sunt adamas. saxeo corde miserorum excipiunt eiulatus. *Hieroglyphicō.*

Castellanus quidā inter antepagmēta arcis suæ hos versus inarari curavit:

In spec: exem:

Decretum detur ne dormiat aut epuletur
Hic gens villana sed Achilles, Plato, Diana.

Quo disticho significavit non nisi nobilissimis sapientibus ac formosis hospitibus in castro suo locum dandum. Hic in visione tractus ad judicium cum ob metum judicis totus tremeret, à Virgine Beatissima in spem erectus opera misericordiæ jussus est exercere, & priori inscriptione deleta hanc superliminari domus suæ insculpere:

Muta decretum, sanctorum suscipe cœtum,
Nudum Martinum, Lazarum, Iacobum peregrinum.

Plurimos & nunc reperias, qui tantummodo Platonem Achillem Dianamque suo excipiunt hospitio & convivijs ac repotijs tractant amplissimorum patrimoniorum absumptivis: Lazaros porro Jacobosque atque id genus egentes fastidiunt & reijciunt, aut si aliter importunitatem quęstorum stipis non liceat declinare, per pseudotyrum se domo subducunt. Mutent hi decretum, sanctorum suscipiant cętum nisi velint in extremo die, remotâ misericordiâ judicari. Quid nos, aietis, ad opera misericordiæ stimulas, qui nihil proprij quod in refrigeria miserorum tribuamus habemus. nobis ipsis vix suppetunt necessitatis subsidia, nihil superflui ad erogandum possidemus. Fateor quòd nemo nostrum quidquam proprij in particulari possidet. Fateor quod quilibet è nobis *pauper inopsq́ paterni & laris & fundi est*. Sed in vobis alios quoque erudio. Deinde memineritis obsecro illius pauperculæ mulieris quæ duo minuta æra mittens in cystam templi, testimonio Salvatoris liberales divitum superavit eleemosynas: & nostræ profectò quantumvis exiguæ oblationes cum superioris potissimum benedictione factæ, gratissimæ Christo erunt copiosisque Regum pręferentur thesauris. Insuper si opera misericordiæ carnalia non valemus præstare, spiritualia certè in promptu nobis est exercere. Septem hęc numerantur. scilicet docere ignorantem, consulere dubitanti, consolari tristem, corrigere peccantem, remittere offendenti, portare onerosos & graves, orare pro omnibus. quæ universa sequens versiculus comprehendit:

Præoccupatio.

Opera misericordiæ quotuplicia & quæ:

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

ubi sub eodem vocabulo consilium & doctrina capitur. Totidem censentur carnalia subiecto expressa carmine:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Ut ergo de solis loquar spiritualibus, ab his nemo nostrum excusatus est. Docere, consulere, corripere, solari, offensas remittere, alter alterius onera portare, deprecari pro invicem & pro omnibus alijs, nostri officij est nostræque vocationis. Sed & corporales beneficentiæ salubriter exercentur à Religiosis pręcipue ijs qui dispensandi bona temporalia ministerium tenent. Sanè si sęculares culpantur dum sunt adversus miseros duri: maiori reprehēsione digni religiosi, qui magis manus rogantium spectant quàm vultus: & qui cùm norint beatius esse dare quàm accipere, utramque nihilominus manum collectam habent ad dandum, apertam ad accipiendum. Ut igitur 10. millia talenta quibus ob transgressionem decalogi gravati sumus, dimittantur nobis à Domino, conservorum nostrorum misereamur: quatenus doctrinam Christi exemplaque imitatione sedula in nobis ipsis exprimamus.

RELI-



RELIGIO.

SOlennis legatio Judęorum ad Joannem Baptiſtam in ſequenti Evangelio Dominicali deſcribitur. Veniunt OratoresJeroſolymitani ad Joannem in deſerto commorantem & turbas populorum baptizantem, hiſque eundem compellant: *Tu quis es?* Arbitror ego non ex devotione aut aliquo ordinato fine id feciſſe & quęſiviſſe Iſraëlitas, ſed ex mera curioſitate ob quam meruerunt à Chriſto redargui: *Quid exiſtis in deſertum videre?* Sumus & nos in deſerto vitæ monaſticæ ad inſtar Joannis. Sęculi homines circa vitam regularium curioſiores crebro inquirunt de ſingulis noſtrum: *Tu, quis es?* Imò conſcientia etiam ipſa hanc ſępe obtrudit nobis quęſtionem. Quid ergo reſpondebimus? dicemus Religioſos nos eſſe. Et rectè: ſic enim vocamur. An verò re ipſa ſimus, & ut ſimus, pręſenti monſtrabo & hortabor ſermone.

Religio eſt virtus quæ debitum cultum Deo affert. Quocirca omnes qui Deum colunt, communiter vocantur religioſi: at ſpecialiter illi qui totam vitam ſuam ſervitio divino devovent, votis ceu nexibus quibuſdam ad id ſervitium ſe adſtringentes. Finis illius non alius niſi ut per eam Deo ſubijciamur & copulemur. Ut porro mens noſtra ſupremæ naturæ conjungatur, indiget ſenſibilium rerum manductione, per quas ad inviſibilia Dei cognoſcenda atque amanda aſcendat. atque hinc eſt quod in Divino cultu aliquibus corporalibus utatur, ut ijs velut ſignis aut teſſeris quibuſdam animus noſter ad ſpirituales actus per quos proximè & maximè unimur cum Deo, excitetur. Duplices igitur ſunt religionis actus: interiores & exteriores. Interiores, devotio & Oratio. Exteriores in triplici claſſe ſtatuuntur: alij per quos corpus noſtrum divinæ venerationi impendimus uti eſt adoratio; alij quibus aliquid de rebus externis Deo offerimus ut ſacrificia & oblationes; alijs quibus divinum quidpiam aſſumimus veluti ſacramenta, & nomen Domini, quod quidem in juramento, in adiuratione, in oratione aſſumi ſolet. Et ne quid deſit ad intelligentiam materiæ pręſentis, ſuperſtitio religioni opponitur per exceſſum, non quòd plus exhibeat ad cultum Dei quàm vera religio, ſed quod non ei cui debet nec eo modo quo debet, cultum ac ceremoniam Deo afferat. Partes ſuperſtitionis hæ ponuntur. primò cultus indebitus veri Dei, ſecundò idololatria, tertio divinationes, quartò obſervationes. Singularum naturam & diſtinctionem in promptu quilibet habet apud authores. Hic enim ego mores inſtruo non intellectum: neque ſcholaſtici Doctoris Cathedrā teneo, ſed catechiſtæ; quanquam moribus informandis etiam lumen ex Theologicis diſciplinis mutuare opportuniſſimum ducens, doctrinas ſalutares pręceptionibus jungo moralibus, uti alibi, ſic & in pręſentiarum. His itaque proluſionis inſtar pręmiſſis, jam ſcrutemur ſcripturas & quid Dominus circa venerationem ſui jubeat videamus.

Religionis natura & actus.

Superſtitio quid & quotuplex.

Deutoronomium ſecunda lex, & quędam Evangelicæ legis p ręfiguratio

inter alia pręcepta moralia ut taceam de cęremonialibus ac judicialibus quæ cum veteri teſtamento evanuerunt, id potiſſimum, ſexto & decimo capite inculcat: *Dominum Deum tuum timebis & illi ſoli ſervies.* ſeu quemadmodum Chriſtus Dominus author univerſæ legis Matthęi 4. pręfatam ſcripturam diabolo honores divinos expetenti opponens locutus eſt: *Dominum Deum tuum adorabis & illi ſoli ſervies.* Mandato hoc ſat manifeſto cavetur ne quis cultum & ſervitutem exhibeat alicui alteri pręterquam ſupremo Numini. Sed in ſcirpo offert ſe nodus, hoc eſt: in plana & aperta ſententia difficultas occurrit. Quomodo ſoli Deo ſerviemus, qui & Regibus honorem impendere, & mutuam inter nos reverentiam ſervare, & Dominis noſtris fideli obſequio famulari jubemur non tantum propter timorem, ſed & propter conſcientiam. Sanctos quoq; homines Eccleſia Catholica religioſo obſervat cultu. At quantumvis omnes Superiores revereri debeamus, non tamen par omnibus exhibenda reverentia, ſed aliquid ſpeciale ſummo Deo debetur qui ſingulari ratione univerſas excellit res creatas. Si enim juta Tullium de natura deorum, *juſtam habet venerationem quidquid excellit:* profectò Deus, cùm omnibus rebus ſupereminеat, ſpecialem & ſupremam habere debet: & iſtud eſt latriæ cultus. Hunc Deo ſoli convenire variæ religionis acceptiones loquuntur. Religio enim ſive à religando, ſive à relegendo, ſive à reeligendo, ſive demum à relinquendo ſuam trahit appellationem. Deus autem ſolus eſt primum & indeficiens principium cui alligari debemus: ſolus dat nobis gratiam & gloriam atque opportuna his duobus conſequendis media, ut continuò retractare & relegere magnalia bonitatis divinæ teneamur: ſolus eſt finis noſter ultimus à quo ſi avertimur, iterum ad eum converti neceſſe: ſolus eſt ultima & perfectiſſima morum noſtrorum regula, cui proinde quidquid contrariatur, omninò relinquendum. Devotio quæ habetur ad ſanctos Dei mortuos vel vivos, non terminatur, nec ſiſtit in ipſis: ſed in miniſtris Dei, ipſum Deum veneramur. Et ſanè dum ſanctos memoramus, quid colimus, niſi omnipotentiam bonitatem & ſapientiam Dei ſervis ſuis ſe communicantem? Quare *honoramus ſanctos propter imitationem non adoramus propter religionem. honoramus charitate non ſervitute; nec eis ſed Deo in ſanctis ſuis mirabili templa conſtruimus.*

Soli Deo deberi ſupremũ cultum oſtenditur ex etymologia religionis.

S. Auguſt: de vera religione

At quid quæſo ex noſtra veneratione divinæ accedit amplitudini? magnitudinis eius non eſt finis. gloria Dei infinita eſt. ut minui ſic & augeri nequit. Nullum prorſus religio noſtra ſupremæ illi naturæ quam divinam vocant pręſtat beneficium, nobis duntaxat ipſis ſuffragatur. Deo enim reverentiam, & honorem exhibemus, non propter ſeipſum, quia ſe ipſo eſt gloria plenus [cui nihil à creatura adiici poteſt, ſed propter nos; quia videlicet per hoc quod Deum reveremur & honoramus, mens noſtra ei ſubijcitur & in hoc eius perfectio conſiſtit. *Qualibet enim res perficitur per hoc quod ſubditur ſuo Superiori, ſicut corpus per hoc quod vivificatur ab anima, & aër per hoc quod illuminatur à ſole,* verba ſunt Doctoris Angelici.

2.2. q. 81 art. 7.

Generalem de ſervitute Dei ventilavimus pręceptionem, deinceps ad ſpecialiora eiuſdem ſervitutis officia conſideranda tranſeamus. Apoc: 3. Beatus Joannes vidit in cęlo ſedem poſitam & in ea mirifici fulgoris ſedentem. In circuitu ſedis erant ſedilia viginti quatuor, à totidem ſenioribus,

nioribus occupata, erant & animalia quatuor, quorum primum simile leoni, secundum vitulo, tertium homini, quartum aquilæ volanti. Et hęc requiem non habebant die ac nocte dicentia, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Deus Omnipotens, qui erat, qui est, & qui venturus est. Cumque darent gloriam & honorem & benedictionem sedenti super thronum, procidebant viginti quatuor seniores adorantes viventem in sęcula sęculorum mittebantque coronas suas ante thronum dicentes: *dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem, quia tu creasti omnia & propter voluntatem tuam erant & creata sunt.* Hęc est secunda principalis Apocalyptica visio quæ, si occidentem literam sequaris, videbitur tibi vel figmentum de mimo vel Attelanarum ludicra: quod si typicos intellectus perquiras, cęlestia sub verborum & figurarum involucris reperies sacramenta. Quia cęlum sedes Dei est, per cęlum & sedem, unam eandemque rem hic capias, scilicet Ecclesiam cui pręsidet Christus divinam humanamque naturam in personalitate verbi subsistentem complectens. Fulgor smaragdinus miserationes eius super omnia opera eius commendat. Seniores viginti quatuor, sunt universi judices sivè sęculares sivè Ecclesiastici: sunt & fideles omnes qui nimirum invicem se superiores arbitrari debent: & si fideles cuncti juxta eiusdem Apocalypseos initium sunt Reges ac Sacerdotes, cur non seniores? Per mare vicinum throno baptismus intelligitur per quem ad Ecclesiam & regnum cęleste Spiritu Sancto afflante remigamus. Quatuor animalia, quatuor sunt Evangelistæ: quibus absque requie dantibus Deo gloriam, seniores quoque adorare cęperunt viventẽ in sęcula. *Quia nimirum* (ut ait Pannonius ex quo mysticā hanc interpretationem depromo) *ubi fidei sacramenta per sanctos Evangelistas pervulgata sunt, omnium genua supremæ maiestati curvantur.* Per quadrigam hanc aptissimè figuratur ipse Dominus noster Jesus Christus, qui fuit in nativitate homo, in passione vitulus, in resurrectione leo, in ascensione aquila. & hic nunquam requiem habuit, quin daret gloriam Deo Patri suo. Figurantur item universi, qui Christi sunt. Omnis namque servus Dei in quantum rationabiliter vivit, homo est; in quantum adversa mundi æquanimiter tolerat, leo est; in quantum se mortificat, vitulus; in quantum se per contemplationem elevat, aquila. Atque hinc unusquisque non obscura electionis suæ habet indicia si videlicet quatuor memoratorum animalium similitudinem modo pręfato in se exprimat. tunc enim procul dubio ad Christi regnum pertinebit; sicut è diametro ad synagogam sathanæ spectabit si imagini moribusque dictorum jumentorum vitam suam non studuerit conformare. Quaternarij numeri illud mysterium est, quod è quatuor mundi partibus aggregentur ad Ecclesiam homines: qui quidem pleni oculis debent esse, hoc est circumspecti circa suam & proximorum salutem: ut nisi Argi centoculi sint ad custodiam sui suorumque excubantes, perire necesse habeant. Horũ itaque animalium sicut & seniorum officium est dare gloriam, honorem & benedictionem viventi in sęcula sęculorum. Enimvero gratitudo postulat, ut quia electi accipiunt à Deo gloriam honorem & benedictionem; benedictionem in rebus naturæ, honorem in donis gratiæ, gloriam in pręmijs felicitatis æternæ, gratitudo inquam postulat ut pariter gloriam honorem & benedictionem in acceptis eidem referant.

Elucidatur locus Apocalyp: de Senioribus 24. & animalibus quatuor.

Quatuor animalia quid figurant? In Apocalip:

Quorſum iſta tam alto repetita principio? nimirum ut quia peculiari nomine per hęc animalia ac ſeniores throno Dei aſſidentes intelligimur, ſtudioſius etiam actibus religionis inſiſtamus. Equidem nobis quadratiſſimè convenit nomen reſque ipſa quadrigæ prędictæ, nobis inquam, qui religioſam profeſſi ſumus vitam. Homines tenemur eſſe per actionum noſtrarum cum amuſſi rationis conformitatem: leones per fortitudinem in adverſis ac magnanimitatem: vituli per mortificationē: aquilæ per contemplationem. In quo quaternione hic non reperitur, fruſtra religioſi jactat uocabulum. Nomen & habitum externum religionis portat, ſed non rem ipſam, intus Nero, foris Cato, totus ambiguus: turpis introrſum, ſpecioſus pelle decora. In medio etiam Eccleſiæ inter ſeniores poſiti ſumus, quia ad ordinem presbyterij & ad ſtatum regularem cui Dominus judiciariam poteſtatem appromiſit, vocati. Igitur in confeſſione veræ ſempiternęque deitatis in triade perſonarum ſubſiſtentis immorari, ſanctitatem eius aliaque attributa venerari perpetuò, gloriam honorem & benedictionem viventi in ſęcula ſęculorum abſque requie dare, humili non modo affectione mentis, ſed etiam corporis geſtu eundem adorare, noſtrum debet eſſe ſervitium, noſtra indefeſſa actio; quatenus devotio noſtra circa ea quæ ſunt divinitatis principaliter occupetur, ut ne quidem in ipſa Salvatoris humanitate ſiſtat, ſed ulterius ad maieſtatem deitatis aſcendat.

S. Thomas hic.

Hic nos ipſos viritim oportet interrogemus? *Tu quis es?* Eſne homo, leo, vitulus, aquila? vereor ne in perverſum quadrent nobis horum vocabula animalium ut ſimus homines ad peccandum, leones ad iraſcendum, vituli ad inſoleſcendum, aquilæ ad ſuperbiendum. *Tu quis es?* eſne unus è ſenioribus aſſeſſoribus throni divini? *At cani hominis prudentia eius.* Canities ſpiritualis nihil eſt aliud quàm ſapientia & prudentia: tu verò virtutes has intellectuales non modò non poſſides, ſed & ignoras forſan. *Ætas ſenectutis vita immaculata:* tu verò ſi penitius examines conſcientiam tuam, multos nęvos multas maculas in animo tuo reperies. Quid de te ipſo dicis? es ne indefeſſus in laudibus divinis? daſne jugiter gloriam honorem & benedictionem viventi in ſęcula ſęculorum? non habesne requiem à veneratione ſanctitatis divinæ? an certe cultus divinus requiem habet à te vigili ad frivola & ludicra, ſomniculoſo ad ſeria & divina.

Ad Religionē movet ultio neglectûs divinorum.

Pręcepta & ideas religionis in ſcripturis velut in ſpeculo vidimus, ulterius niſi tędet, inductiva ad exercitium eiuſdem commoventia perquiramus. Nullius, ſi non fallor, ſceleris ſeveriorem lego in ſacris literis vindicem Deum quàm neglectûs divinorum. Aggęus Propheta iram Dei prohibentis cęlos ne darent rorem, prohibentis item terram ne daret germen ſuum, omneſque hominum labores & ſudores inutiles ac infructuoſos reddentis, in nullam aliam Judęorum culpam refundit niſi in hanc quòd corda eorum ita refrixerant ad Deum ut ei templum ædificare noluerint, ubi funderent orationes, & ſacrificia peragerent. Percurrite 4. Evangelia; ubique Dominum JESUM ſuavem & mitem invenietis: at cum violatio templi cultuſq; divini prętermiſſio punienda erat, zelo zelatum eſſe & in vindictam manus ſuas armaſſe flagellis, utiq; legiſtis. Et Poëta ex oraculo dixiſſe videtur: *Dij multa neglecti dederunt Heſperiæ mala luctuoſa.*

Videamus,

Videamus verò quemadmodum providentia divina munus ſuum circa nos implet, ne & nos officio noſtro in ſerviendo ipſi, deſimus. Omnia humanis ſubiecit pedibus ut ſolus homo ſe ei ſubijceret. *Pulchritudinem cæli, ordinem ſiderum, candorem lucis, dierum & noctium viciſſitudines, lunæ menſtrua curricula, anni quadrifariam temperationem quadripartitis elementis congruentem, tantam vim ſeminum species numeroſq; gignentium, & omnia in ſuo genere modum proprium naturamque ſervantia.* Corpori noſtro adhuc corruptibili & ignobili ut videat dedit claritatem cęli; ut ſpiret, largitus eſt aëris puritatem; ut audiat, ſonorum varietates; ut odoret, odorum ſvavitates; ut guſtet, ſaporum qualitates; ut contrectet, corpulentorum omnium dedit groſſitates. Adjumenta noſtris neceſſitatibus dedit jumenta. Animantia & terreſtria & aquatilia & amphibia & volatilia ad uſum conceſſit nobis. Medicinas de terra propter quaſuis corruptelas creavit. Solatia ſingulis malis obviantia prǫparavit. Communia ſunt iſta & quæ omnibus inceſſanter ac indiſcriminatim hominibus divina impertire ſolet bonitas: nobis vitam Eccleſiaſticam & regularē amplexis ſpecialiùs manum ſuam aperit.

Item generalis providentia divina circa omnes.
S. Auguſtinus ſolil: Cap: 20.

In ſudore vultus ſui veſcuntur alij pane ſuo, nos abſque labore & laſſitudine ſubſidia vitæ per manus fundatorum deſuper habemus. Planè manna pluit nobis de cęlo non ſecus ac Judęis in deſerto. Quidni volatilia cęli nuncupemur, quæ non ſerunt neque metunt & tamen Pater cęleſtis abunde paſcit illa? Sęculi homines publicis creberrimè gravantur oneribus dum quæ Cęſaris ſunt Cęſari reddere jubentur, & ſępe militari executioni, ſępe carceribus, ſępe fiſco ſubijciuntur: miſeri vix plerumque in ſuis ſpirant ærumnis, inter cuneos variarum curarum tabeſcunt, imo conficiuntur. Extra has gravaminum compedes in tranquillitate pacis, in ſufficientia victus atque amictus per Dei gratiam vivimus: quare id? ut impedimentis ſervitij divini carentes eò ferventiùs expeditiùs ſtabiliusvè Domino famulemur. Hem quantùm divinæ maieſtati rei ſumus, ſi tam beneficam agnoſcentes, quod noſtra intereſt, facere pigritamus. Arbitri cuiuſdam ſententia eſt: *Si frigida curarum fomenta relinquere poſſes quo te cæleſtis ſapientia duceret ires.* Cum itaque fomenta ſolicitudinum longe ſint à nobis, magnam prorſus opportunitatem cęleſtis ſapientiæ ductum ſequendi tenemus, ut proinde grande nefas atque ingentem reatum incurramus ſi dum alij quod operoſius eſt, in rem & commodum noſtrum faciunt, arando, ſeminando, metendo, militando; nos quod debemus quodque faciliùs eſt, in rem & emolumentum noſtrum facere prętermittamus, non quęrendo regnū Dei & juſtitiam eius, divinam maieſtatem pro nobis ipſis & pro illis quorū manducamus peccata non exorando, non colendo, non celebrando.

Peculiaris erga religioſos.

Horatius.

Et quanquam ſęculares varia diſtrahuntur anxietate jam domui ſuæ, jam principibus, jam militibus, jam ſacerdotibus obligati, videas tamen pleroſque fervere in famulatu divino, prolixiori ſpatio flexis poplitibus terram lambere, reverenter ſacrificio ac divinis intereſſe, ad divini nominis ac ſanctorum mentionem tremere devoteque ſuſpirare, ut hinc erubeſcant & confundantur caſſa regularium nomina qui inſignia ſanctitatis & religioſitatis geſtant, nihil minus curantes quàm opera ſanctitatis, monſtris marinis cucullatis perſimiles, in quibus mireris coronam, habitum, caputium; at oratio nulla, devotio nulla, ſacrorum operatio nulla. Proh dolor? quot ſęcularium in die judicij ſtatuentur

Item fervor devotionis in ſecularibus.

contra nos, nosque condemnabunt. væ nobis? iterum iterumque væ nobis si multis ab oriente & occidente devotis regnum cæleste intrantibus nos filij regni in tenebras exteriores proijciemur. Nepotiano illud inter alia honorifica texuit elogium Hieronymus: *Ubicunque eum quæreres, in Ecclesia invenires.* Non unius laus hęc Nepotiani. multi sunt è Clero seculari quibus idem debeatur encomium. Verùm *ab alienis atque extraneis exemplis non facile quisquam admonuerit,* ut ait Divus Chrysostomus in Epist: ad Philip: 2. Domestica affero, nec volo per singula longo currere ordine, sufficiet in universali testimonio particularia includere nomina. Carolus Rex Pannoniæ literis suis testatus est se erga religiosos viros Ordinis nostri maximo affectu tangi, quia secularibus negotijs se non ingererent, sed jugi meditatione oratione seduloque labore manuum se occuparent.

In Ecclesiasticis.

In nostris religiosis.

Si hæc frigiditati nostræ non sufficiunt incentiva, totius mundi ad nos accendendos adduco fervorem. Notus duntaxat antea in Judæa Deus. in Israel solo magnificabatur nomen eius. Nunc plenus religione orbis. Auratum squalet Capitolium. fuligine & aranearum telis omnia delubra Romæ cooperta sunt imò pridem diruta sunt nec nisi fabulam sui reliquerunt: & inundans populus currit ad martyrum tumulos. ubi plurimum erat superstitionis, plurimum nunc devotionis. Dij quondam nationum cum bubonibus & noctuis in solis culminibus remanserunt. Jam à tot seculis Ægyptius Seraphis, Christianus factus est. Marnas Gazæ luget inclusus & eversionem templi à tanta retro æternitate deflet. Deposuit pharetras Armenius & eiaculatorijs consuescit orationibus. Hunni discunt psalterium. Scythiæ frigora fervent calore fidei. Getarum rutilus & flavus exercitus, Ecclesiarum circumfert tentoria. Et quamvis multi ex eodē Evangelij semine & Chisti nomine procreati, pravis opinionibus ad falsa dogmata conversi, à vera desciverūt religione; nihilominus ubique terrarū veræ fidei & devotionis calēt officia.

Movet item totius mundi religio.

S. Hieronymus

Etiam ipsa insensilia atque rationis expertia nos ad religionis invitant actus dum vestigia Sanctissimæ Trinitatis ex mente Theologorum præferunt, imò & vestigia Passionis Domini. Accepi nuper quòd non procul à nostro Oporoviensi monasterio in ipso meditullio annosæ quercus bipennibus fissæ, stupentibus ad rei novitatem spectatoribus, inventa sit crucis Christi impressio, una quidem arboris parte crucem, altera clavorum profunditates referente. In vita Macarij Romani volatilia quædam in ramis arborum hærentia nomen Domini perhibentur articulata voce invocasse, si tamen vera & non apocripha traditio hęc: veriùs illud est quod narrat D. Hieronymus in vita S. Patris nostri, nimirum portentum quoddam intelligibili & blando inter horrentia setis ora eloquio testimonium de Christi divinitate elicuisse, ad quod stupefactus Antonius baculo quo artus seniles sustentabat, terram percutiens, *væ tibi,* aiebat, *Alexandria, quid nunc dictura es? bestiæ Christum loquuntur, & tu pro Deo portenta veneraris?*

Demum movent ipsa irrationalia.

Magna sunt hæc & valida ad religionem hortamenta. saxei sumus si non compungimur: glaciei similes, si non incalescimus. Scrupulus fortasse alicui oboritur inde quòd Deus spiritus sit ac proinde in spiritu & veritate adorandus: ut quid igitur initio sermonis tot externi in medium adducti actus, per quos divinam revereamur & veneremur cel-

situdi-

ſitudinem? Elido ſcrupulum. Vero quidem verius eſt, DeumSpiritum eſſe atque idcirco in ſpiritu principaliter & primariò adorandum hoc eſt per internos actus, qui principem in cultu divino tenent locum. Secundariò tamen etiam per exteriorem reverentiam ſupremum debere adorari numen nemo negaverit. Nimirum ex duplici natura compoſiti ſumus, intellectuali & ſenſibili. Congruum proinde imò neceſſarium ut duplicem adorationem, ſpiritualem quæ conſiſtit in mentis devotione; corporalem quæ nititur in externa humiliatione, offeramus Deo, quanquam dicere poſſim libenterque dico fretus authoritate Aquinatis, quòd etiam corporalis adoratio, exempli gratia, genu flexio, proſtratio ſui, capitis inclinatio, in ſpiritu fiat; quia ex ſpirituali devotione procedit & ad eam ordinatur.

Inſuper cauſabitur quiſpiam, ſupra vires noſtras eſſe à laudibus & cultu divino pauſare nunquam, requiem habere nunquam. Beatorum in cælis regnantium non mortalium iſta felicitas eſt. aliàs inſomnes nos oporteret fieri. Egemus fateor requie corporis, ſed veriſſimum eſt illud Hieronymi: *Sanctis ipſe etiam ſomnus oratio eſt.* Si devotè nos ad dormiendum componamus, ſi in affectibus pijs ſoporemur, etiam ſopitis ſomno ſenſibus cor noſtrum ad Deum vigilabit.

Religet ergo nos uni Omnipotenti Deo religio quæ nec in confuſione paganorum, nec in purgamentis hæreticorum, nec in languore ſchiſmaticorum, nec in cæcitate Judæorum ſtationem habet, ſed apud eos ſolos, qui Chriſtiani Catholici, vel orthodoxi nominantur id eſt integritatis cuſtodes & vera ſectantes. Religet nos Deo devotione, oratione, adoratione, ſacrificijs, oblationibus, votis, Sacramentum uſu & adminiſtratione, invocationibus divini nominis & ſi quæ ſunt alia divini cultus officia. His ceu arctiſſimis vinculis ſupremo alligemur Numini. Firmet nodum ſtatus noſter, ſecularium fervor, munificentia providentiæ divinæ, ipſaque irrationalium natura. Pænè omiſeram quod dicturus ſum. Alexander Carettus S. R. I. Princeps pro gentilitio ſtemmate hydram 7. capitum habuit cum nota eiuſmodi: *Vi & Religione.* Quid Princeps voluerit, meum non eſt indagare. Nos non aliter hydram infernalem ſeptem capitalibus vitijs horribilem ſuperabimus niſi vi & religione. *Niſi tibi vim feceris vitia non ſuperabis,* ait quidam. Porro abſque religione vis nulla in ſpiritualibus valet eſſe, cum omnis ſufficientia noſtra ex Deo ſit. Religione triumphabimus de inferno, religione à terra in cælum ſublevabimur. Hæc enim

Negatâ ad cælum tentat iter viâ:
Cætusq; vulgares & udam
Spernit humum fugiente penna.

Tota itaque cura noſtra ſit ſervire Deo (latria & ſervitus idem ſunt) ſolicitudo noſtra omnis eo tendat ut demus gloriam honorem & benedictioné viventi in ſæcula ſæculorum: nulla requies, nulla feriatio ſit nobis à SS. Trinitatis laude & confeſſione. Nullum labatur tempus quo aliqua oblatione divinę maieſtati non litemus ſupremumque eius dominium non profiteamur. Sic haud ſolo nomine religioſi erimus, dumque curioſo agnoſcendæ vitæ alienæ ore & more interrogabimur: *Tu quis es?* ipſa vita noſtra reſpondebit ſervos nos Dei eſſe, religioſos nos eſſe, præcones laudum divinarum nos eſſe, denique eſſe nos voces in deſerto mundi huius atque in clauſtrali eremo jugiter de Deo reſonantes.



PARS IV.
SERMONES
CONTRA VITIA QUÆDAM CONTINENS.

CONTRA SUPERBIAM.

CHriſtus Dominus cuius vita morum noſtrorum diſciplina eſt, non modò quas virtutes diſcere, ſed etiam contra quales tentationes animum parare munireque debeamus, ſuo exemplo docuit luculenter. Sacram peragens quadrageſimam, tentari ſe à maligno ſpiritu permiſit: ſtimulos ſuperbiæ dignatus eſt in ſuo illo quadrageſimali jejunio diviniſque exercitijs pati; ut nos inſtrueret, nobis quoque inter jejunandum orandum meditandum & quicquam boni operis agendum arrogantiæ tentationem inſidiaturam. Vicit, qui vinci non poterat; vicit non tam ſibi quàm nobis, & circulum naribus Dæmonis imponendo, fiduciam vincendi unicuique noſtrum præbuit. Superatus à Redemptore noſtro ſatanas, quia ſolùm coercita & reſtricta, non penitus adempta ſibi nocendi poteſtas, non deſiſtit mille dolis artibuſque circumvenire homines ut eos à bono abducat, ad malum pertrahat. Potiſſima cura ipſius eſt amorem excellentiæ propriæ gaudiumque de ea nobis ingerere, quando *ubiq; ſpargit in laqueis euge euge, ut dum avidè colligimus, incautè capiamur; utq; nos ſui ſimiles factos ſecum habeat non ad concordiam charitatis, ſed ad conſortium ſupplicij.* (S. Auguſtinus lib: 10. Conf:) Infallibile eſt quòd ſacro hoc & acceptabili tempore noſtris quoque laqueos arrogantiæ parabit pedibus ad incuruandas animas noſtras: laqueos ponet in jejunijs, laqueos in mortificationibus, orationibus, meditationibus, ſolitudine omnibuſque alijs ſpiritualibus exercitijs contendens ea inania infructuoſa informia reddere, imò efficere, ut fiant nobis in peccatum. Qua igitur arte aſtum diaboli elidemus? S. Thomas docet quòd diabolus non poſſit internè movere voluntatem hominis ad peccatum, ſed ſolùm externè, (2. 2. q. 80. art: 1.) proponendo videlicet vel offerendo ei obiectum aliquod ſenſui appetibile vel certe perſuadendo rationi aliquid eſſe bonum quod in re non eſt bonum. Ne ergo eiuſmodi propoſitione nos ſupplantet, quantum malum & quàm grave in omnibus ſuis ſpeciebus ſit ſuperbia, Dei humilia reſpicientis & alta à longe cognoſcentis ope ſatagam indicare.

(Apud D. Thomam.) Superbia, appetitus inordinatus propriæ excellentiæ, quatuor è mente D. Gregorij habet ſpecies: *Cum videlicet ſuperbi bonum à ſemetipſis habere ſe æſtimant: aut ſi ſibi datum deſuper credunt, pro ſuis meritis accepiſſe putant: aut cum jactant ſe habere quod non habent, aut deſpectis cæteris ſingulariter appetunt videri habere quod habent.* ubi

actus arrogantiæ compendiariò collectos vides. Gravitas & enormitas portenti huius, nedum vitij, spectatur vel maximè in aversione à Deo quæ directè & ultrò per superbiam intenditur. In quovis enim peccato duo concurrunt: conversio ad bonum commutabile & aversio à bono incommutabili. Ex parte ergo aversionis maximam præfert gravitatem superbia, quia in alijs peccatis homo à Deo avertitur, vel propter ignorantiam, vel propter infirmitatem, vel propter desiderium cuiuscunque creati boni; at superbiendo, ideo duntaxat avertitur, quia non vult Deo & eius regulæ subijci. Unde Boëtius dicit: *Cum omnia peccata fugiant à DEO, sola superbia ei se opponit propter quod etiam peculiari modo resistit superbis.* Nec levis inde eiusdem gravitas, quòd ubi insederit, virtutes omnes demolitur universamque dissipat justitiam. *Superbia,* ait Gregorius M. *nequaquam unius virtutis extinctione contenta, per cuncta animæ membra se erigit & quasi generalis ac pestifer morbus corpus omne corrumpit.* Isidorus ruinam eam appellat virtutum omnium. Augustinus: *Qui,* inquit, *superbiam habet, sine causa habet alias virtutes imò eas non habet, sed videtur habere. Qui enim habet hoc quod Deo contrarium est, quomodo potest habere aliquid quod Deo amicum sit.* Testimonia hæc scripturistico firmantur discursu: Sumus in mundo hoc velut in hyppodromo. omnes ad bravium æternæ beatitudinis contendimus. At quis victor? quis comprehensor? quis cælum absoluto subintrat gloriosus agone? In ludicro certamine necessarij pernices pegasi. Equorum velocitas coronam parat victoriæ. Idem & in certamine spirituali. si biga ferveat, si pennato passu ad metam feratur, triumphabis. Intueamur duos celebres agonothetas Pharisæum & Publicanum duorumque exemplum sit doctrina omnium. Pharisæus suo currui junxit justitiam & superbiam; publicanus peccatum & humilitatem. Vix iter orsi, ecce tibi hic volare, ille præpediri: sub huius curru rotæ fervere, ille prætervolantis terga vix cernere: Phariseus casso conatu luctatur pergere, in loco immotus hæret, imò petulco phaleratæ bigæ saltu retrocedit; publicanus feliciſſimè, arenis aspectũ cæli eripientibus obseptus, ad metam allabitur. Cur ita? *Geminas bigas,* (ait S. Chrysostomus) *mihi accomodes, alteram quidem superbiæ & justitiæ, alteram verò peccati & humilitatis & videbis peccatum pervertens justitiam non proprijs, sed humilitatis vincere viribus: aliud verò videbis devictum non fragilitate justitiæ, sed mole & tumore superbiæ.* acsi diceret: sit ex una parte humilitas cum peccato, ex altera justitia cum superbia, certè humilitas vi contritionis devincet peccatum nec se præpediri sinet in cursu ad immarcescibilem æternæ coronam gloriæ: è contra superbia intumescentiæ suæ mole opprimet, franget, ac prorsus inutilem reddet justitiam omnium licet virtutum aggregatione perfectam ut ne quidem unicum ad cælum passum facere possit, ad infernũ potius dum pondere suo prægravatur, ruitura. En claret quomodo fastus virtutes omnes totamque justitiam universarum satellitio stipatam virtutum evertit ac prosternit, nec in loco ubi vexilla suæ cæperit dominationis explicare, patitur consistere. Nec quiescit exterminatis ex animæ regno virtutibus, nisi vitiorum peccatorumve tenebricosas inducat phalanges. *Ipsa vitiorum Regina superbia,* verbis loquor D. Gregorij, *cum devictum plenè cor ceperit, mox illud septem principalibus vitijs qua-*

Gravitas superbiæ ex directa aversione à Deo.

Item ex eo quia virtutes totamq; justitiã dissipat & inutilem reddit

De obed: & humil.

Pharisæi & Publicani cõparatio.

tijs quasi quibusdam suis ducibus devastandum tradit ex quibus vitiorum multitudines oriuntur. Idem asseverat Chrysostomus: *Quod semper dico,* ait ille, *malorum omnium istud causa est. Necessariò qui arrogans est, & contumeliosus est, & percussor & iracundus & amarulentus & tristis: bestia magis quàm homo.* Doctor Angelicus omnia prorsus peccata duplici modo ex superbia oriri posse demonstrat. Uno quidem per se, si nimirum peccata ad finem quem intendit superbia hoc est ad excellentiam propriam dirigantur; altero quasi per accidens, scilicet removendo prohibens, in quantum nimirum homo per fastum, divinam contemnit legem per quam à peccando retrahimur. Hinc est quod vitium hoc execrabile non computetur inter capitalia, quia est supra omnia, fonsque ipsorum etiam capitalium.

In Epistolam ad Philip: 2.

2. 2: q. 162. art: 2.

Item gravitas superbiæ ex eo quia in remedium eius permittit Deus hominem gravibus peccatis innodari. Probatur ex S. Thoma.

Enormitatem & reatum eiusdem aggravat, quòd Deus in remedium ipsius, abyssali judiciorum suorum consilio arrogantem in carnis luxuriam atrociaque crimina labi permittit. *Sicut enim,* verba sunt D. Thomæ, *medicus sapiens in remedium maioris morbi patitur infirmum in leviorem incidere ita etiam peccatum superbiæ gravius esse ostenditur per hoc quod pro eius remedio permittit Deus homines ruere in alia peccata secundum Apost: ad Rom: 1. ubi quidam propter elationem cordis traditi dicuntur in reprobum sensum ut ea facerent quæ non conveniunt.* Sit licet quis sanctissimus, sit perfectissimus, si fastum ad ima pectoris admiserit, cadet tanto graviori lapsu, quanto ascensus erat sublimior, cadet inquam Domino in remedium elationis uti dixi permittente. Huius ipsius asserti robur accipe ex sequentibus. Cantic: 1. appromiserat dilectæ suæ Dominus monile vermiculati operis ex auro bracteolatum. *Murenulas aureas faciemus tibi vermiculatas argento,* & sine dubio promissum executus. Quæso hic ego: cur externo hoc ornamento, ornatissimam aliunde & pulcherrimam donet Sponsam? quid inde accessit decoris ineffabili illius pulchritudini? Ut nulla lux claritatem solis, ut candorem lilij nullus extraneus color, ut pavonis adverso sole millenos referentis colores nullum penicillum augere potest gratiosam pompam; ita, crediderim, nullus mundus nullus ornatus extrinsecùs adveniens, venustatis accessionem facere poterat in sponsa Dei. Non ad augendam gratiam decoremve obtinuit catenulas aureas punctis argenti infertis phrygiatas, sed ad reprimendam elationem. *Fastus inest pulchris sequiturq; superbia formam.* Ne ergo ex prodigiosa pulchritudine intumesceret, aptantur collo pectorique eius murenulæ vermiculatæ, hoc est, *quibusdam quasi vermiculis celatæ quò videlicet Sponsa habens semper ante oculos illas vermiculorum imagines, nequaquam de sua altitudine & specie superbiret, sed intelligeret se nihil esse aliud quàm vermiculum, id est abiectissimam tandemq; in vermes commutandam.* Ut porro vermiculatum hoc segmentum semper à Sponsa prægestaretur atque inspiceretur, præmisit in eodem capite duram comminationem Sponsus: *Si ignoras te ô pulcherrima mulierum egredere & abi post vestigia gregum tuorum & pasce hædos tuos.* Ergo ne pulcherrima mulierum ad pasturam lascivi & fætentis ibit pecoris? quomodo illa post mandras se conferet, ubi nonnisi ejectamenta conspiciuntur? quomodo ad sordidos viarum camporumque perget recessus succerdis & varijs pecorum pecudumque retrimentis pedes commaculatura, quæ lota passum

Ex Cant: 1. c.

Vieg: in Apoc: com: 4. sect: 1.

unum pedis facere per pavimentum onyche ſtratum & undequaque mundiſſimum recuſaret? Non abſolutè ad paſcendos hædos & veſtigia gregum relegenda amandatur, ſed ſi ſeipſam ignoraverit. *Si ignoras te o pulcherrima inter mulieres egredere & abi poſt veſtigia gregum tuorũ & paſce hædos tuos:* ſenſus eſt. ſi blando pulchritudinis cæcata fulgore, tuæ ignara & immemor facta fueris conditionis: ſi murenulas vermiculatas tuo pectori applicitas oculiſque ſubiectas non attenderis: ſi non recogitaveris te vermem, putredinis concham, bullam vanitatis, ſed è contra cor tuum elevaveris, extento côllo erectoque ſupercilio cunctos & cunctas deſpexeris, tibi non Deo nitorem formæ bonaque cætera retuleris; tunc, tunc ad hædos id eſt ad vagos & petulantes corporis ſenſus paſcendos dimitteris, tunc ad immundos procorum aut verius porcorum greges ſectandos abitura repelleris, juſto equidem judicio ut quæ de pulchritudine à Deo habita ampullabaris, ad turpitudinem devoluta diſcas non altum ſapere ſed timere. Sub Sponſæ typo unuſquiſque noſtrum intelligitur. Quod enim de toto corpore Eccleſiæ dicitur, etiam membris ſingulis applicari poteſt. Sit fidelis, ſit religioſus quiſcunque ſponſa Dei, amica Dei, ſoror Dei, pulchra, bis pulchra & interna videlicet gratiæ ſanctificantis ac virtutum venuſtate & externa morum ac converſationis honeſtate: ſi ad hoc perveniat quòd ſe ignoret; ſi quid fuerit, quid eſt, quidve futurus ſit non penſet; ſi de talentis muneribuſque divinis velut de proprijs glorietur; certiſſimum eſt, proijciendum à Deo & à familiaritate amoribuſque divinis ad hircos paſcendos, à voluptuoſa Dei menſa ad ſtercora amplexanda juſtiſſimo permittentis Dei decreto retrudendum. Non credis? probatiſſimum veridicæ hiſtoriæ teſtimonium te convincat. Ad ſanctiſſimos viros Palæmonem & Pachomium excitato igne noctu vigilantes ſupervenit quidam frater ſpiritu inflatus ſuperbiæ. Hic inter verba ultro citroque collata: Qui, inquit, ex vobis fidelis eſt ſtet ſuper ignitis carbonibus iſtis & ſenſim lenteq; orationem Dominicam pronunciet. Commonuit eum B. Palæmon ne deſiperet, neve talia inpoſterum loqueretur. At ille maiori poſt admonitionem turgens elatione ſuper ignem cucurrit, cæpitque audacter ſtare nullo ſibi imperante: eratque videre quomodo cooperante dæmone ignis attactu minimè adurebatur. Auſus deinde poſt illud diabolica arte patratum prodigium ſanctiſſimis illis Patribus improperare & exprobrare: ubi eſt fides veſtra? Exitum auſcultemus. Poſt non multum temporis ſciens diabolus eum ſuperbiæ vento diſtentum ad omne ſcelus facilem tractabilemque fore, transfiguravit ſe novus imò vetus Protheus decipiendis hominibus formas ſe mutans in omnes, transfiguravit inquam ſe in mulierem formoſam mundo muliebri adornatam pulſanſque oſtium cellæ, clamabat: Obſecro recipias me. A creditoribus vexor nec habeo unde exoluam. DEUS me ad te direxit: tu reſpondebis ſi repuleris & vitæ diſcrimini afflictã obieceris. Admiſſa mulier illa perſonata in caſam admiſſa in animum & concupiſcentia. Illicitos & quaſi muliebres petivit miſer amplexus, ſed ab immundo ſpiritu atrociter eliſus ſibique dein reſtitutus, coram beatiſſimis illis quos memoravi anachoritis de ſuo typho pænituit moxq; occulto divinitatis judicio & metuendo ſuperbis exemplo in amentiam verſus, in caldarium bullientis aquæ ſeſe præcipitem dedit. Hic finis

Ex hiſtoria.

In vita S. Pachomij.

præsumptionis, hic exitus ambitiosæ superbiæ. Quàm vere Rupertus asseruit: *Superbiam mentis comitatur ignominia carnis.* Et Climacus gradu 15. *His qui rudes imbuuntur, lapsus corporis ex delicijs maximè fieri solet: in mediocribus verò etiam ex elatione animi: porro in his qui perfectioni proximiores sunt, solummodò ex condemnatione contemptuq; proximi.* Et noster Teretius: *Deus arrogantiam & elationem animi punire solet luxuria ut qui se injuste reliquis hominibus antepo-nit, belluis quodammodo irrationalibus supponatur.* Quis jam audiens hæc, non perhorrescat? quis letiferam præsumptionis pestem non fugiat cui Deus immanium flagitiorum medetur permissu, si remedium non proficiat, gehennalibus expiaturus flammis.

Ex Magistris spiritualibus.

In libello Arma lucis.

Sed plerumque latens est superbiæ motus, quomodo ergo vitari poterit? Voluntas enim neque per actus prosecutionis neque per actus fugæ fertur in aliquid nisi quod intellectus sub ratione boni vel mali cognovit. Audi Doctorem Angelicum tibi hac in parte satisfacientem: *Si motus superbiæ latens sit, non habet gravitatem antequam judicio rationis deprehendatur; sed ubi deprehensus fuerit, facile evitatur tum consideratione propriæ infirmitatis secundum illud Eccl: 10. Quid superbis terra & cinis. tum consideratione divinæ magnitudinis secundum illud Iob: 15. Quid tumet contra Deum spiritus tuus? tum demum consideratione imperfectionis bonorum operum nostrorum juxta illud Isaiæ 64. Quasi pannus menstruatæ omnes justitiæ nostræ.*

Media reprimendæ superbiæ.

Omnes quidem hic tangit sermo, at peculiariter nos, qui in subiectionis manentes statu humilitatem Christi discere & sectari tenemur. Pauperem superbum odivit anima Christi veri Salomonis. *Quis pauper iste superbus nisi religiosus, qui reiectis facultatibus vitam profitetur pauperem; in sua tamen cuculla & sacco quem ut humilitatis insigne præfert, sic sollicantes dilatat fimbrias inceditq;, ut Cardinalem putes in sua purpura triumphantem. Apage mihi cum tali religioso. Simia est simia etiamsi aurea gestet insignia.* Ridemus pueros cum elatos ac jactabundos videmus, latera gyrantes, brachia inspicientes, vultum erigentes. Multo graviore digni cachino Monachi, qui ut ait D. Hieronymus sublatis in altum humeris & intra se nescio quid cornicantes stupentibusque in terram oculis tumentia verba trutinantur, ut si præconem addideris, putes incedere præfecturam. In serico superbire arrogantia est: in sacco, risu & explosione digna fatuitas. *Arrogantia, puerilis animi est & mentis imperfectæ ac vilis:* in puerorum igitur vitia defluimus, quoties nobis fastuosi placemus, quò magis puerilis ætas à nostra non modo ætate, sed & status dignitate distat, eo maiori sanno illudi merentes. Superbus religiosus ut quidam non inepte definit, est *stabulum deauratum, asinus leoninis clarus exuvijs, truncus martialibus indutus insignijs, uno verbo monstrum & ipso mōstro monstrosius portentum suæq; religionis abortivum.* Equitem in hippodromo à meta ad carceres currentem cum lemmate: *Agnosce dole emenda,* in suis hierographijs exhibet Typotius. At quare à meta ad carceres? Certe quemadmodum secundo flumine faciliùs labitur carina, ita à carceribus ad metam decurrere festivius. Equus arrogantiæ Symbolum est. Huius equi sessor non ad metam regni cæleſtis, sed ad gehennales carceres, ad patentem atri Ditis januam præceps ibis. Agnosce igitur, dole, & emenda.

Superbia peculiariter in religiosis detestabilis.

Eggerer in anathemate.

Ad Rusticum.

S. Chrysost: in Episto: 2. ad Philip.

Eggerer.

Agnosce

Agnoſce intellectu, dole affectu, emenda humilitatis actu. Agnoſce unde ſuperbias. ex generis nobilitate? *ſed nobilitas ſola eſt atq; unica virtus. Aliena laudat, qui genus iactat ſuum.* Profectò omnes ſumus eiuſdem conſortes naturæ, ex ijſdem compacti elementis, pulpa & rubra conſtantes ſaniè. Ex pulchritudine? cornicum iſta iactantia eſt. Equidem non es pavone pulchrior ſive in eo virorem ſive pennas inſpexeris. Ex fortitudine? ſed leo te confidentior, aper robuſtior: vix culex dici potes ipſis comparatus. De opibus habitis & contemptis ſuperba iactantiâ gloriaris? atqui & latrones & homicidæ & meretrices & qui in metallis operantur, aurum argentum lapideſque pretioſos poſſident. Quod ergo damnatorum labor eſt, ex eo tu poſſeſſo vel contempto gloriaris. Vocis gratia excellis? at cygno & luſcinia canere ſuavius non poteris. Artes varias calles? apis unius peritiam nunquam aſſequeris. Quis artifex adeo varius, quis pictor, quis geometra, huius opera imitari poterit? Et in velocitatè pedum & in viſus claritatè, ſagicitate olfactus, ſanitatis vigore, ſolertia in victu quærendo à brutis & avibus ſuperaris. Non ergo pudebit te ſuperbire de ijs in quibus nobiſcum communicant bruta, volatilia, ſervi, homicidæ, latrones, tumbarū perfoſſores. Quodſi de internis dotibus ac virtutibus tanquā præſumptionis materie tibi blandiris, de his vel maximè humiliari, non inflari debueras. Non legiſti in Deutoronomio quòd ſolus Deus det fortitudinem facere virtutem. Non legiſti in Evangelio: *Sine me nihil poteſtis facere.* Non legiſti in Apoſtolo: *Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid ex nobis quaſi ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt.* Agnoſce ergo ſoli Deo deberi gloriam & honorem ex omnibus bonis noſtris internis & externis. Dole, ſi ſuperbiam in ſenſu tuo dominari permiſiſti. Emenda, ne omnibus reddaris odioſus. *Odibilis* enim *coram Deo & hominibus ſuperbia.* Emenda, ne velocem Dei ultionem in te accerſas: *Sequitur ſuperbos ultor à tergo Deus.* Emenda, ne in mortis articulo diriſſimis angoribus torquearis: *Cor durum*, oppoſitum videlicet contrito & humiliato, *male habebit in noviſſimo.* Emenda deniqúe ne maledictionibus & finali damnationi involuaris: *Initium omnis peccati eſt ſuperbia: qui tenuerit illam adimplebitur maledictionibus & ſubvertet eum in finem.* Ad quem textum conformiter ait S. Gregorius ſignum evidens reprobationis eſſe ſuperbiam.

Nihil eſt unde ſuperbiamus.

Eccleſiaſt: 10.

Sen: in Trag:

Monſtravi malitiam & gravitatem ſuperbiæ ex ſua ipſius natura, & ex eo quod virtutum omnium ſit hoſtis, vitiorum auctrix, atrocium peccatorum, Deo in remedium vel pænam permittente, cauſa: omnibus & vel maximè religioſis execrandam, cum nihil ſuppetat unde gloriari aut intumeſcere poſſimus, docui: reliquum eſt ut doctrinam traditam commendemus memoriæ, ea pro armis contra dæmonis uſuri aſſultus. Minùs timebimus præſcientiæ muniti clypeo. Veniet tentator malignus, contraria menti noſtræ proponet, hoc vel illud bonum ex noſtra virtute & poteſtate proceſſiſſe callida inſtillabit ſuggeſtione, non gratuito munere, ſed pro noſtris meritis hoc illudue bonum nos à Deo accepiſſe inſuſurrabit: ſtimulabit ut nos de divinis muneribus quaſi in aliorum ædificationem, re ipſa in contemptum iactemus. Nos præmoniti ac præinſtructi, facile cognoſcemus has à ſuperbo diabolo proficiſci ſuggeſtiones, infernalis ſerpentis hos eſſe ſibilos, à peſſima arbore fructus ſimiles

miles nobis obijci: ideoque eos protinus detestando, humili pectore ad Dei opem confugiemus exorantes ne veniat nobis pes hoc est affectus superbiæ & manus peccatoris diaboli ne moveat nos de statu salutis ad statum damnationis. Nec dubium quin oratio humiliantisse animi nostri penetrabit nubes. Aderit auxiliator Christus nostrumque prosternet adversarium ut post victoriam triumphale carmen illud victori Christo possimus occinere: *Cantemus Domino gloriosè enim magnificatus est, Equum & ascensorem*, superbiam eiusque sessorem Sathanam *deiecit in mare*, mare igne & sulphure ardens. *Fortitudo mea & laus mea Dominus & factus est mihi in salutem.*



CONTRA HYPOCRISIM.

In pervigilo Nativ: Beatissimæ.

ORtum vitamque Salvatoris nostri descripturus Matthæus Evangelista sic orsus est: *Liber generationis* IESU *Christi.* Per librum hunc sine dubio integrum intellexit Evangelium quod de nativitate vita morteque Domini nostri literis consignavit. Mysticè liber hic juxta sensum sanctorum Patrum est superbenedicta Virgo MARIA quæ à S. Ephrem, *charta divinissima*: à Damasceno *liber novus*: ab Andrea Cretensi *liber vivus vivifico Spiritus Sancti calamo scriptus* vocatur. Liber hic ab ipso authore Deo compositus, digito divino exaratus, in cælesti censura approbatus, in lucem publicam hodie ex sacrato S. Annæ utero velut prælo quodam editus. Libri materia sunt arcana cæli, virtutes, gratiæ, prærogativæ Virginis. Hic scientiarum universitas, hic encyclopedia divinior. Scripturam Dei legere nemo, nemo interpretari novit nisi entheatus sit, uti ænigma illud in palatio Balthasar Regis, quia divinum fuit, nullus inventus est Oedipus, qui legeret atque solveret nisi spiritum Domini habens Propheta. Nec arcanos libri de quo tractamus characteres quisquam, aut legere, aut percipere valet nisi aut Deus ipse, aut divino afflatus spiritu interpres. Apocalyp: 5. Vidit B. Joannes in dextera sedentis super thronum librum scriptum intus & foris signatum sigillis septem quem nemo poterat, neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram respicere, multominus aperire. Per codicem hunc à D. Joanne visum communiter intelligunt expositores, scripturam sacram. Verè enim hæc est liber scriptus intus & foris, quia habet internum & externum sensum, mysticum & historicum seu literalem. Librum hunc solus Christus respicere & reserare potuit, quia solus mysteria sciptruræ sacræ, tum dictis, tum gestis aperuit, præclarissimè ea intelligens respiciensque. Septem porro sigilla sunt fortis admodum clausuræ typus. quia namque septem sigillis res aliqua fortissimè clauditur, magna & fortis clausura seu absconsio septem sigillis figuratur. Sanè ad literam nihil potest congruentius per librum hunc denotari quàm scriptura sacra; sed allegoricè per eundem convenientissimo typo ad-

Maria liber.

Pannon: in Apocalyp:

po ad-

po adumbratur Virgo Beatissima. Hæc enimverò liber est scriptus intus & foris; signatus sigillis septem, quia fortissima clausurâ; quem nemo nec in cælo nec in terra multominus subtus terram respicere & aperire possit; quia neque è sanctis in cælo, neque ex incolis terræ potest quis plenè virtutes Virginis MARIÆ, gratias eiusdem, merita & gradus meritorum assequi absque Deo peculiariter revelante. Solus Christus respexit, aperuit, legit, qui solus composuit. Quis hîc non fleat multùm eò quod sacerrimi voluminis istius videre & legere scripturam nequeat? Aperi Domine JESU & solve signacula ut saltem titulum libri videre & intelligere possimus. Tu qui habes clavem David, aperis & nemo claudit, præsta facultatem penetrandi mysteria Sanctissimi MARIÆ Nominis ut salutarem ex tam divino libro doctrinam eruamus.

Titulus à Titane hoc est Sole suam trahit derivationem. idque ideo quia sicut sol mundum illuminat ita inscriptio quam titulum vocamus, quasi præmisso lumine, libri sequentis introitum aperit. Titulum qui bene noscit, facilè totius notitiam libri ex sententia Augustini consequetur. Porro mystici de quo agimus libri non alius titulus est quàm sacratissimum MARIÆ Nomen. Variæ sunt apud SS. Patres huius nominis expositiones. Alij enim ad hæbraicam attendentes notationem, guttam maris, myrrham maris, seu mare amarum interpretantur ut S. Epiphanius cum multis alijs Doctoribus: alij dominam, exaltatam, spem. Ita enim Benedictus Fidelis in sabbatho Dominicæ tertiæ Quadragesimalis suam de nomine hoc augustissimo panegyrim incipit: *Quisquis sacratissimum Deiparæ semper Virginis MARIÆ Nomen attenderit, tres inibi admirabiles prærogativas resplendere comperiet quæ magnam hanc Dominã cæteris altiùs honorant ac celebrant. MARIA namq; in latino sermone idem sonat quod Domina, exaltata, spes.* Alij stellam maris, illuminatam, & illuminatricem. Fusus facundusque est, ut solet, in hac expositione Bernardus studiosissimus MARIÆ cultor. Demum D. Ambrosius hoc cæleste vocabulum idem sonare ait quod *Deus ex genere meo* lib: 1. de Instit: Virginis. Aliæ si quæ sunt paraphrases, ad has in quadruplicem classem digestas reducuntur.

Rupertus Abbas inGen:lib: 1. Cap: 2.
S. Augustinus in Psalm: 53.
Hom: 2. super Missus.

Nomina sunt rerum notæ, ait Princeps Romanæ eloquentiæ: & Aristoteles nominis appellationem deducit à notificando. Quod igitur Virgo Beatissima vocatur Maria id est gutta maris, profundissima ipsius indicatur humilitas, qua substantiam suam tanquam nihilum ante Deum judicabat. Gutta namque comparata Oceano ferme nihil est. Unde Eccl: 8. *numerus dierum nostrorum quasi gutta maris,* hoc est quasi nihil reputatur. Quod ex vi nominis nuncupatur myrrha maris seu amarum mare, per hoc ostenditur Mariam ut ait, Esgobar *totius asperitatis & amaritudinis epilogationem fuisse* & non tam obseptam afflictionibus & doloribus quàm afflictionem ac dolorem ipsum extitisse. juxta quòd S. Epiphanius non dubitavit illam in abstracto crucis nomine appellare: *Appellabo te,* inquit, *thronum, cælum, simul & crucem.* Elegans metaphora hæc per quam mare amarum Virgo Beatissima nominatur, hoc demonstrat, quòd sicut nulla aquarum copia cum mari conferri potest; ita nullus dolor, nulla hominis passio cum Virginis compassione: & sicut omnia flumina sunt instar guttæ respectu maris ita omnes dolores respectu Mariani: sicut item nulla in mari stilla est, quæ amara non sit, ita

MARIA gutta maris & mare amarum.

nullus in pectore Mariano vacuus amaritudine locus. Dicite quæso si Deus in vase unico integrum concluderet pelagus illudque alicui propinaret nonne ingentem & inexplicabilem amarorem ille cui propinatum, epotaret? Hoc contigisse Matri dolorum ex eius discimus nomine. Locum illum scripturisticum *Magna est velut mare contritio tua*, septuaginta sic efferunt: *Magnificatum est poculum contritionis tuæ*, quod sub tempus passionis Domini nostri Virginem dolorosissimam ad fundum usque exhausisse credimus. In mari aliam item conspicio qualitatem, quia nimirum in littore stans quispiam & prospectans, videt quidem hispida liquidi elementi terga at latitudinem & profunditatem eius videre nequit. Mari ergo assimilatur, imò mare vocatur Maria, ut noverimus, dolores ipsius videri posse, comprehendi non posse. Quare sicut per hoc quod gutta maris denominetur, designatur eius abyssalis humilitas; ita per maris amari nomenclaturam incomprehensibilis signatur patientia. Placet aliquibus quod nomen hoc cælestibus significationum sacramentis plenum juxta hæbraismi etymum idem significet quod mare amoris: quæ intelligentia docet, Mariam uti in cognoscendo Deum tota fuit intellectus, ita in amando totam, ardorem fuisse & quendam inflammatissimum amoris clibanum imò Oceanum.

MARIA Domina exaltata, spes

Aliæ, quas jam attexui sacratissimi Mariani nominis expositiones sunt istæ: *Domina, exaltata, spes.* Domina ex mente S. Bernardi derivatur à verbo domo. Datur ergo intelligi quòd Virgo Beatissima domuerit Deum, qui velut ferox rhinoceros metuebatur & ad humanas preces justissimo judicio inexorabilem se præbebat. Sacrorum rituum interpretes volunt hunc titulum: *Dominus*, soli Deo deberi ideoque in petenda benedictione non Domini sed Domni usurpari vocabulum, eò quòd prius soli Deo, posterius autem homini præclaro conveniat. Huius sensûs erant & Gentiles ideoque Augustus Cæsar Dominum se vocari prohibuit ne divinum in se videretur transferre honorem. Quòd itaque Beatissima Virgo, Domina appellatur, in partem divini dominij assumpta esse liquidò monstratur. Et verò quomodo Domina non sit quæ Mater effecta est, ex quo etiam honore & gradu super omnes omnino creaturas *exaltata*. Propter eandem maternitatis divinæ prærogativâ *spes* nostra dicitur. Cur autem MARIÆ Nomen spem sonet, dat rationem D. Bernardus: *Quia*, inquit, *totum nos habere voluit* DEUS *per* MARIAM. Inde est quod Beatissima Virgo assimilatur tubo aquas usibus humanis ministranti: *Ego quasi aquæ ductus exivi de Paradiso*. Aquæ ductus mysticus MARIA est quandoquidem per eam velut per quendam aureum, quia purissimum canalem ex Paradiso hoc est ex essentia Dei, in qua omnium deliciarum concluditur ubertas, universæ gratiæ divinæ tanquam salutares aquæ defluunt ut convenientissimè de seipsa loquatur Virgo benedicta: *In me omnis spes vitæ & virtutis.* Spei motivum est potentia & misericordia. Quid vero non possit Deipara cui Filius suus omnem potestatem contulit in cælo & in terra? Porro tam misericors est ut miserorum præveniat vota; omnibusque sinum misericordiæ aperit ut de plenitudine eius accipiant universi. Unde fiducialiter exclamat Bernardus: *Sileat misericordiam tuam Virgo beata si quis est, qui te in necessitatibus suis agnoverit sibi defuisse.* Propterea S. Ephrem eam *spem* suam & omnium Christianorum vocabat: memoratus,

ratus Bernardus ſcalam peccatorum, fiduciam & totam rationem *spei ſuæ*: Philadelphus *ſpem* miſerorum, perſtrenuum bello concuſſorum præſidium, ſecuram fidam & ſacram anchoram eorum qui tempeſtate jactantur, ſingulare afflictorum auxilium, dolentium ſolatium, paratum ad omnes caſus ſubſidium, ſingularem ſalutis noſtræ propugnatricem, tutiſſimum naufragorum portum. Denique Eccleſia Catholica Divam Virginem *ſpem noſtram* appellat. *In anti: Salve Regina.*

Tertij ordinis expoſitiones MARIAM ſtellam maris, illuminatam, & illuminatricem oſtendunt. Myſteria denominationum iſtiusmodi illa ipſa quæ illuminatricis nomen & rem ſortita eſt, nobis aperire dignetur. Mare mundus eſt in quo ſirtes & charybdes inter & pyratarum pericula denſaſque noctis ſpiritualis tenebras navigamus. Sereniſſimum Sidus navigantibus providit Deus Virginem MARIAM. Hæc ergo ideo ſtella maris nominatur ut ſciamus eam in præſentis vitæ periculis unicum lumen ſidus & cynoſuram eſſe noſque ea ductrice feliciter poſſe ad portum æternæ felicitatis appellere. *Iſta eſt præclara*, ait Lactimelleus Marianus Orator, *iſta eſt præclara & eximia ſtella ſuper hoc mare magnum & ſpatioſum ſublevata, micans meritis, illuſtrans exemplis. Si inſurgant venti tentationum, ſi incurras ſcopulos tribulationum, reſpice ſtellam, voca MARIAM.* Et poſt pauca ſubijcit: *Ipſam ſequens non devias, ipſam rogans non deſperas, ipſam cogitans non erras, ipſa protegente non metuis, ipſa duce non fatigaris, ipſa propitia ad portum pervenis; & ſic in te experieris quàm merito dictum ſit: Et nomen Virginis MARIA.* Pharos eſt in hoc proceloſo mari MARIÆ Nomen: lumen eſt viam in tenebris aperiens. Turris fortiſſima nomen Domini vocatur in ſcripturis. Nomen Dominæ turrim quoque dicere poſſumus, turrim David quæ ædificata eſt cum propugnaculis ſeu juxta hæbraiſmum ad Thelalphiot hoc eſt ad doctrinam ſeu documenta, eò quod ſicut per turres tædis flagrantibus, aut pingui reſinâ vel pice accenſâ coruſcãtes docetur viator nocturnus quò proficiſci debeat; ita Virgo ſuperbenedicta facta ſit omnibus navigatoribus ad doctrinam & lucem, ut ad portum & terminum ea præmonſtrante feliciter unuſquiſque pertingat. Convenienter quoque, verbis loquor Doctoris Angelici, *Convenienter vocatur MARIA illuminata in ſe & illuminatrix in alios quantum ad totum mundum atque ideo aſſimilatur Soli & Lunæ.* Illuminata quidem, quia ſole amicta: quia profundiſſimam divinæ ſapientiæ ultra quàm credi poſſit penetravit abyſſum: quia quantum creaturæ conditio patitur, luci illi inacceſſibili immerſa: quia igne illo quo Seraphim accenduntur, quo Cherubim illuſtrantur, non veluti ſummatim tangi, ſed operiri undique & circumfundi meruit. Inter hieroglypta Mariano honori accommodata ponitur Virgo lumine circumfuſa, una parte ſol equis, alterâ luna bobus retro provehuntur ad Virginis immenſa luce coruſcantis aſpectum conniventes. Lemma: *Sol & Luna mirantur*. Nimirum luminaria cæli ad ſplendorem MARIÆ deficiunt & eclipſantur ut poſſimus Dominæ noſtræ occinere:

MARIA ſtella maris, Illuminata, & Illuminatrix.

Opuſculo 8.

S. Bernardus ſer: ſignum magnum.

Luna ſuum perdit tecum ſociata nitorem:
Atque comes nullum Sol tibi lumen habet.

De Buſti.

Illuminatrix verò MARIA nominata eſt ut ex ipſo nomine pateat MARIAM eſſe *lucernam Eccleſiæ* quod ait D. Bonaventura in ſpeculo: *eſſe*

 tenebra-

tenebrarum expultricem, quod ait Sergius Patriarcha Constantinopolitanus: *lampadem inextinguibilem* ut vocat Cyrillus Alexandrinus: ut ex ipso discamus nomine per MARIAM omnem creaturam idolorum errore detentam conversam esse ad agnitionem veritatis: ut sciamus ea adjutrice gentes venisse ad fidem & pœnitentiam, per eam Prophetas illuminatos ventura præuntiasse, per eam Apostolos salutem gentibus prædicasse. Illuminatrix ergo vocatur, quia per exempla lucidissimæ vitæ & doctrinæ suæ dirigebat dirigitque omnes ad salutem: illuminatrix, quia vita eius gloriosa lucem dedit sæculo cunctasque illustrat Ecclesias: illuminatrix, quia corporalis etiam non spiritualis tantum fugatrix cæcitatis. Lege fastos Marianos Domûs Lauretanæ, Claromontanæ, Tallensis in Pannonia, Eremitanæ in Illirico aliarumque in alijs Provincijs, & non poteris percensere cæcos qui collyrio Marianæ pietatis oculos inunxerunt visumque receperunt.

Istæ sunt quas ex Sanctis Patribus collegi nominis sacratissimi interpretationes. Ambrosianam paraphrasim, quia in cæteris continetur imò est cæterarum fundamentum non perstringo. Primæ quidem ad vitam virtutesque MARIÆ declarandas attinent; posteriores ad prærogativas gratiæ gloriæque eiusdem ordinantur. At quid est quod augustũ divinæ genitricis recolens nomen, eiusque abdita perquirens mysteria, immutor animo, stimulos sanctiores persentio & almo Spiritu experior me afflari ut possim canere: *Est* DEUS *in nobis agitante calescimus illo*. Nomina mera esse vocabula ad significandum non ad agendum apta atq; instituta novi. Nam & D. Augustinus ait verba talia esse signa quorum totus usus in significando sit. *Nemo enim*, inquit ille, *utitur verbis nisi aliquid significandi gratiâ*. Contrariũ probo in amabilissimo MARIÆ nomine, & significativum esse ut ex adductis claret & causativũ comperio. Non nudum video esse signum, sed variorum insuper effectuum principium. Nimirum *oleum effusum* MARIÆ *nomen*. Olei virtutes variæ numerantur: ut quòd valeat ad medicinam infusione, ad lumen accensione, ad vires & robur unctione, ad condimentum ciborum inspersione, ad tranquillationem immixtione. Tradit enim Plinius adeo tranquillam esse olei naturam ut mare quoque rem omnium sævissimam tranquillet atque ob id urinantes, aiunt oleum ore spargere quòd mitiget elementi naturam asperam. Hinc est quòd homo leni ingenio præditus oleo appellatur tranquillior. Cunctas virtutes recensitas MARIÆ operatur Nomen. Medetur; quia *velocior est nonnunquam salus invocato nomine* MARIÆ *quàm invocato nomine* IESU: illuminat; ut jam audisti: corroborat; quia ut ait D. Bernardus, *non ita metuunt hostes visibiles quamlibet castrorum multitudinem copiosam sicut aëreæ potestates* MARIÆ *vocabulum, patrocinium, & exemplum*. Tranquillat; quia vultu *quo cælum tempestatesq; serenat*, quælibet nubila & fluctus cordis humani mitigat ac malaciam in animum inducit ut non immeritò dixerit præfatus Virginis panegyristes: *Si criminum immanitate turbatus, conscientiæ fœditate confusus, judicij horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitiæ, desperationis abysso; cogita* MARIAM *& in te experieris quàm merito sit ei dictum: Et nomen Virginis* MARIA. Condit demum & dulcorat; quia secundum Thomam à Kempis, *in hoc nomine omnia amara*

De doctrina Christiana.

Mariæ nomẽ & significativum & causativum.

Oleo comparatur.

Lib: 1. Cap: 103.

S. Anselmus.

mara dulcia fiunt. ſi quis hoc probare voluerit, frequenter de MARIA cogitet, loquatur, legat, cantet, oret. O verè oleum effuſum MARIÆ nomen, oleum longè præſtantius, melius, pretioſius pluſque aromaticum quàm illud veteris legis ex prima myrrha cinnamomo & calamo & caſia necnon oleo olivæ Deo ſic præcipiente confici ſolitum ad ſacram Regum ac Sacerdotum unctionem. Celebrat has univerſas virtutes in nomine MARIÆ ſapientiſſimus Idiota: *Hoc*, inquit ille, *nomen ſuper omnia Sanctorum nomina reficit laſſos, ſanat languidos, illuminat cæcos, penetrat duros, ungit agoniſtas, jugum diaboli excutit.* Alanus item cuius verba recito: *Eleganter fama & gloria nominis MARIÆ oleo effuſo comparatur. Oleum eſurientem reficit, ægrotantem ſanat, membra defatigata mitigat, odorem parit, flammam nutrit; ſic & in laude Virginis reficimur, exemplo eius ad virtutum medicamina invitamur, adverſitatibus feſſi eius patientiâ recreamur, vitæ eius forma illuſtramur.* Probavere in ſe quæ prædicaverunt præcones iſti Mariani, probavere in alijs. Quod non modo audierunt, ſed perſpexerunt, ſed manibus contrectaverunt, hoc nobis annuntiaverunt. O quis mihi ſiſtat deſolatos omnes, infirmos, tentationibus diabolicis preſſos aut quacunque obrutos neceſſitate, nullum credo ex his reperiam, qui ad memoriam & invocationem ſacratiſſimi nominis Dominæ noſtræ non fuerit relevatus! O nomen pretioſiſſimum! o nomen virtutum quod Rex gloriæ impoſuit, quod os Domini nominavit! utinam nunquam recedas ab ore meo, à corde meo! Utinam ſemper verſeris in ore meo per invocationem, in corde per meditationem, in opere per imitationem. Nomina & characteres ignotos portare in collo ſuperſtitioſum eſt ut docet Magiſter Angelicus; at nomen Virginis MARIÆ in pectore geſtare in ordine ad varios naturales & ſupernaturales effectus religioſiſſimum. Ponè prætermieram quod vel præcipuè ad analogiam olei cum nomine Mariano attinet. Oleum ſapientiæ ſymbolum eſt, unde virgines olei defectum paſſæ, in evangelio fatuæ dicuntur: & qui ſapit, dicitur oleum habere in capite. Quid igitur nos nomen ſapientiæ, nomen magiſterij, nomen inquam MARIÆ, docet, quid monet? Docet ut nomina rebus conſona teneamus, ut quod titulo monſtramus, compleamus opere. Nimirum nos quoque libri ſumus. Epiſtola Chriſti ſumus, ut vocat Apoſtolus: titulum ſanctitatis gerimus, dum Chriſtiani, dum religioſi, dum ſacerdotes nuncupamur. oportet ergo ut conveniant rebus nomina noſtra ſuis. Hypocritas vocat D. Gregorius omnes, qui interiori ſtudio & cultu virtutum non reſpondent nomini & exteriori habitui, dum ait: *Illi qui tenent (nomen) & habitum ſanctitatis meritum verò perfectionis non exequuntur, ſunt ſimulatores, quia nomen & exterior habitus ſanctitatis, opera perfectionis ſignificat.* quanquam abſque formali ſimulatione (quæ ad veram hypocriſim omnino requiritur cum hæc importet defectum ſanctitatis & ſimulationem ipſius) poſſit quis & ſoleat habitum ſanctitatis exteriorem præferre, internè manens peccator. Porro hypocritæ quàm ſint Deo abominales, liquidò oſtendunt ſcripturæ. Monſtra ſunt Deo exoſa. Monſtroſa enim res eſt ſpeciem habere columbinam & mentem caninam, profeſſionem ovinam & intentionem lupinam, intus eſſe Neronem & foris apparere Catonem. De talibus Iuvenalis: *Qui Curios ſimulant & Bacchanalia vivunt.*

2. 2. q. 96. art: 4.

Moral: 31.

Hypocritarũ aſſimiliationes.

Hymeræ ſunt Philoſophicæ quibus eſſe & non eſſe convenit. *Sunt namq́;*, ait Pannonius in Apocalyp: *& non ſunt. Sunt fidei inani profeſſione, non ſunt autem veritatis imitatione.* Struthiones ſunt; quia quemadmodum ſtruthio volandi ſpeciem habet, uſum volandi non habet; ſic hypocrita cunctis intuentibus imaginem ſanctitatis inſinuat, ſed tenere viam ſanctitatis ignorat. Cygni ſunt ſub candore plumarum nigerrimam habentes carnem. Typus hypocriſis cygnus eſt, ideoque à ſacrificio Domini arcetur. Videas mihi quempiam de puritate inſignia perorantem cum interim ipſe teterrima luxuriæ nigredine deformis ſit, olorem puta. cygnus eſt Deo exoſus & ſacrificijs eius ineptus. Videas de virtutibus varijs roſas loquentem cum ipſe omnium vitiorum fuſcedine ſit notatus, cygnus eſt. cantat eximiè ſed niger eſt, hunc tu Pauline, hunc tu Chriſtiane, hunc tu Religioſe caveto. Demum cadavera ſunt fætida vivorum inſcripta nominibus. *Nomen habes quod vivas & mortuus es.* Sic non mirum quod Deo ſint exoſi, quod provocent iram Dei, quod væ horrendum à Chriſto illis intonetur. Et ſanè terribili terribilius væ jam in hora mortis ſuæ experiri incipiunt. Enim verò ficta ſanctitas, quæ duplex nominatur iniquitas, mortem peſſimam & obitum nimis horrendum adducere ſolet. Frater quidam ut in vitis Patrum legere eſt, ſenem interrogavit: *Nomen eſt quod ſalvat an opus?* reſpondit ſenex, *opus*. ſtatimque talem auſculanti narrare aggreſſus hiſtoriam. Novi fratrem quendam, qui hac de re oravit Dominum, eſtque exauditus. Venit enim ad cellam eius lupus trahebatque per laciniam ut exiret. Exivit ergo & præeuntem lupum ſecutus uſque ad civitatem, ubi à lupo relictus. In Civitatis illius ſuburbio erat habitatio cuiuſdam nominatiſſimi ſolitarij cuius ſanctitati incolæ & ſui & civitatis conſervationem adſcribebant, parabantque lampadas & ſplendida exequiarum juſta decentiſſimæ ipſius ſepulturæ; plane enim tunc fatis cedebat. Intravit manſionem hoſpes & divino monitus inſtinctu reſedit agonem ultimum morientis inſpecturus. Dum attonitus & meditabundus ſedet, ecce tibi videt dæmonem cum tridente ignito, ad quem vox de cælis dirigitur: *Sicut anima iſta me non fecit requieſcere in ſe vel una horâ ſic neq; tu miſerearis evellens eam.* Dæmon ergo infixa in corde moribundi triſulca cuſpide, ſæviſſimè in multas horas cruciabat miſerum, (viſio exterior interiorem denotabat lanienam) donec tandem trifidum harpagonem infernalibus accenſum ignibus profundiùs infigens violento niſu infeliciſſimam extraxit animam. Conſternatus ea viſione perrexit intro in civitatem oberranſque per plateas advertit, Deo ſic diſponente, peregrinum infirmum foris jacentem nec habentem, qui ſibi opem aut ſervitium in ſua præſtaret neceſſitate, nedum qui ſibi inferias & parentalia procuraret: manſitque cum eo per diem. Nocte ſuperveniente ſupervenit quoque moriendi tempus memorato peregrino deſtinatum. Ecce verò, o inſcrutabilis judiciorum Dei altitudo! Archangelus Michael cum Gabriele deſcenderunt de cælo poſitique unus à dextris alter à ſiniſtris, rogabant animã ut de corpore egrederetur: quâ, propter naturalem cum corpore nexum non egrediente Gabriel Michaelem compellat: *Aſſume jam animã iſtam ut eamus.* Cui Michael: *Iuſſi ſumus ut abſq; dolore eam tollamus.* clamanteque Michaele ad cælum: *Domine quid vis de anima hac quoniam*

am ſpon-

am sponte exire recusat? venit vox desuper: *Ecce ego mitto David cum cythara & omnes psallentes Hierusalem ut ad cantum ipsorum egrediatur.* Resonantibus ergo in circuitu eius hymnis cælestibus exilivit animâ conseditque in manibus Michaëlis atque sic cum gaudio in cęlum assumpta. En vides hypocritæ exitum! cernis è contra sinceræ pietatis coronam? Homines hi, duo libri fuerunt at unus cum titulo concordans, alter discordans; unus veritatis, alter mendacij & simulationis. hic quidem laceratus à dæmone & in ignem proiectus infernalem; ille asportatus in cælum æternaliter legendus ac diligendus à Deo. Quis non horreret si aliquem librum hac pia inscriptione: *Opera D. Augustini vel Moralia S. Gregorij* notatum videns, postea apertum pervolutando, illum præter Arij & Calvini hæreses nihil aliud continere deprehenderet. Horret & Deus eiusmodi libros, qui pia signantur intitulatione cum interim opus dissonum sit, moresque gentilium & hæreticorum complectatur. *Equidem reatus impij est, pium nomen. magisq; damnabilis est malitia quam titulus bonitatis accusat.* Paolettiserm: 2. de circumcisione Dñi. Salviang l. 3.

Cum igitur titulo religiosorum hoc est ad servitium divinum religatorum insigniti simus, impleamus significationem nominis nostri sicut Virgo Beatissima omnia prorsus sacramenta mysteriosi implevit nominis. Nulli characteres contrarij vocationi nostræ maneant in nobis, nulla diaboli scriptura reperiatur in nobis: quodsi reperitur, expungatur ut cum liber conscientiæ nostræ in judicio aperietur, non reprobet nos imò potiùs approbando dicat Dominus: *Novi te ex nomine & invenisti gratiam coram me.* Exodi 31.



CONTRA

MVRMVR.

IN hodierna sancti Evangelij historia legimus quòd dæmonia Christum inclamaverint: *Tu es filius Dei,* quæ Salvator noster redarguebat & increpabat non sinendo ea loqui. Mirum est quòd Christus Dominus rem alioqui ex se bonam, laudem scilicet & confessionem divinitatis suæ non acceptet quam tantopere gratam habuit à Petro ut eum statim retaliarit beatificando: *Beatus es Simon Bariona, quia caro & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus.* Ratio cur confessio divinitatis quam fecerunt dæmonia sit reiecta à Christo Domino, facta autem à Petro sit admissa & cordi habita: quia lingua Petri Christum filium Dei profitentis fuit inflammata igne Spiritus Sancti, fuit ardens amore divino, confessio illa ab eo procedens ex puro & sincero amore Dei proveniebat; at verò lingua dæmoniorum ardebat odio contra Christum ut colligere licet ex verbis quæ apponuntur à cæteris Evangelistis: *Ante tempus venisti torquere nos,* quæ quid aliud nisi odiũ nisi furorem spirant cõtra Christum. Lingua nostra in continuo est officio & exercitio laudis divinæ. Assidui sumus in confessione Deitatis Christi, in

Orationibus, Psalmodijs, diurnis nocturnisque precibus. An tamen confessio oratioque nostra sit accepta Deo non constat nobis, certissimũ nihilominus documentũ habemus acceptam esse si lingua nostra cuius ministerio laudes divinas persolvimus accensa est igne Spiritus Sancti, si flagrat igne amoris in Deum & proximum. Quodsi acuimus linguas nostras in detractiones oblocutiones & murmura sicut acuebant dæmones Christum Dominum suo murmure & oblocutione carpentes, certissimum indicium reprobari omnes orationes confessiones laudes nostras, invocationesque auxilij divini minimè exaudiri: quod dum Isaiæ oraculo comprobo, simul inutilitatem imò damnositatem murmuris quæ tamen flammâ amoris divini facilè abigi possit demonstro.

Murmuratio, ut habet Caietanus in summula, peccatum est coincidens cum detractione: in eo tamen hac inferius, quia magis soni quàm vocis articulatæ culpam denotat. Unde leviorem querelæ impatientis sonum murmur solemus vocare tracto à leni strepitu currentis aquæ vocabulo. Quidquid sit de nomine, indubitatum est, secundùm rem detrahi illi contra quem murmuratur. Dum enim querulus quispiam frangit verba & buccis instar vesicæ inflatis trutinatur, hoc agit ut ostēdat quòd iniuste aut irrationabiliter se habeat vel habuerit ab hoc vel illo. Murmuris materia est omne illud quod non placet. Hinc illæ queribundorum næniæ: *Legumina ventosa sunt. Caseus stomachum gravat. lac capiti nocet. potum aquæ non sustinet pectus. caules nutriunt melancholiam. choleram porri accedunt. pisces de stagno aut lutosa aqua meæ penitus complexioni non congruunt.* Pestis hæc cōtagiosa est & ubi è fæculentis alicuius faucibus egressa fuerit, illico quos afflat, inficit. Scriptum est enim Num: 14. quòd pauci murmurare fecerunt omnem multitudinem contra Moysen. Et D. Hieronymus ad Furiam scribens adducto illo Maronis carmine: *Hic aliquis cui circa humuros hiacynthina læna est Rancidulum quiddam balba de nare locutus, Perstrepit ac tenero, supplantat verba palato. Omnis*, inquit, *consonat chorus & latrant universa subsellia.* Pannonius in explanatione regulæ: *Pessimum*, ait, *vitium hoc facilè omnes concitat.* Tantum scilicet in perversum valet lingua improba ut fortiore vi in societatem murmuris ac detractionis rapiat auditores quàm aut Hercules aut Demosthenes Tulliusve mellifluo eloquentiæ torrente rapuerit in stuporem.

S. Bernardus.

Sed iam oraculum Isaiæ auscultemus. Hic igitur cap: 58. exorabilem divinam clementiam profitetur ac pollicetur non tamen absq; conditione: *Si*, inquit, *abstuleris de medio tui catenam & desieris extendere digitum & loqui quod non prodest, tunc invocabis & exaudiet, clamabis & dicet: Ecce adsum.* Sensus est: si de medio cordis tui sustuleris catenam ex varijs contextam & connexam peccatis, si cessaveris à minis, iracundijs, subsannationibus & illusionibus quæ digito fieri consueverunt, demum (si quod caput rei est) desieris loqui quod non prodest, tunc Deum in orationibus & invocationibus propitium agnosces. Quid verò est *loqui quod non prodest?* explicat Drexelius: *Inter omnes inutiles sermones prorsus inutilissimus est querela quæ prodesse nunquam, nocere semper solet.* Sint veræ licet, sint justæ querimoniæ, quid tum postea? quid querimonijs juvamur? bonam causam vix unquam juvant, malam semper deteriorem reddunt. Ita ille. Et bene. Quis enim ulla

Murmur nihil prodest.

memoria,

memoriâ, suo murmure superiorem melioravit, quis non potiùs exulceravit, exacerbavit? Si portio non placet, attende quid dicat S. Hieronymus scribens Paulino: *Sit utilis & vespertinus cibus olera & legumina & interdum pisciculos pro summis ducas delicijs.* Tu porro etiam contra carnium cibos, etiam contra condita fercula, hoc malum est, illud macilentum, hoc exiguum, in modum ursi mel appetentis obmurmuras. Considera an pro tuo diei labore, pro tuo ministerio, pro tua diligentia imò pro tua negligentia panem & olus merueris, quid arridentes stomacho & gulæ tuæ escas. Perpende quid iterum idem Doctorum maximus ut eum Ecclesia sancta intitulat, ad Demetriadem scribat: *Servorum Dei & pauperum spiritu habeto curam, eorum, qui diebus & noctibus serviunt Domino DEO tuo: qui in terra positi imitantur Angelorum conservationem & nihil aliud loquuntur nisi quod ad laudes Dei pertinet, habentesq; victum & vestitum, his gaudent divitijs: qui plus habere nolunt, alioqui si amplius desiderant, etiam his quæ necessaria sunt probantur indigni.* En vides ex tam manifesto testimonio quòd murmure & querulatione tua etiam rebus necessarijs, etiam necessaria portione teipsum indignum feceris. Expende emolumenta ex lingua provenientia querulatrice. Quid Maria soror Moysi lucrata suo murmure? lepram. Quid Num: 12. tertia pars Castrorum? absumptionem sui cælesti igne? Quid Core Dathan & Abiron? absorptionem sui chasmate. quid denique populus Judaicus sequens Moysen & ad terram promissionis pergens? præventus morte terram illam lacte & melle manantem intrare nequivit. Neque tu speres cælum ingredi nisi à vitio cessaveris. Dicit enim Sanctus Gregorius: *Nullus qui murmurat regnum cælorum accipit.* Ne ergo loquamur quod non prodest, imò quod multum obest. Senior quidam ut habetur in vitis Patrum fratres mensæ accumbentes considerans vidit quod vnus idemque cibus alijs quidem esset mel, alijs panis, alijs fædum humani ventris purgamentum; cumque super ea re stuperet cognovit eo docente interius, qui visionem exhibebat exterius, cognovit inquam eos, qui mel comedere visi, cum devotione & gratiarum actione comedisse; qui panem, non quidem cum devotione, attamen in silentio & cum gratæ mentis affectione; qui demum porcinam escam masticare visi, eos cum murmure & indignatione manducasse. Nimirum ad hoc unicum prodest obstrepere, quòd ipsa refectio fiat infectio, cibus in venenum transeat, panis in fimum commutetur, omneque esculentum reddatur fæculentum. Ad hoc item prodest murmuratio, quòd index sit defectûs & vacuitatis interioris. Dolium non reddit sonum quousque plenum est; si evacuetur, resonat. Currus plenus mercibus non stridet ut inanis. Venter ipse murmure suo inanitatem signat: sic & lingua murmuratrix cassam indicat animam omnique virtute & fructu spirituali destitutam. Unde D. Augustinus: *Si*, inquit, *inter vos contentiones & murmura oriuntur cum conqueritur aliquis se deterius accepisse quam prius habuerat, hinc vos probate quantum desit vobis in illo interitori sancto habitu cordis.* acsi diceret: Si defectum aliquem in necessarijs patientes querulos & obstreperos vos exhibetis, scitote ampliori inopiâ vos in anima laborare.

Multùm nocet.

At Superior, cogitatis, parcus est magisque Condum quàm Promum

 agit?

agit? Non saturatis difficile non muginari, difficile cum sufficientia negantur, impatientiæ æstum intus concludere nec ullo exteriori sono oris prodere? Quòd superior, repono, plena non tribuat manu ea quæ ab ipso desiderantur, non soluit legem sed implet. Jubetur namque vigore statutorum nostrorum parta cum parcitate dispensare. A Sancto quoque Hieronymo monetur ut *præter victum vestitum & manifestas necessitates nihil cuiquam tribuat.* Quare si necessitas tua non est manifesta præposito, frustra eum quasi inhumanum & è cautibus horrentis Caucasi progenitum convitiaris, gratis trementibus labijs impatientiam pectoris contestaris, nequicquam declinas cor tuum in verba & sonos malitiæ quibus quidem nihil Superiori noces at tibi tuisque contubernalibus plurimum, quos sub eiusdem culpæ reatum pravo exemplo trahis. Doce itaque priùs quod egeas. Contingit namque nec raro quidem eum vel maximè murmurare, qui peculio & varia supellectili abundat ditiorque est Monachus quàm fuerat secularis & possidet opes sub paupere Christo quas sub locuplete & fallace Diabolo habere non potuit.

Ad Paulinum

Nihil juvat, si describat & manifestet morbum medicus nisi eidem curando salutare præscibat antidotum. Nec mihi sufficit monstrasse murmurationis malitiam. opportunum affero remedium ex Hyppocratis aut verius ex mystæ cuiusdam deprompturn tabulis. Cordis humani prostantem vidi effigiem. Circumdabant illud vespæ, culices, viperæ. Virgo admovebat facem ad cuius flammas dilabebantur. Ponè aderat inscriptio: *Sacris ignescite flammis.* Vesparum, Culicum ac Viperarum imagine vitia linguæ & vel maximè murmur exprimitur. In illis inconditus sonus & vis punctiva est: utrumque in murmure reperitur. Hæc ergo dilabentur nec cor nostrum lancinabunt si sacris flammis ignescamus. Admovet nobis facem Virgo Beatissima exemplis vitæ sanctissimæ nos inflammans: admovet Virgo Ecclesia quæ divinissimi spiritus descensum proponit recolendum amoreque divino reciprocum in nobis provocat amorem: admovet Virgo Religio nostra quæ pijs nos exhortationibus sanctisque institutis ad ferventem Dei dilectionem stimulat: admovet demum facem pectori nostro Virgo illa velata de qua historia Ordinis nostri memorat quòd duos fratres in Conventu Romano olim residentes ad saniorem mentem, (desipiebant enim quia linguas suas in murmur & oblocutiones exerebant) reduxerit. Frequenter hi contra superiorem mussitabant & murmure in detractionem abeunte injuriosis innoxium proscindebant oblocutionibus, dispositionem residentiæ suæ tanquam male sani capitis partum cavillantes. Eorum uni nomen Fabianus, alteri Georgius. Hunc utrumque Monialis Romana cælitus inspirata & una quidem die Georgium, altera Fabianum præmisso insigni Eremiticæ vitæ encomio, hac frugi fecit concione: *Scitis,* inquiebat illa, *quid B. Paulus scribat, Murmuratores, detractores* DEO *odibiles, regnum Dei non possidebunt. Quid commisit erga vos vir ille Dei, frater Petrus, Pater totius Ordinis vestri in cuius pectore Deum inhabitantem etiam Angeli venerantur, cuius notitiam licet non habeam, tamen spiritu odorem Christi bonum ex eius corde gusto, quem vos dilaniatis injustè. Quiescite perverse agere, derelinquite furorem, solvite colligationes detractionum. Utilius enim esset vobis omni feria sexta carnes animalium manducare quàm sanctos Dei rodere.* Cælestis equidem

Remediū contra murmurationem.

admoni-

admonitio & per miraculum facta, quia ignotis ab ignota & præter ullam opinionem ſingillatim utrique perorata, quâ permoti à ſimili oris vitio quoad vixerunt abſtinuerunt. Admovit perfectò iſta cordi amborum facem cuius igne protinus omnes linguæ maledicæ fuci fugati ſunt. *Omnibus generibus hominum & exemplorum* authore D. Auguſtino *ad animarum curationem, ad inſtitutionem ſpiritualis populi, utitur divina providentia.* Quare & nos per eandem virginem ignito eloquio velut lampade ardente cor noſtrum ſuccendente commonemur ut cunctas murmurationum & obtrectationum, manu prudentiæ à nobis abigamus cyniphes. Nobis dici putemus: Murmuratores, detractores Deo odibiles regnum Dei non poſſidebunt. Nobis dici putemus: Quieſcite perverſè agere, relinquite furorem, ſolvite detractionum colligationes. Ad nos credamus directam eſſe orationem illam: Utilius eſſet vobis ſingulis ferijs ſextis, in pernis & petaſonibus tuburcinari quàm in detractorios & querulos ſermones labia dividere. Quicunque igitur præfatos fratres ſecutus es errantes, ſequere pœnitentes & cum illis *deſine meq; tuis incendere teq; querelis.* Murmurandi nota ſervis propria eſt. Ait enim ſacri nominis Doctor: *Querulum eſt ſervorum genus & quantumcunq; eis dederis, ſemper minus eſt. non enim conſiderant de quanto, ſed quantum ipſis detur ſoliſq; ſe, quod poſſunt, obtrectationibus conſolantur.* Caveamus ne mutato nomine ſatyra hæc adverſùm nos quadret ut dici poſſit: Querulum eſt Monachorum genus & quantùmcunq; eis dederis, ſemper minus eſt. Non enim conſiderant de quanto, ſed quantum detur ſoliſque ſe quod poſſunt obtrectationibus conſolantur.

De vera religione.

Virgilius.

Sacris proinde igneſcamus flammis, flammis illis quas Spiritus Sanctus accendit, flammis illis quibus ſuccenſi Apoſtoli magnalia Dei perſonabant, flammis illis quibus incenſus Apoſtolorum Princeps in confeſſionem divinitatis Chriſti prorupit. Sic fiet, quòd monſtroſa vitiorum linguæ examina fugient à nobis. Emundavit Seraph linguam & labia Iſaiæ carbone ignito. Carbo ignitus eſt Spiritus Sanctus cuius octidualem feſtivitatem concludimus: rogemus, ut ipſe purget linguam noſtram ab omni inutili ſermone & potiſſimum inutiliſſimo murmure ac oblocutione. Rogemus ſupplices ut linguam ignitam, ardentem ſcilicet amore Dei & proximi conferat nobis quò omnes confeſſiones laudeſque divinæ quas perſolvimus, Chriſto ſint acceptæ eumque in univerſis invocationibus ſemper propitium ac præſentem agnoſcamus.



CONTRA MALAS
COGITATIONES.

IMmenſa Dei pietas multiplex ad bonitatem & artifex ad ſalutem, per exempla Sanctorum ac potiſſimum Chriſti Domini Matriſque ſuæ noſtris reſpicit commodis. Proponit nobis imitandum Salvatorem noſtrum ut ſicut ille puritatis auctor in templo eſt præſentatus, ita nos purifica-

In pervigilio Purificationis Beatiſſimæ Virginis.

purificatis mentibus conspectui divino præsentemur. Proponit Virginem Beatissimam quæ idcirco legi parientium fæminarum se submisit, ut amplius purificaretur non quidem per recessum ab impuro, sed per accessum ad summè purum, hoc est ad Deum. Et quia singulare MARIÆ privilegium nemo habet, immunitatem videlicet à peccato omni omniq; impuritate, cum nemò è nobis mundus sit à sorde, necesse est nos semper purificari per recessum ab impuro, per fugam scilicet malarum cogitationum ad quam exhortatorio sermone meum vestrosque animos accensurus favere mihi Christum puritatis fontem & Matrem purissimam precor. Favete & vos linguis. Non enim profano vulgo, sed vestris sacratis & ad munditiem undequaque obstrictis mentibus carmina non prius audita cantabo.

Malitia moralis unde?

Cogitatio, hoc est, veri inquisitio sicut & quævis actio humana malitiam sibi afflat ex obiecto, ex circumstantijs & ex fine ut docet Sanctus Thomas 1. 2. q. 18. Mala proinde cogitatio est, quæ illicitis immoratur: mala quando non sicut oportet, neque ubi oportet nec secundum alia adiuncta fit: mala quando indebitum finem intendit. Cogitationes igitur in quacunque materia luxuriæ, malæ sunt respectu nostri, quia & obiectum seu res ipsa & circumstantiæ & finis nostro statui votisque adversantur.

Beatꝰ qui reprimit cogitationes immundas.

De istiusmodi cogitationibus in præsentiarum disputaturus illud assumo Davidicum: *Beatus qui allidit parvulos Babylonis, ad petram.* Per parvulos hos intelligit Propheta initia cogitationum turpium, per petram intelligit Christum. Sensus itaque est: Beatus ille, qui persentiscens se illecebrosis pungi cogitationibus & dulci libidinum pompa cōcuti, confestim ad Christum convertitur & seu rememoratione vitæ passionisque eius, seu invocatione auxilij eiusdem, quantocius ab immundis mentem abstrahit imaginibus. Assertionem hanc firmat ratione Divus Hieronymus, qui interpretans versiculum illum Ecclesiastici cap: 10. positum. *Si spiritus potestatem habentis ascenderit in te locum tuum ne dimiseris, quia curatio facit quiescere peccata maxima.* sic ait: *Versiculus iste hunc habet sensum: Si in cogitationes tuas coluber ascenderit, omni custodiâ serva cor tuum & ad peccatum maximum quod opere perpetratur, nequaquam pervenies, sed incentiva vitiorum statim in mente jugulabis & parvulos Babylonis allides ad petram in qua serpentis vestigia non reperiuntur.* Subijcit deinde ille idem Doctor: *Hoc est quod alibi scriptura testatur: Peccata Patrum reddam in filios in tertiam & quartam generationem, ut cogitationes nostras mentisq; decretum non statim puniat, sed reddat in posteris id est in malis operibus & in delictorum perseverantia.* Ideo itaque ex mente Divi huius Patris beatus ille asseritur qui parvulos Babylonis id est pravarum exordia cogitationum enecat, quia ad peccatum operis, quod maximum in scripturis vocatur & quæ sequi solet, in pravam peccandi consuetudinem ac delictorum perseverantiam non labitur. Sapuisset Saul beatusque fuisset si parvulis hisce stulta miseratione & indulgentia non favisset.

Quia ad opus peccati & cōsuetudinem peccandi non perveniet.

Secundo Reg: 12. Saul infeliciter belli aleam cum Philistæis lusit: victusque ab eis fugiebat: cumque in fuga periclitaretur, obvium accersens militem, interrogat quis nam es tu? respondit vir: *Amalecita ego sum.* Interfice me. interfecitque Saulem. Unde quæso iste Amalecita? to-

ta? tota ſtirps Amalecitarum jam fuit deleta mandante Domino: *Vade percute Amalec, & demolire universa eius interfice à viro ad uſq; mulierem & parvulum atq; lactantem.* Unde ergo ille Amalecita, qui Saul occidit! ecquid fuit genius aliquis perſonam & nomen Amalecitæ mētiens? an plagiarius quiſpiam ſubduxerat eum cum cæteri necarentur? reſpondent interpretes, quòd Saul contra pręceptum Domini nonnullos ſervarat ubera ſugentes, e quibus unus poſtquam maturuit, vitam ademit Sauli. Si Saul puſillo non peperciſſet, non fuiſſet à grandævo occiſus Amalecite: miſer & infelix, qui in ſuam pernitiem hoſtem capitalem ſervavit nutrivitque Miſeri pariter & infelices ij, qui cogitationem malam dum tenera eſt fovent, grandem & crudelem Amalecitem poſtmodum experturi. Lactentes, ſunt principia perverſorum cogitatuum; conſenſus & opus peccati, grandis eſt Amalecites. illa ſi tempeſtivè non repreſſeris, ab hoc ſine dubio peribis. *Inimicum dum parvus eſt occide*, monet ſacri nominis Doctor, *ne poſtea ubi creverit occidaris ab eo.* Beati ergo, qui parvulos allidunt ad petram, quia tanquam providi & prudentes conſulunt vitæ ſuæ, dum conſenſum opuſque peccati quo anima interimitur evadunt.

Beatus item ideò quia Deū videbit atq; idcirco vitam æternam habebit.

Sed ipſe qui aperire ſolebat ora Prophetarum, aperiat os ſuum ad nos: *Beati*, inquit, *mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* Ultimata ratio beatitudinis mundorum eſt, quia Deum videbunt. In confeſſo eſt apud Theologos vitam æternam conſtitui per claram Dei viſionem. Sententia hæc indubitata, in illis ſcripturæ fundatur verbis: *Hæc eſt vita æterna ut cognoſcant te ſolum & quem miſiſti*, IESUM *Chriſtum.* Idem igitur eſt dicere: *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt*, quod dicere: Beati mundo corde, quoniam ipſi vitam æternam poſſidebunt. Suffragatur D. Auguſtinus, qui unum vitæ æternæ pręmium beatitudinibus à Chriſto annexum variè nominatum eſſe affirmat. Beati itaque puritatis cultores, beati immundarum cogitationum hoſtes, quoniam hic quidem vitâ animæ quæ eſt gratia Dei; in futuro autem vitâ potientur gloriæ: ſed & inde beati, quia ipſis confertur donum intellectus per quod adhuc in via clarius & limpidiùs Deum præ cęteris cognoſcant.

In ſuper in præſenti vita clariq; præ cęteris Deum cognoſcet per donum intellectus.

Quęrit S. Thomas an pręmia beatitudinibus aſſignata, ad hanc vitam pertineant? adductiſque varijs ſanctorum Patrum ſenſis ut S. Ambroſij, quod omnia ad futuram vitam ſpectent: Sancti Auguſtini, quòd omnia ad pręſentē: S. Chryſoſtomi, quòd aliqua ad futurā aliqua ad pręſentem: ipſe velut arbiter & ſequeſter litis decidit, omnia pręmia octo beatitudinibus attributa, perfectè quidem conſummari in patria, ſed interim etiam in loco peregrinationis quodammodo inchoari. Habent proinde ſe in hac vita pręmia beatitudinum ſicut primordia fructuum. Sicut enim dum hæc apparere incipiunt, ſpes eſt ad maturitatem perventuros fructus; ita dum quis incipit proficere in virtutum exercitio & pręmiorum virtutibus annexorum experimento, poteſt ſperari de eo quòd perveniet ad perfectionem viæ & tandem ad perfectionem patriæ. Qui igitur mundum cor ſtudent habere, non tantum poſt curſum vitæ mortalis Deum videbunt; ſed in pręſenti quoque initia viſionis huius conſequentur. Unde Doctor Angelicus ait: *In hac etiam vita purgato oculo per donum intellectus Deus quodammodo videri poteſt.* Scitum

Theologicum est Deum videri non posse intellectu creato nisi sit per lumen gloriæ fortificatus & clarificatus. Si itaque mundi corde adhuc dum terram inhabitant, visionis Dei felicitate inhoata gaudent, sequitur, eos initium aut radium quendam luminis gloriæ, donum videlicet intellectus, adeptos esse. Carnales hebetes sunt; donum autem intellectus mundis confertur adversus hebetudinem authore Divo Gregorio cuius verba recito: *Spiritus Sanctus dat sapientiam contra stultitiam, intellectum contra hebetudinem, consilium contra præcipitationem, fortitudinem contra timorem, pietatem contra duritiam, humilitatem contra superbiam.*

Quæ dona quibus vitijs cōtraponuntur?

Motiva ad munditiem mentis.

Ex parte ipsius mentis quæ cōdita ad sūmam pulchritudinem contemplandam. Ad cognoscendam item veritatem non falsitatem.

Et hinc quidem peculiari ratione movemur ad curandam & custodiendam interioris hominis munditiem, quòd nimirum mens nostra condita sit ad summam pulchritudinem hîc & in cælo contemplandam; nos verò naturæ & conditionis nostræ invertentes ordinem, mentem volumus convertere ad corpora, oculos ad Deum: quæ perversitas omnino, juxta monitū D. Augustini lib: de vera religione, corrigenda est. Deinde mens nostra ex natura sua veritatis est indagatrix non falsitatis: ista porro quæ nobis per imaginationem fingimus & pingimus in capite, falsa sunt nosque ab uno vero abducunt. *Si namq; una Roma est quam circa Tyberim nescio quis Romulus dicitur condidisse, falsa est ista quam cogitans fingo. non enim est ipsa nec ibi sum modo. nam quid ibi agatur, modo utiq; scirem. Si unus est sol, falsus est iste quem cogitans fingo; nam ille curricula sua certis locis ac temporibus peragit, istum verò ego ubi volo & quando volo constituo. Si unus est ille amicus meus: falsus est iste, quem cogitans fingo. nam ille ubi sit nescio, iste ibi fingitur ubi volo,* verba sunt Præsulis Hipponensis, quibus nititur demonstrare, non res ipsas, sed species rerum mentibus nostris obversari, quo fit ut dum inutilia ac illicita cogitamus, evanescamus in cogitationibus nostris diligentes vanitatem & quærentes mendacium, atque juxta canis Æsopici fabulam, umbram carnium prensantes & verum cibum quem tenuimus dimittentes. Mentis ergo nostræ ea cum sit sublimis dignitas serenissimam increatam contemplari lucem & nonnisi circa veritatem occupari: ad immundas, vanas, umbratilesque figuras considerandas cogenda non est. Sed & status officiumque nostrum sacerdotale vi cuius carnes agni immaculati quotidie Deo immolamus, & continuas preces fundimus, omnimodam exigit mentis puritatem. *Mundamini*, inquit Propheta, *qui fertis vasa Domini.* Apostolus quoque vult coniuges ad tempus propter orationem feriari ab opere connubiali per id insinuans, nobis qui in perenni orationum laudumque divinarum manemus officio, candidam atq; eburneam mentem semper esse necessariam. Unusquisque Sacerdos unusquisque Religiosus *arca est testamenti intrinsecus & extrinsecus deaurata: custos legis Domini. Sicut in illa nihil fuit nisi manna & tabulæ testamenti, ita in nobis,* monitore Hieronymo *nullus debet esse extrinsecus cogitatus.* Quotidie in liturgijs *sursum corda* habere ad Dominum protestamur, si ore dissentiente cum factis, voce dissonante cum cogitatis mentiamur, ultrix nos manet damnatio: expectat reos suos gehenna gravibus armata supplicijs. Huc facit vetus illud distichon:

Ex parte status & officij Sacerdotalis.

Si Deus est animus nobis ut carmina dicunt;
Hic tibi perpetuò sit pura mente colendus.

At

At difficile eſt, inquies, homini ex carne & ſanguine conſtanti, carnalibus non molleſcere ſuggeſtionibus: difficile & miraculo proximum, lege in membris noſtris contraria legi mentis manente non captivari nos, trahique violentia quadam ad illecebroſam in cogitationibus obſcænis moram. Fateor difficile operoſumque eſſe id, quod ipſi etiam Vaſi electionis grave fuit: ſed fortior eſt gratia IESU Chriſti quàm natura: fortius verbum Dei, quo ignita dæmonis jacula retunduntur, quàm caro: fortior Deus quàm diabolus. Porro ad claudendam his, de quibus ago, volatilibus muſcis feneſtram ſalutare ex Doctoris maximi epiſtola qua Demetriadem imò unumquemque noſtrum (cum in Chriſto neque ſit maſculus neque fœmina) erudit, depromo conſilium: *Unum illud tibi præq; omnibus unum prædicam & repetens iterum iterumq; monebo ut animum tuum ſacræ lectionis amore occupes ne in bona terra pectoris tui ſementem lolij avenarumq; ſuſcipias: ne dormiente patrefamilias, qui eſt animus Deo ſemper inhærens, inimicus homo zizania ſuperſeminet.* Salvinæ quoque eadem ab eodem Magiſtro tradita lego præcepta: *Semper in manibus tuis ſit divina lectio & tam crebræ orationes ut cogitationum ſagittæ quibus adoleſcentia percuti ſolet, huiusmodi clypeo repellantur.* Idem medium in ſancti Auguſtini libro de decem plagis invenio, ubi præceptum de ſanctificatione ſabbathi ab ijs obſeruari probat, qui lectioni & orationi vacant, & per hoc ſalvari ſervarique eoſdem à tertia plaga Ægypti, muſcis nimirum inquietantibus & & in hominem moleſta importunitate involantibus, quæ nihil ſunt aliud quàm cogitationes malæ. Has ſi evitare velis *attende lectioni & doctrinæ* ait ille. Rectè per lectionem ac meditationem ſacrarum ſcripturarum obſtrui aditum fædis mentalibus impreſſionibus cenſent præfati Patres. Evagatio enim mentis circa illicita, filia eſt acediæ: quocirca ſi huic per ſacram lectionem obſiſtas, illi locus inter lata prætoria memoriæ tuæ non dabitur. Filia non poterit eſſe ubi matrem non admittis. Experientia certè ipſa probat, tunc nos vel maximè fædo pulſari cogitatu quando torpemus, quando animum noſtrum lectione excolere negligimus. *Neglectis urenda felix innaſcitur agris.* Sarritiove & runcatione frequenti opus habet ager ne noxijs repleatur herbis: animo pariter crebra lectionis cultura neceſſaria eſt, ſi nolumus inutilibus ipſum vitari germinibus.

Medium adverſus pravas cogitationes.

Atqui nimis ſunt viſcoſæ cogitationes malæ. quò magis illas reprimere volueris, eò tenaciùs pinguis inſtar reſinæ adhęrent. dumque mentem mundare laboras, magis maculas. Bellè muſcas vocaſti. Pulſæ enim iterum atque iterum advolant & moleſtiſſimo hominem inquietant recurſu. Etiam hîc non eo inficias. Sed nullum malum cui divina providentia bonum non oppoſuerit: nullus morbus cui remedium non præſcripſerit. In pręlio caſtitatis juxta Apoſtolum atque ſanctos Patres non pugna, ſed fuga neceſſaria eſt. ſecurus eſſe non potes niſi fugeris. Conſilij huius iſte eſt intellectus: Dum te titillant peſtiferæ cogitationes, noli diſceptare: noli diſcurſus circa viſa mentis formare, ſed quantocius aliò cogitatum averte, ad petram Chriſtum, ad verbum Dei, hoc eſt ad aliquam ſcripturæ ſacræ ſententiam ruminandam, ad orationem te proripe: in quo ſuaſionem Doctoris Angelici ſequeris, qui ait *impugnationem peccati tunc vincendam eſſe fugiendo cum perſeverans cogitatio auget incentivum peccati.*

Mundemus igitur ea quæ intus sunt & quæ foris sunt munda erit. Nunquam inficitur aut corrumpitur corpus, nisi prius inficiatur corrumpaturve animus. Imaginationem malam mulieri menstruatæ assimilat quidam. Sicut hæc speculum ita illa intellectum & quadam necessitate corpus ipsum commaculat. Molendinum farinam reddit secundum genus accepti frumenti: similiter phantasia quæ instar rotæ molaris voluitur, si admiserit bonam cogitationē, boni operis farinam molit; malā mala sequuntur opera. Chamęleon, ut Radivilius testis oculatus in suo hodæporico notavit, ad colores quos videt, conversione facillima & voloci variatur: sic & mens nostra à rebus & imaginibus colorem speciemque quam illæ habent, trahit. Bombyces à principio sunt velut grana synapis, quæ ligata in linteo & à mulieribus sororiantes inter māmas portata postquam incaluerint, animantur in vermes. Sanè impressiones in animo factæ, sunt ab initio quasi grana aliqua innoxia: sed si foveantur in pectore, si incalescant, fient vermes rodentes & mordentes conscientiam tuam, nebuntque tibi molles operum delectabilium, sed opicorum funes illisque te constringent.

Hortum quidam oleaginum pinxit puellosque & puellas in eo fructus colligentes. Lemma apposuit: *Procul este procaces*. Mens nostra speciosum est olivetum: si cogitationibus castis pudicisq; colatur, uberes dabit fructus; quodsi inhonestis fœdetur apprehensionibus, sterilescet ignis æterni futura pabulum. Procul igitur este procaces cogitationes, procul immunda diaboli semina. Anima nostra paradisus est Spiritus Sancti, qui se à cogitationibus quæ sunt sine intellectu auferre solet. *Non vagetur mens nostra per vitiosis cogitationibus neq; divaricet pedes suos omni transeunti phantasiæ*. Secretum cubile Sanctissimæ TRINITATIS, cor inquam nostrum nulli demus spurcitiæ prophanandum. Et ut unde inceperam inde desinam, discamus à Virgine Beatissima jugem interioris hominis purificationem. Mense, quem inchoavimus, à Gentilismo celebrabatur festum Februorum, quia continuis duodecim diebus populus purgabatur: & accensis cereis Junoni Februatæ sacra faciebat. Superstitionem mutavit Ecclesia in religionem nobisque loco Junonis Februatæ purificatam Virginem Matrem ad cultum proponens, mandat ut exemplo ipsius non jam per duodecim dies, sed per universum vitæ nostræ tempus in mentibus nostris februemur, bonis operibus velut quibusdam polymixis lucernis interiorem commonstrantes splendorem. Purificemus itaque animas nostras per recessum ab omni impuro: ut purificatis mentibus, divinæ maiestati & nunc in orationibus sacris & olim in templo gloriæ æternæ, pręsentari mereamur.

Officina emblematum.

S. Hieronymus

✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻✻

CONTRA JUDICIUM TEMERARIUM.

NOn ita pridem exposuit subiecitque conspectui nostro mentali scenam extremi judicij sancta Ecclesia. iterum hodie eandem repræsentat: *Cum venerit filius hominis in maiestate sua & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ & congregabuntur an-*

tur ante eum omnes gentes &c. Nimirum ſtudioſa ſalutis noſtræ Mater vult nos ſemper ultimi tribunalis memores eſſe: vult ut ſivè comedimus, ſivè bibimus, ſivè aliud quid facimus, ſemper tuba illa reſonet in auribus noſtris: *ſurgite mortui ad judicium.* Ad quid verò jugem hanc extremi examinis reminiſcentiam repoſcit à nobis Eccleſia? ſcilicet ut dum tempus eſt miſerendi, rogemus ne damnemur in tempore judicandi: utque omni ſtudio curemus, ne intret in judicium cum ſervis ſuis ille, coram quo non juſtificabitur omnis vivens. Et id quidem omnes deſideramus. vt verò etiam potiamur, compendioſam evadendi judicij extremi viam divino adiutus Numine demonſtrabo.

Statutum quidem omnibus hominibus eſt ſemel mori & poſt hoc judicium; verumtamen etiam iſta univerſalis regula ſuam in ſacris literis habet exceptionem. Matthæi 7. ait Chriſtus: *Nolite judicare & non judicabimini.* Verba hæc Salvatoris noſtri aperta ſunt, ipſa tamen eorum planities altiſſima eſt nec proinde abſq; diligenti trutina tranſcurrenda. Non omne hoc loco inhibetur judicium. Qui enim ore ſuo ſacratiſſimo loqui dignatus eſt: *nolite judicare,* idem Deutoronomij 16. juſſit conſtitui judices & magiſtros in omnibus portis ad iudicandum populum juſto judicio. Ad antiquum chaos & quoddam confuſionis barathrum redirent omnia ſi è mundo judicium excederet. Juſtitia & judicium firmamentum eſt orbis; per hoc prĕmia juſtis, pænæ ſceleratis decernuntur; per hoc unuſquiſque in ſuorum uſu & dominio conſervatur bonorū; per hoc injuria omnis aut arcetur aut vindicatur. Quale igitur judicium vetat Dominus? Variæ ſunt ſanctorum Patrum intelligentiæ, quas refert & ſequitur Doctor Angelicus 2. 2. q. 60. S. Chryſoſtomus autumat mandato hoc dominico prohiberi judicium quod non fit ex benevolentia, ſed ex amaritudine animi. Sanctus Hilarius arbitratur prohiberi judicium de rebus divinis utpote quæ cum ſint ſupra nos, ſimpliciter crĕdi debent non dijudicari. Divus Auguſtinus lib: de ſermone Domini in monte, aſſerit prĕcepto memorato vetari judicium temerarium quod eſt de intentione cordis aut de alijs incertis. Et in hanc Præſulis Hipponenſis ſententiam alij ſancti Patres conſpirant, potiſſimā principemque prohibitionis Chriſti Domini hanc eſſe intelligentiam affirmantes. Dominus itaq; noſter ſuaviter fortiterque diſponens omnia, qui nihil ad proſecutionem fugamvè propoſuit nobis quin ſimul & prĕmium promiſerit, judicij extremi reatum nos evaſuros pollicetur, ſi modò à judicijs temerarijs abſtineamus. Magnifica profectò merces atq; omnibus expetenda votis! Rigor judicij divini cunctorum ſuperat tribunalium humanorum ſeveritatem: evademus, ſi quod minimum eſt, virgam cenſoriam in alios parcamus aſſumere, & univerſorum geſta divinæ bilanci relinquamus. Felix equidem ac terque quaterque beatus qui non judicat quenquam, qui nullius ſceleris condemnat alterum, ſuorum tantummodo rigidus ſubtiliſque æſtimator operum. Narrant memoriæ literis mandatæ quendam in agone vitæ conſtitutum ſerenā jacuiſſe facie, fronteque exporrecta quaſi non moriendi, ſed tripudiandi inſtaret hora feſtiviſſimum fuiſſe. Rogatus cauſam lætitiæ, recordor inquit Chriſtum promiſiſſe: non judicabimini ſi non judicaveritis; mĕ porro non memini alicuius vitam ad proprij cenſuram traxiſſe examinis, hæc mei cauſa gaudij. ſicque lætus non ad judicem iratum, ſed ad

Quale judiciū prohibetur à Chriſto Dño.

Patrem placatum hæreditatem æternæ beatitudinis recepturus migravit. E regione tremendum manet eos judicium, qui sibi in discutiendis alienis moribus partes justitiæ divinæ arrogant. Apocalyp: 6. *Vidi*, inquit beatus Joannes, *& ecce equus niger & qui sedebat super eum habebat stateram in manu sua.* Sicut per albos equos in scripturis intelliguntur Angeli boni, ita per nigros mali. Statera significat judicium seu æstimationem. Porro hîc statera in perversum accipitur, de qua scilicet illud: *Statera dolosa abominabilis Domino.* Sessores igitur dæmonis sunt omnes illi, qui tenet stateram judicij callidi & injuriosi in manu sua in qua appendunt mores actiones gressus & progressus alienos, judicantes, taxantes, criminantes proximum suum. Profectò hi dæmonis dorso ceu vehiculo insident Neqúe aliò ut reor vehuntur nisi ad terribile Dei tribunal: ab hoc demum ad stagna infernalia igne & sulfure redundantia deportandi. Dicitur in eodem Apocalyp: loco ad præfatum equitem: *Vinum & oleum ne læseris.* hoc est, neq; doctrinam neq; vitam alterius sive illa sit acrior ut vinum, sive mitior ut oleum, contemnas damnesve. per quod critici Deo exosi commonentur ut si nolint nigris veredis ad sedem judiciariam Christi proficisci, parcant alienæ doctrinæ estò hæc æquo rigidior aut æquo placidior videatur; parcant alienis moribus sive hi vini asperitatem, sive certè olei mentiantur lenitatem.

Hîc, quod in omni sacra lectione & meditatione sanctæ faciunt animæ, nos ipsos introspiciamus. Generalis est & qui mundum corrupit universum, judicij temerarij morbus. Latissimè inter Christianos serpit, ut cum Hieronymo ad Asellam scribente exclamare debeam. *Proh nefas? homines Christiani prætermissa domorum suarum cura & proprij oculi trabe neglecta, in alieno festucam quærunt: lacerant sanctum propositum & remedium pœnæ suæ arbitrantur si nemo sit sanctus, si omnibus detrahatur, si turba sit pereuntium, si multitudo peccantium.* In generali hac invectiva oratione utinam Regulares non comprehenderentur! Sed & horum non pauci negligunt domorum suarum hoc est conscientiarum suarum curam & alienas stulto rimantur examine: trabem in oculo suo non videntes, festucam in alieno contra Salvatoris monitum considerant: cæci sunt ad perspiciendos nævos proprios, & aliorum defectus lynceo aut aquilino visu lustrant, curiosi ad cognoscendam vitam alienam, tædiosi ad corrigendam suam. In horum persona confitetur aut veriùs conqueritur sacri nominis orator: *De cavernis cellularum damnamus Orbem. In sacco & cinere volutati de Episcopis ferimus sententiam;* quasi scilicet perversæ eorum censuræ non sufficiant contubernales, ut illam, ad ipsa quoque Ecclesiæ columina extendant. Pannonius cantici Salomonis versiculum: *Oculi tui columbarum*, commentatione sua edisserens, per oculos in corpore Ecclesiæ promicantes intelligit Prælatos, Doctores, Judices. *Hi enim & futura prævident & præsentia dijudicant & quæ mala sunt, toti corpori cavent.* Post quam expositionem digreditur ad judices temerarios perstringendos: *Multi*, inquit ille, *non habent officium ex promotione sed usurpant præsumptione. Quem dabis mihi nunc ex omni numero discipulorum, qui Prælatorum opera penes se velut quodam in tribunali sedens non dijudicet, non carpat, non arguat, non castiget! Isti non possunt esse oculi membrorum, sed*

sunt

oculi oculorum. O magna confusio officiorum, gravissima præsumptio animorum? Non ex theoria, sed ex praxi & experientia locutus hic sanctus Doctor. Quippe probavit ipse in Romani nostri regimine monasterij aliorumvè, totum studium quorumdam subditorum circa taxationem suorum potissimè Superiorum occupari.

Ea est pessima multorum depravatio quòd ut bene de te sentiant loquanturvè, nullis efficere possis moribus. Sis vera bonus simplicitate, sis recti honestique custos & cultor, vites omnem obscęni de te rumoris fabulam: illorum nihilominus sententiâ versipellis es, impostor es, lubricus es. O invidia primùm mordax tui! o calliditas Sathanæ semper sancta persequens? Malignos forsitan commatis huius putet quispiam homines, ego miseros credo ut quibus placet nemo. Palpum nonnunquam tibi obtrudunt, mulcent laudibus & adulationibus: at si à tergo sequentes subitò respicias, agnosces quid de te sentiant deprehendesque aut ciconiarum colla post te curvari, aut manibus auriculas agitari asini, aut æstuantem canis protendi linguam. Nimirum ad sannas procliues sunt, qui furtiva censorum judicumvè authoritate intumescunt: & quos volunt ac quomodo volunt, notant atque è Senatu bonorum doctorumvè excludunt.

Exurget hìs aliquis illud intonãs: suspitionib9 cùm ad tentationes humanas spectent, vita nostra nequaquã carere potest; nec per eas tanta cuipiã infertur injuria ut morte pianda sit. Fateor lubens suspicionem, quæ est mala opinio ex levibus procedens indicijs, esto semper vitiosa sit, non semper tamen mortiferam esse: sed si erumpat in judicium ut ex mera suspicione levibusque indicijs nefastum de quopiam formetur mentis decretum, grande peccatum constituitur, ubi materia adest gravis; multò magis quando interius judicium erumpit in actus iniuriosos exteriores: ut in verba, sonos, gestusque famæ alienæ læsivos. Notanda hìc diligenter & memoriæ imprimenda doctrina illa Angelica: *Quia justitia & injustitia est circa exteriores operationes, tunc judicium suspiciosum directe ad injustitiam pertinet quando ad actum exteriorem procedit & tunc est peccatum mortale; judicium autem interius pertinet ad injustitiam secundum quod comparatur ad judicium exterius velut actus interior ad exteriorem sicut exempli gratia concupiscentia ad fornicationem, ira ad homicidium.* Idem est dicere: Judicium pravũ in actum exteriorem deductum, merissima & consummata injustitia est; judicium autẽ solùm internè factum, quasi ex obliquo reducitur ad injustitiam. Vide hinc gravitatem judicij interioris per verba iniuriosa foras ex animo prodeuntis: Vide inquam & pensa quem merueris rigorem divini judicij, qui sedens non tantùm in mente fratrem criminaris, sed etiam in evidens testimonium interioris æstimationis, adversùs eum loqueris & adversus filium matris tuæ ponis scandalum!

In dubijs, actiones alienæ semper æqui boniq; accipiendæ.

Nec tibi blandiaris licitum esse in dubijs alterutram partem sequi & dum adest ambigendi ratio, sive bonam sive malam de altero existimationem habere. Non inquam blandiaris tibi. quia ubi non apparent manifesta indicia de malitia alicuius, tenemur eum ut bonum habere, in meliorem partem interpretando quod dubium est: aliàs ei injuriam & contemptum nostro supercilio irrogaremus quod nefas. Et quamvis in fauorabili atq; amica alienorum progressuum interpretatione errare

fallique contingat creberrimè, præstat nihilominus quòd quis frequenter exerret, habens bonam de aliquo malo homine opinionem, quàm quod rariùs fallatur habens finistram de recto proboque homine æstimationem; quia ex hoc injuria afflatur non item ex primo.

Interpretatio per modũ suppositionis.

Neque hic ego abnuo interpretationem quæ fit per modum suppositionis, semper in deteriorem partem debere fieri tunc quando cautela aut remedium malis seu nostris seu alienis adhibendum est. semper enim pro cautela & remedio id supponendum, quod est deterius; quia remedium maioris mali sanativum minori quoque malo multò felicius faciliusque mederi potest. Solum id contendo, interpretationem ambiguorum quæ fit definiendo & determinando, in judicio quidem rerum debere rebus ipsis ut sunt conformari; in judicio verò personarum in meliorem declinare partem. Et hæc regula quam bene in talibus cordis notari cupio, reddit nos justos in judicando & simul cautos prudentesque in cavendo, custodiendo, providendo. *Vi canonis istius*, ait Caietanus, *Prælati subditos ex dubijs factis non debent malitiæ arguere, aut punire, sed bonam de ijs opinionem, ut prius, habere: & tamen cautelas custodias & remedia adhibere ac si mali pro certo essent, cum ea nihilominus diligentia ne aliquid fiat quod famæ eorum deroget; hoc enim esset illos injuriari; quod semper in dubijs vitandum est.* Hæc ideo adduxi ne cuipiam scrupulus generetur ex non plena materiæ præsentis explicatione.

Medium modumque pestis huius evitandæ, quia tacito voto reposcitis, suggero. Fontibus obstructis siccatur alveus: avulso capite totũ emoritur corpus. Capita & fontes judicij ex suspicione proficiscẽtis triplici digessit distinctione S. Thomas. Primo quidem docet ex hoc sinistrã oriri æstimationem quòd aliquis ex seipso malus est. Hic enimvero nullo negotio de alijs malum opinatur juxta illud Eccl. 10. *In via stultus ambulans cum ipse sit insipiens omnes stultos reputat.* Et juxta illud Senecianum: *Malus animus omnia in malum vertit, etiam quæ optimi speciε venerunt.* Secundò ex hoc quòd quis non bene afficitur alteri. Qui namque contemnit vel odio habet alium aut irascitur seu invidet illi, ex modicis ac futilibus conjecturis prava de ipso in suo pingit capite: quia unusquisque faciliter id credit quod fieri exoptat. Tertio ex longa experientia. unde Philosophus in secundo Rhetoricorum habet, senes maximè esse suspiciosos eò quod multos variosque experti sint defectus. Hinc perspicis quòd universis iudicibus temerarijs non tam irascendum quàm potius commiserendum & condolendum sit, eo quòd suam ipsi producant & quasi digito monstrent malitiam, quòd indomitas passiones pravosque affectus in aliorum producant notitiam, dum alios judicant seipsos condemnantes.

Hi itaque fontes obstruendi. capita hæc resecanda ut in nobis malæ de alijs opinionis moriatur nunquam revicturum vitium. Malitia è nostro expungenda animo, virtutumq; ac totiùs justitiæ splendor procurandus: sic moribus proprijs alios metientes, de nomine quidquam perversi decernemus. Charitate fraternitatis invicẽ nostra jungenda pectora, bonaque & benevola affectio erga cęteros habenda: sic fiet, quòd omnes cretâ, neminem carbone notabimus. Quodsi in diebus vitæ nostræ processimus, multosque annos dextrâ computamus, quia quò

vita longior, eò mole peccatorum onerosior esse solet, nostra mala à nobis libranda & examinanda, aliena prætermittenda. In vitis Patrum eiusmodi narratur historia. Abbas quidam monachis vitam unius fratris eventilantibus ac carpentibus foras egressus implevit saccum arena, impletumque dorso imposuit; modicum insuper sabuli in sportulam parvam inijciens eamque in manu ante oculos tenens, sic saburratus ad concilium illud regressus rogatur quidnam facto illo subnotaret? respondit: culeus iste arena plenus meorum significat sarcinam peccatorum, quæ ne videam, in dorso gesto: canistrum, fratris illius designat culpas quas miserabilis ego ante oculos meos verso & solicita discussione recogito. Emendati fratres supersederunt ab illa crisi, neque inposterum ad condemnandum alienum vivendi modum faciles erant. Factum hoc senis prudentissimum etiam nos emendet, ut non aliorum manticam, sed nostram peram consideremus. Profectò in nobis inveniemus quòd arguamus, quòd castigemus, quod damnemus. sufficiamus itaque nos ipsi nobis. Ut de omnibus alijs judicemus, cuius hoc judicio meruimus? *Tecum habita & noris quàm sit tibi curta supellex*, monet Satyricus. Curtam supellectilem virtutum, ingentem vitiorum struem deprehendemus in meditullio nostri, si fodiamus parietem conscientiæ. Nos ipsos, (iterum iterumque pij monitoris officio cohortor,) nos inquam ipsos dijudicemus: cęteros Christo cui Pater omne judicium dedit, qui errare & falli nequit, & cui aperta nudaq; sunt abscondita cordis, relinquamus. Quis enimverò ego sum quis tu? ut alienum judicemus servum? *Periculosum est*, ait Hieronymus, *de servo alieno judicare nec facilis venia pravа dixisse de rectis*. Idem Asellam laudat quod è sua mente, etiam malos, bonos putaret. *Ante tribunal Christi omnes stabimus: ibi apparebit qua mente quis vixerit*. Errat, errat sępe humana mens in suis circa alienos mores decretis. Multorum inopinata virtus in judicio Dei coronabitur: multorum sperata pudicitia dehonestabitur. Ergo, quod monet Dominus, non judicemus & non judicabimur. Faciet Christus quod promisit, modò nos faciamus quod jussit.



CONTRA INJURIAS LINGVÆ.

Uti non omnis taciturnitas laudabilis: ita non omnis loquela damnabilis. Si perpetuum silentium & obstinatus tacendi animus nulla ex parte vituperio subiaceret, nunquam muti hominis linguam solvisset Christus. Erravit profectò ille qui dixit: *Nunquam tacuisse nocet, nocet esse locutum*. Sanavit mutum Salvator noster: solvit vinculum linguæ eius ut loqueretur rectè. *Solutum est*, inquit sacrum Evãgelium Dominicæ imminentis, *vinculum lingvæ eius, qui erat mutus & loquebatur rectè*. Illud proinde silentium, illa taciturnitas Christo placet laudemque meretur, quando linguam nostram fortibus constrictam

tenemus retinaculis, nec dimittimus nisi ad loquendum rectè. De silentio statis servando horis alibi: hìc ut locutio nostra recta sit, hoc est nemini nociva & injuriosa, non iudicis authoritate, sed patris officio commonebo.

Injuriæ verborum quot & quæ?

Injurias verborum 4. ponit Doctor Angelicus 2. 2. q. 71. Contumeliam, detractionem, susurrationem, maledictionem. quintam adjungit derisionem, à qua subsannatio non longo intervallo secernitur, nisi quòd irrisio fiat ore & cachinnis, subsannatio rugato naso. Contumeliam bellè depinges si dicas quòd sit dehonoratio alicuius per verba coram seu ad faciem prolata. Detractio, expressiùs, *denigratio famæ alienæ per occulta verba*, & susurratio quæ est *discordiæ inter amicos per verba itidem occulta seminatio*, pares alioquin & concordes, in eo diffident, quia detrahens intendit commaculare famam alienam verbis quæ clanculum profert, atque idcirco illa præcipuè mala effutire solet ex quibus promptum sit oriri infamationem aut saltem diminutionem famæ; susurro autem conatur amicitiam convellere ideoque ea contra alterum loquitur quæ possint animum audientis ab illo avertere. Quæ noxa harum gravior sit ex eo quod sequitur disces. Inter peccata quæ adversùs proximum commituntur, illud censetur gravius per quod maius nocumentum irrogatur alteri; nocumentum autem tanto maius reputatur, quãto maioris boni abrogativum est: in universis porrò externis bonis arcem tenet amicitia, quia *sine amicis nullus vivere potest* ut ait Philosophus 8. Ethicorum: & *Amico fideli nulla comparatio* Eccles. 6. Fama ipsa quæ per detractionem seu tollitur, seu minuitur, ad hoc necessaria ut per eam homo ad necessitudinem idoneus fiat. Honor etiam minus bonum est quàm amicitia: quia *præstat amari quàm honorari* ut habet Princeps Philosophorum loco citato. Susurratio ergo duobus memoratis supereminet vitijs. inde tamen illa suam non deperdunt nec minuunt nequitiam cùm furto æquiparentur. Quis enim, nisi scarabeo nigrior & omnium scelerum maculis notissimus & notatissimus sit, famã honoremq; minus amet quàm rem possessam? Maledictum vel maledictio, aliàs pronũciatio mali contra aliquem; vel imprecando, vel optãdo, & ipsa, si Apostolo fides, cęlestis regni exors, à recensitis pestibus in eo discrepat quòd per illas malum culpæ, per hanc malum pænæ & quidẽ imperativè vel imprecatoriè de altero enunciatur. De convitio reticui, quia ad contumeliam spectat, eandemque rem sub alio notat nomine; excepto quòd per hanc spirituales, per illud corporales exprobrentur defectus.

Quæ ipsarum gravior?

Inter bona externa quod majus.

Oris crimina quàm perniciosa.

Explicata oris crimina, jungendo illis turpem sermonem, quàm non modò narrantibus, se & auscultantibus perniciosa sunt, ex sacra clarebit scriptura. Apocalypsis 9. ad clangorem tubæ, quinti Angeli vidit beatus Joannes stellam de cælo cecidisse cui data est clavis putei abyssi, qua aperuit puteum abyssi, & ascendit fumus putei sicut fumus fornacis magnæ & obscuratus est sol & aër de fumo putei. & de fumo putei exierunt locustæ in terram. Stella hæc quam è cælo lapsam advertit Patmęus vates, Diabolus est ad quem illa dirigitur admiratio: *Quomodo cecidisti Lucifer?* Abyssus putei, sunt corda iniquorum hominum, tenebris errorum & immensitatibus nequitiarum plena; abyssus enim est quædam immensa profunditas cum obscuritate. Clavis putei abyssi est potestas aperiendi & claudendi impiorum ora & corda. Fumus, fuliginosa

liginosa ignis exhalatio, mysticè est improba doctrina, sermo nequam, atq; omnis prava locutio ad instar fumi interiorem perstringens imò excęcans hominem, privans spiraculo vitæ spiritualis, adurens, lædens, & in vertiginem ac circuitum peccandi inducens. Locustæ ex fumo progenitæ, sunt homines pessimi similes locustis, animalibus ventrosis & abominabilib9 virentia quæq; polluentibus & depascentibus. Sacramentum itaq; visionis istius in eo stat, quia Diabolus habet potestatem aperiendi & claudendi ora cordaq; impiorum: quia item quando diabolus reserat os impiorum, per os ex corde exeunt, tanquam fumus, nocentissima verba, convitia, detractiones, susurrationes, maledicta, lascivi sermones: quia insuper fumus hic pravi sermonis non modò obscurat solem justitiæ ne luceat malis malorum & narratoribus & auditoribus; sed etiam fatali partu progenerat locustas, hoc est homines sceleratos, ventri & libidini servientes, depascentes speciosa quæque, id est calumniantes detrahentes maledicentes & mordaci dicacitate seu famam seu vitam aliorum absumentes. Repeto quod dixi. *Cor impiorum abyssus est*. de qua illud Job: 28. *Abyssus dicit: Non est in me*, scilicet Deus per gratiam. Lingua & os puteus est. Dum itaq; audis quod hic vel ille ore infręni loquatur indecentia, quod obloquatur, quòd detrahat, quòd susurret, quòd maledicat: cogita linguam ipsius puteum esse, cuius clavem diabolus habet; cogita fumum esse nocentissimū locutionem talem & quidem fumū feracem locustarum. Ne appropies fumo huic: ne te inficiat, ne ex te locustam faciat. Imò verò nullius nostrum os, sit eiusmodi puteus, qui regatur à dęmone, qui vaporem nigrum exhalet generantem locustas, nec eas simplices at paratas in pręlium, armatas ira & verbis lethiferis. harpias dixeris omnia lacerantes & fędantes. Verùm fortasse, proh dolor, non pauci fumo oris nostri denigrantur, inficiuntur, deformantur. non pauca sermo noster scelesto producit partu aculeata monstra. Qui unquam per linguam nostram conversi? qui de perverso opere nostra increpatione correpti pœnitentiam egerunt, quis luxuriam ex nostra eruditione deseruit, quis avaritiam, quis superbiam declinavit? E contra quis nostris detractionibus non peior factus? quis maledictis non scandalisatus, quis lascivis non depravatus confabulationibus. Pacificus quispiam fuit, tuis verò susurrationibus factus est tumultuosus, rebellis, inquietus: locustam generasti. Bonam existimationem alter de proximo aut fratre aut superiore habuit, sed tuis artibus, tuis oblocutionibus eandem abiecit: locustam generasti. Pudicus modestusq; alter fuerat, sed tuo quà verbo quà exēplo frontem perfricuit: locustam generasti. Fęcundus equidem sermo est malorum: at fęcundus mali germinis, partúsque diabolici & talis qui nonnisi nocere sciat.

Quocirca ad colloquia prava vitanda frequens in sacris literis & earum tractatoribus ingeritur nobis admonitio. *Omnis enarratio tua sit in præceptis altissimi* Eccl: 9. De omni verbo otioso reddituros homines rationem, & pro uno verbo raha aut fatue, videlicet pro irrisorijs & probrosis dictis incurrendum judicij reatum prædixit Christus. Apostolus quoq; venenatas damnans collocutiones, secularem versum assumpsit fecitq; ecclesiasticum: *Corrumpunt bonos mores colloquia prava.* cuius jambici metrum dum verbum servat ex verbo, nequaquam expressit latina translatio. D. Hieronymus ad Demetriadem scribens: *Nihil*, ait, *aliud noverit lingua tua nisi Christum: nihil possit sonare nisi quod sanctum est.* Eiusdem est illud

in epistola ad Fabiolam: *Quidquid non ædificat audientes, in periculum vertitur loquentium.* Idem ad Nepotianũ inquit: *Cave ne aut linguã aut aures habeas pruriẽtes: id est ne aut ipse detrahas aut alios audias detrahẽtes.*

Sed esto excessẽt literarum monumenta, ipsa status Religiosi ac sacerdotalis dignitas postulat ut nonnisi ea loquamur quæ decent sanctos Dei; ut convitium, maledictum, criminis obiectus inter nos locum non habeat: ut immunditia omnis ne quidem nominetur in nobis. *Aut loquendum nobis est ut vestiti sumus aut vestiendum ut loquimur,* ait proximè citatus Doctor. Germanicè incedentes loquuntur germanicè: Polonicus habitus polonico quadrat idiomati; Gallus in suo nativo vestitu gallicè, Hispanus hispanicè, Anglus sermocinatur anglicè: deniq; omnis natio pro diversitate vestimentorum dialecto peculiari utitur. Senator quoque in toga sua de regni statu, miles in sago de castris, colonus in centone de agris disputat: miraculum igitur imò probrum fuerit, si religiosus in sua regulari epomide prophanas misceat confabulationes. Habitus sanctitatem & castimoniam pollicetur, tu scurrilibus dicteriis oblectaris? habitus pacis & charitatis fraternæ indicium est, tu criminationibus eam lædere festinas? monstrosa sane res, aliud foris indicare, aliud intus tenere.

Similitudines

Ex loquela cognoscitur cujas sit peregrinus: ex eructatione cibi aut potus cognoscitur qualitas esculenti aut poculenti indigesti: ex oris & labiorum scissura febris indicatur: ex errore campanæ deprehenditur interior horologii corruptio. Eò hæc tendunt, quòd nihil adeò nostram internam possit propalare dispositionem quemadmodum verba. Loquela nos manifestos facit. Ex ore quivis judicatur. Terrenus homo de terra, cælestis de cęlo loquitur. Eò inquam tendunt quòd quantumvis Angelico vestiamur ornatu, diabolos nihilominus prodit lingua diabolica: quantumvis ovium tegamur vestimento, lupos monstrat lupinus ululatus.

Ex musca elephantem fortassis alicui videor facere. Peccata enim oris levia censentur in quantum de facili ex lapsu linguæ proveniunt absque magna pręmeditatione. Unde & Jacobus Apostolus in sua canonica perfectum vocat, qui lingua non offendit. Accedit; quia eutrapeliæ ac jucunditatis est nonnunquam convitium proferre. Patienter obiectionem audivi: patienter quoque responsionem audiri posco. Fateor non esse piandum morte verbum quod de facili, absque animo lęsionis aut dehonorationis è nostro ore excidit: fateor eutrapeli esse sale jucundo, servata circũspectione supra personas locum & tempus, aliquẽ conspergere. Sed tenemur aliunde pręmeditari sermones nostros ne forte aut infamatorij sint aut scandalosi aut mordaces. *Diu,* monet Paulinus in Epistola ad Celantiã, *diu ante considera quid loquendum sit & adhuc tacens provide ne quid dixisse pæniteat. Verba tua ponderet cogitatio & linguæ officium animi libra dispenset.* Idem ut eò solidiorẽ suam faciat admonitionem, scripturam adducit: *Argentum & aurum tuum confla & verbis tuis facito stateram & frænos ori tuo rectos ne fortè labaris linguâ.* Multa similia apud sanctos Patres & Magistros spirituales pręsto sunt monita quæ congerere operæ pretium non existimo. Non tacebo tamen quòd exemplo suo Salvator noster pręviam locutioni deliberationem docere nos voluerit, quamvis linguâ nequiverit labi. Cant: 5. postquam sponsus magnificas sponsæ decantasset laudes, vicem reponens sponsa & laudem laude retribuens: *Guttur,* inquit, *tuum sicut vinum optimum dignum dilecto*

Ut rectè loquamur præmeditari debemus sermonem.

dilecto meo ad potandum labijsq; & dentibus eius ad ruminandum. Rogo quæ ista comparatio? Guttur est colli pars anterior per quam spiritus à pulmone ad os transmittitur: per eam quoque esculentis & poculentis iter natura patefacit: per eam insuper soni prodeunt. Vinū ergo traijcitur quidem per gutturis viam; at nullam penitus cum gutture videtur habere similitudinem. Clausum est hic mysterium: non intelligemus nisi Dominus aperiat & revelet. Quia è gutture cantus vocesque exeunt, sermo per guttur intelligitur; qui quidem vino confertur nec qualicunque, sed optimo & cuius frequenti inter compressa labia dentesque versatione insignis judicatur sapor. *Qua in re* (ait Pannonius) *prudentia sermonis sponsi ostenditur, qui scilicet nihil temerè, ut solent justi effutiat, sed verset intra semetipsum quid loqui debeat.* Scripturarum mos est quòd in capite Christo membra ipsa aut commendentur aut instituantur. In Christo itaque laudantur sancti quique multa in loquendo prudentiâ & circumspectione utentes. Nos insuper instruimur ne simus ad loquendum pręcipites; verùm dicenda ruminemus instar eorum qui pitissando gustant temetum, ne fortè insipida, fatua, & quorum mox pœniteat, effari contingat.

Quid, inquietis, tanta contentione vitia oris in hac nostræ congregationis concione dehortaris? quasi verò nos simus susurrones, detractores, contumeliosi, maledici? Si nobis hæc impingis crimina, temere de nobis judicas aut falsò supponis. Vocabula ipsa horum criminum detestamur, nedum malitiam eorum. Absit ut judicem ut supponam hæc de vobis: sed cupio, ne lingua universitas iniquitatis, malum inquietum, plena mortifero veneno in nobis suas exerat nequitias: ne lingua data nobis à Deo ad benedicendum in maledicta erumpat: ne organum laudis divinæ & eruditionis proximi vertamus in instrumentum malitiæ & iniuriarum: ne membrum illud nobilissimum voci formandæ dignoscendisque saporibus accommodatum, ad aspera & mordacia verba moveamus, cum Deus ideò ex carne totum non ex osse fieri voluerit ut per illud proferantur suavia. Verumtamen non justificemus nosmetipsos. Virtutisne quęso an vitij actio est quando dicta unius alteri referendo, unum contra alium commovemus, sicque alios inter se committimus, nonne ista susurratio est? quid sibi vult oratio illa: iste vel iste defert nos, & culpas nostras superiori manifestat: nonne ista charitatis convulsio est? quid sapit locutio illa qua defectus alienos alienis communicamus auribus: nonne ista detractio est?

Licetne verbis contumeliosis uti in correptionibus.


At dicetis mihi parabolam illam: *Medice cura teipsum.* Quoties à te acrioribus convitijs in objurgando perstricti sumus, cum tamen juxta scripturam *correptio mendax sit in via contumeliosi*, & juxta Caietanum in summam D. Thomæ, *prælatis abstinendum sit in objurgationibus à contumelijs ne subditi qui levius verbera quàm verba contumeliosa suscipiunt deteriores fiant non suscipientes disciplinam*: insuper juxta Tullium lib: de officijs, omnis animadversio & castigatio contumelia vacare debeat. Libens instructionem salutarem accipio. Paucula nihilominus in rem meam & Prælatorum omnium proferre liceat. Nonne Apostolus monet Episcopum ut arguat, obsecret, increpet: quatenus nihil proficiente uno transeat ad alium atque alium modum. Nonne & sancti acriùs perstringebant cæteros, ut Samuel Saulem: *stultè egisti.* Jo-

annes Pharisæos: *Genimina viperarum*. Christus Herodem: *dicite vulpi illi*. Nonne & regula D. Augustini dum necessitas disciplinæ compellit, dicere dura verba permittit præpositis. quod explicans Cælius noster ait: *Necesse est ut prælati aliquando juxta exigentiam causæ & peccantis conditionem ad reprimendos malos, duriùs increpationem faciant, qui forsitan si mitius agerent cum illis, non facilè corrigerentur*. Doctor quoque Angelicus affirmat licitum esse prælatis ut verberare causâ disciplinæ sic & verbum aliquod contumeliosum proferre. Hanc idcirco pro Superioribus adduxi defensionem ne forte quis ex nostris scandalum sumat objurgationibus. Cæterum quod in alijs vitupero, etiam in me condemno.

Proprijs depinxi vitia linguæ potissimùm injuriosâ coloribus: malitiam eorum digito quasi monstravi, malitiam inquam venenatarum feracem locustarum: ad cavenda pestifera verba quà scripturis qua auctoritate, quà status & vestimentorum nostrorum ratione invitavi: rectũ recta loquendi consilium per prodromam locutionis præmeditationem dedi: oppositionibus ut reor satisfeci: quid superest, nisi ut frænemus linguam nostram, si totum corpus fræno circumducere volumus, ut inquã ponamus custodiam ori nostro & ostium circumstantiæ labijs nostris, ne quando in contumelias honoris læsivas, in detractiones famæ alienæ hostes, in susurrationes charitatis & amicitiæ demolitrices, in maledicta, in derisiones, in scuriles lascivosquè sermones dividantur. Nec ea solùm cura incumbit nobis quatenus ipsi linguam nostram à lycambeo carmine & quibusvis virulentis compescamus verbis; sed insuper ne alienæ linguositati suffragemur auscultando. Tantæ sunt nequitiæ ut dixi crimina oris ut proferentem pariter & audientem uno velut rotatu gladij interimant. Quamvis non detrahas si detractorem audis, mortuus es: quamvis non convitiaris, si tamen libenter audis eum qui convitiorum plaustra in alium effundit, perijsti: quamvis non susurras, si susurroni ultro aures applicas, venenum intrò sumpsisti. Si charitas DEI & proximi cordi tibi est, fuge contumeliosum & detractorem qui *quælibet in* *Horatius.* *quemvis opprobria dicere sævus*. Fuge derisorem & subsannatorem de quo illud: *Nil præter nasum Tongilianus habet*. Fuge susurronem qui *Martialis.* Bioneis gaudens sermonibus & sale nigro etiam veteres amicitias conscindit. Fuge lascivum cui *absq; amore jocisq; nihil est jucundum*. Sic *Horatius.* fiet quòd & ipse loqueris rectè & alios similiter loqui facies. Finem dicendi facio apprecatione ex D. Hieronymo desumpta: Det nobis Christus *Ad Iulianum.* ut audiamus, ut taceamus, ut intelligamus & sic loquamur. Amen.



HYDRA



H Y D R A
SEPTEM CAPITUM GLADIO VERBI DIVINI IMPUGNATA.
SEU
SERMONES CLAUSTRALES CONTRA SEPTEM VITIA CAPITALIA.

CONTRA INANEM GLORIAM, AVARITIAM & LUXURIAM.

In renovatione votorũ de vitijs quæ opponuntur votis eſſẽtialibꝰ

MOdicam ex decantata nobis in natali Domini pace percipimus lętitiam. Jam verſa eſt cythara in luctum, pax in bellum commutata. Ecce enim ad arma undique concurritur, ſigna militaria explicantur obtundũtur aures tympanis, hebetantur gladiorũ fulgoribus oculi, ſonant claſſica itur in acres certaminũ curas, enſes deterſa rubigine novantur, tubæ clangunt, perſtrepunt litui, vexilla fluitant: ſcuta, loricas, miles capeſſit. Herodes crudelis natũ Salvatorem neci tradere geſtiens repentino motu undique fulmineas evocat turmas, in ferri amorem viros incendit & cum imbelli turba bellatores veteranos congredi jubet. Exclamat furioſa voce: *Satelles j, ferrum rape, perfunde cunas ſanguine.* Pridem, inquietis, peracta ſcena eſt tragici huius belli: pacata eſſe omnia: Herodes extinctus meritas crudelitatis luit pænas. Imò verò ferocior Herodes armatas ex erebo eduxit phalanges ut nos, ex quibus corpus Chriſti compaginatur, è medio tollat. Jngentem ſanè contra nos in arenam exſcivit exercitum quem in tres diviſit turmas: primæ præficere voluit ſuperbiam; ſed hæc officium detrectavit dum mavult Regina eſſe omnium vitiorum quàm certarum inferni copiarum gerere præfecturam. Jlli ergo maximè propinquam & ab ea immediatè procedentem inanem gloriam primæ cateruæ ductricem conſtituit: ſecundæ præfecit Avaritiam. tertiæ luxuriam. Eum ordinem præſcripſit ut dextrum cornu teneat inanis gloria: medium moderetur Avaritia: ſiniſtrum cornu regat luxuria. Actum de noſtra ſalute, niſi per fugam nobis proſpiciamus & fugientem in Ægyptum Chriſtum ipſi quoq; veloci curſu proſequamur. Ne verò perperam ſuadere videar fugam; quantum à probatiſſimis exploratoribus id eſt ſacris Doctoribus accepi, naturam malitiam vireſq; & arma triplicis iſtius hoſtis ab Herode Acheronteo in noſtram perniciem emiſſi, divino fretus auxilio ediſſeram.

Gloria quid?

A prima Chiliarcha nempe inani gloria meam ingredior narrationem. *Gloria*, ſecundum Oratorem Romanum, *eſt frequens de aliquo fama cum laude*. Secundum D. Ambroſium *eſt clara cum laude notitia.* Juxta Doct: Angelicum nomen gloriæ claritatem quandam ſignificat. Et quia id quod clarum eſt, à multis conſpici poteſt; ideo nomen gloriæ ſtrictè & propriè acceptum importat *manifeſtationem alicuius boni noſtri coram multis hominibus*. Sic explicata gloria, vana ſeu inanis fit: primo, ex parte rei de qua quis gloriam aucupatur, puta ſi res non ſit laude digna, quales ſunt univerſæ res caducæ & fragiles. Secundò ex parte eius à quo gloria quæritur, nimirum ex parte hominis cuius videlicet judicium ſemper eſt incertum ac inſtabile. Tertio ex parte illius

Vnde ſit vana 2. 2. q. 132. art. 1.

Mmmm ipſius

ipsius qui quærit gloriam dum videlicet claritatem nominis sui quam appetit, non refert in debitum finem hoc est ad honorem DEI vel salutem proximi. Hac inanitate tumens gloria vitiosè appetitur, quotiescunque appetitur, Psalte Regio contra ipsius amatores detonante: *Filij hominum usquequo gravi corde? ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendatium.*

Malitia vanæ gloriæ. Malitiam & robur ipsius ad nocendum nobis ex certissimis deduco testimonijs. S. Augustinus: *Quas*, inquit, *vires nocendi habeat humanæ gloriæ amor non sentit, nisi qui ei bellum indixerit quia etsi cuipiam facile est laudem non cupere dum negatur, difficile tamen est ea non delectari cum offertur.* Idem in confessionibus: *sermo ore procedens & facta quæ innotescunt hominibus habent tentationem periculosissimam ab amore laudis qui ad privatam quandam excellentiam contrahit & emendicata suffragia quærit.* S. Chrysostomus occultè eam ingredi asserit, & omnia quæ intus sunt in anima insensibiliter auferre Doctor Angelicus huius utriusque Patris expendens sententiam sic decidit: *Inanis gloria dicitur esse periculosa non tantum propter gravitatem sui, verùm etiã propterea quod sit dispositio ad gravia peccata: inquantũ videlicet per inanem gloriam redditur homo præsumptuosus & nimiùm de seipso confidens.* Tanta est malitia ipsius, ut licet plerumque non sit mortalis, vim nihilominus merendi vitam æternam adimat bonis operibus. Si corpus tuum combustioni traderes, si in frusta tyranni te concideret gladius; si linguis Angelicis laudes divinas personares studio inanis gloriæ, nihil egisti: mercedem de cælo non expectes. Cum auctoritate accipe rationem. Dicit enim Aquinas: *Nullus peccando meretur vitam æternam. Unde opus virtuosum amittit vim meritoriam cælestis beatitudinis si opus illud fiat propter inanem gloriam etiamsi hæc non sit peccatum mortiferum.*

S. Thomas ibidem art. 3. ad tertium.

Superbia non est peccatum Capitale sed inanis gloria. Ad vires nefariæ huius imperatricis cognoscendas, operæ pretium est videre quam secum in nostrum exitium ducit manum. Superbiam quidam ponunt inter vitia Capitalia: at rectiùs iuxta D. Gregorium in moralibus dicitur sceptrum tenere supra universos animæ morbos, habereque ex sententia Doctoris Angelici generalem quandam causalitatem supra cuncta vitia ideò quod fines omnium vitiorum ad finem superbiæ ordinentur. in omni enim crimine vitioque ex bono quod appetit, intendit homo consequi aliquam excellentiam & perfectionem. Non ergo superbia, sed ipsi maximè propinqua & proximè ab ipsa trahens originem inanis gloria, vitium Capitale censenda est. Maximè inquam propinqua: superbia namque est *appetitus excellentiæ propriæ inordinatus. hæc autem est appetitus inordinatus manifestationis excellentiæ propriæ.* Porro ex vitioso amore huius manifestationis gignuntur.

Filiæ eius. Inobedientia, jactantia, hypocrisis, contentio, pertinacia, discordia & novitatum præsumptio.

p. 2. q. 132. art: 2. Dupliciter namq; progreditur aliquis ad ingerendum oculis alienis fulgorem suum: directè ut aiunt Theologi ac indirectè & quasi obliquo tramite. priori modo ad clarificandos se procedentes utuntur verbis aut factis. si verbis, *jactantia est;* si factis, facta illa aut habent admirationem aliquam sibi annexam, & fit *novitatum præsumptio*, aut certè facta illa falsa & conficta sunt ideoq; *hypocrisim* progenerant. modo posteriori ad celebrandum nomen suum tendentes satagunt ostendere se

alijs

alijs non esse inferiores; quod quidem quadrupliciter evenire potest. Enimverò vel conatur quis demonstrare se non esse alio minorem quoad intellectum, & sic nascitur *pertinacia*, cum nimirum quis ita proprio inhæret sensui ut alienæ nolit credere cedereq; sententiæ; vel nititur patefacere se alteri non esse secundum quoad voluntatem, & hinc provenit *discordia* dum videlicet quis ita propositi sui tenax est ut ab eo discedere nolit funemq; contentiosum malit ducere quàm cum cæteris concordare; aut in locutione non vult quenquam sibi præferri, & hinc procreatur *contentio* per quam clamorosa voce inter alterutros litigatur & æquo gradu certamina concitantur, vel demum quoad factum, neminem sibi anteferri demonstrat, & tunc oritur *inobedientia*, per quam superioris negliguntur iussa. Et hinc vides ad manifestationem propriæ eminentiæ deservire pestes recensitas ideoq; rectissimè vocari filias inanis gloriæ. Mali seminis pessimum germen. Ex probitate sobolis rectitudinem agnosce parentis! His spectris inanis gloria debacchatur in universo mundo: hoc commilitio totum debellat Orbem. Multùm valet per inobedientiam, multum per iactantiam, multum per hypocrisim atq; singulatim accepta capita: quid verò si integram turmam aliquo immiserit? nulla ibi spes salutis, ruinæ patebunt omnia. Ipsa inobedientia potentissima est ad interimendum hominem: ipsa hypocrisis væ homini quem invaserit adducit: ipsa discordia sufficiens est hominem quin etiam integras domos & societates conturbare ac evertere: quid si iunctis viribus atq; armis omnes memoratæ bestiæ nos impetant. Horreo reminisci quot quantosve profligavit exercitus iste! illi perfectissimi Anachoritæ, illi Thaumaturgi viri ab his percussi ferentarijs, proh dolor, turpiter ceciderunt!

Quæres quibus armis atra hæc Tysiphone & ipsa contra nos depugnet & sui commilitones? sagittis contra nos agit, imò ipsa in acutissimam versa sagittam interiora nostra penetrat. Triangulum missilis teli ferrum etiam scutatos pedites, etiam loricatos equites sæpiùs perterebrat. Et inanis gloria quantumvis armatas sacra panopliâ configit mentes, ut nemo sit ab eius impetu de salute securus, nemo de integritate impavidus. Unde ille quoq; bellicosus & firmissimo gratiæ divinæ munitus umbone David, timuit sibi vehementer ac proinde humiliter oravit: *Libera me Domine à sagitta volante in die*: ubi nomine sagittæ inanem gloriam bonis operibus per diem designatis insidiantem intellexit. *Hæc vanitas*, inquit Didacus Stella de contemptu vanæ gloriæ tractans, *est sagitta meridiana procedens ex luce boni operis à qua cupiebat liberari Propheta.* *Cave* subdit idem *ne feriaris ab hac sagitta quæ secum adfert venenosam herbam.* Pharetrata sunt inanis gloriæ agmina, & sicut ipsa sagittandi peritissima ita perniciosam cohortem suo famulantem imperio venenatis armavit spiculis. Tertio Regum 22. cum Achab movisset bellum contra Syriam pro recuperatione Ramoth Galaad, in ipso conflictu vir quidam ex adversa parte in incertum sagittam jaciens, casu percussit Regem Israel & sauciavit letaliter. Multi sunt qui Syriam detracta syllabâ olim Assyriam dictam fuisse scribunt. Assyria porro sonat idem quod *insidiatrix*. Superbiæ & vanæ gloriæ typus merissimus, hæc enim bonorum operum maxima insidiatrix. Israeli, populo videlicet divino infensissima est, nec desistit tum per se tum per agmẽ suum vibrare adversùs eum jacula. Etiam in incertum sagittas dirigit ut

Arma inanis gloriæ.

obvios quosq; aut prosternat aut vulneret. Ea quidem felicitate pugnat ut vix inveniatur in mundo cui vulnus non inferat. Angelos percussos de cælo deiecit, nostros Protoparentes ictu mortifero læsit, & quod hominem in stuporem vertit, contra ipsum quoq; Salvatorem nostrum tetendit arcum suum dum ei præcipitium prodigiosum suasit; sed hic redijt in auctricem scelus & sagitta excussa suum confecit sagittarium. Quis non pertimescat sagittam hanc in die absq; intermissione volantem, si Principes cæli & terræ neci tradidit, si in nostrum quoq; Dominum ausa est casso licet eventu tendere! Sed iam ad enarrandam alterius Ducis malitiam & vires, me converto.

Nomen & natura avaritiæ. *2. 2. q. 118. art: 1.* AVARITIA ex vi nominis amorem sonat pecuniæ. Avarus enim dicitur quasi avidus æris. Unde & in græco idiomate *philargiria* hoc est argenti amor vocatur. Definitivè, est immoderatus appetitus habendi, intellige possessiones, nomine pecuniæ, à qua sumitur avaritiæ vocabulum, designatas. Omnes quippe res exteriores quæ veniunt in usum humanæ vitæ sub ratione boni utilis, nomine pecuniæ intelliguntur sub eodemq; respectu à philargiria concupiscuntur. *Hom: 29.* D. Chrysostomus Apellem se nobis exhibuit in effigianda informi specie Empusæ istius. Depinxit eam effigie hominis tetri horrendiq; cui caput sit partim canis, partim lupi, oculi ampli flammas de se quaquaversum eiaculantes, os antri instar latè diductum, in ore pro dentibus ancipites & acutissimi gladij, de lingua exerta fons scaturiens veneno lethali infectus, pro brachijs utrinq; extenduntur dracones qui ore hiant & aduncis unguibus omnia obvia rapiunt, manu utraque accensas gestat faces, venter & pectus inextingvibilibus flammis æstuat, denique pedes alati quibus quàm celerrimè quovis feratur & penetret. Bellè equidem & vivis adumbrata coloribus truculenta hæc bellua sangvinis nostri auida. Sed quia pictoribus quidlibet audendi semper fuit potestas, dubitet fortasse quispiam de veritate tabulæ nostris oculis penicillo Divi Chrysostomi subiectæ; ideo certiora & clariora ex testimonijs omnem suspicionem falsi excludentibus documenta affero.

Malitia eiusdem. PRIMUS qui exploratissimam habet Naturam malitiamque atrocissimæ huius Megæræ, offert se mihi B. Paulus Apostolus. Hic unicum illud de ea testatur. *Avaritia est jdolorum servitus.* Brevem hanc sed abstrusam enuntiationem quia obtusus ego & tam sermone quàm scientia imperitus intelligere non valeo, interpretes adeo qui eam mihi edisserant. *Non est tantùm* ait S. Hieronymus, *non est tantum in eo servitus idoli si quis duobus digitulis thura in bustum aræ jaciat aut haustum pateræ poculo fundat merum. Neget avaritiam esse idololatriam qui potest triginta argenteis Dominū venditum appellare iustitiam. Non fateatur fraudem idololatriam esse sed similis eorum qui in Actibus Apostolorum ex patrimonio suo partem pretij reservantes præsenti periere vindictâ.* Jta profecto est. at propositionis Apostolicæ rationem peto. S. Thomas ideò ait avaritiam comparari servituti idolorum quia sicut hæc subijcit hominem rebus creatis ad cultum, ita illa subijcit ijsdem ad usum ipsarum. Aurei oris Doctor prȩcavet non per hyperbolen sed verè & propriè memoratum Apostoli dictum capi debere: *Sicut enim Marti Veneri, Iovi* *In Epist: ad Ephes c. 5.* & alio quovis fictitio nomine appellatis idolis mactabantur victimæ, ita rebus exterioribus ut pecuinis pecunijs immolat philargiria non

iam ca

iam capras aut oves at animas rationales. Istæ mactationes ad aram avaritiæ fiunt. Nec saturatur, nisi utriusque & immolantis & immolati animam recipiat. Notate verba signate mysteria adeo effrenis in cædem hominum hæc impiè religiosa Dira ut uno quasi rotatu gladij & avarè rapientis & illius cui fit rapina animas immolet. Quando etenim ille cui fit rapina vel cui usura, atque anatocismus toties extortus lacunam in bonis fecerunt, quando inquam maledicit, quando conviciatur, quando indignatur; animus eius immedicabilibus afficitur plagis. Progreditur ulteriùs avaritiæ tyrannis. Enimverò non contenta spiritus iugulare, etiam sævit in corpora. Quot namque sunt qui propter immoderatum habendi affectum seipsos in præcipitia coniecerunt, laqueum gulæ applicuerunt, ensem per guttur aut pectus transegerunt hostiæ crudeles & inhumanæ! *Maledicta est avaritiæ ara*, exclamat idem Doctor. *Nam si ad illam simulacrorum aram accesseris, videbis eam caprinum aut bovinum olentem sanguinem*; ad istam verò si accesseris, humanum sanguinem videbis misere & crudeliter exhalantem. En perspicis quàm benigna hæc sit una Eumenidum infernalium ut quæ & animam & corpus interimat nulloque discrimine omnes homines insectetur! En cernis quemadmodum humano sanguine imò spirituum rationalium interfectione litat Dæmonijs.

Dices quod avaritia non omnes letaliter feriat ideoque non sit tantopere metuenda. Approbo dictum quia si non intantum crescit ut amor divitiarum præferatur charitati in Deum vel proximum, venialis erit. Verumtamen esto non omnes letifero ictu appetat omnibus tamen quos tangit, insanabile infligit vulnus. Siquidem avaritia ex mente Angelici Magistri habet insanabilitatem ex eo quod humana natura semper vergat in defectum, quò autem maior est defectus eo maior indigentia adminiculi exteriorum rerum, ac per consequens maior avaritiæ occasio. Hæc porro insanabilitas periculosiorem cæteris vitijs indicat philargiriam. *art: 5. ad Tertium.*

Vultis scire quem globum quos cuneos in stragem humanam ducat hæc inimicissima nostro capiti Alecto? Enarro. Philosophus qui ad me hac in parte instruendum sese mihi obtulit, Ethicorum 4to. dividit avaros in parcos, tenaces chimibiles, illiberales operationes operantes, de meretritio pastos, usurarios, aleatores, mortuorum spoliatores, & latrones. Parci sunt, qui dant parum, tenaces qui nihil: chimibiles, qui dant quidem, verùm cum magna difficultate, sicut chimini venditor de parvis magnam vim faciens: illiberales in operando, qui vilia & servilia opera exercent: usurarij qui lucrantur de eo quod gratis concedendum est, cùm ex mutuo, & collybo rem augent propriam. Aliarum divisionum ut nomina ita significationes notæ. Ecce habes catafractos qui avaritiæ latus claudunt utrumque nec tamen in his agmen universum terminatur. A tergo eiusdem validum imminet robur ex filiabus suis conflatum, quæ recensente D. Gregorio sunt: *proditio, fraus, fallacia, perjuria, inquietudo, violentiæ & contra misericordiam obduratio*. Vel enim superfluus habendi amor excedit in retinendo, vel in accipiendo. si in primo excedat, nascitur obduratio contra misericordiam, ne videlicet viscera tua molliantur miseratione ad subveniendum egenis si verò in secundo, tunc aut in solo affectu persistit ex- *Species avarorum quot? Quot & quæ filiæ avaritiæ.*

cessus & hic inquietudinem procreat dum curas superfluas ingerit aut in effectum deducitur, & tunc avarus adhibet vim ad aliena rapienda, & per hoc committitur violentia; aut certè adhibet dolum atque ubi aperta machinatione nocere haud quivit, cuniculis agit. Dolus porrò struitur sive in verbis sive in opere: per lingvam, si attestatione simplici & absque iureiurando concinnetur, fallacia est; si ad compositas verborum insidias accedat iuramentum, periurium perpetratur. Dolus in opere fraus est dum in rebus fit: proditio, dum in personis. Monstrosum hūc cæcæ divitiarum cupidinis partum distycho complexus quidam.

Nunquam fraude caret, semper mentitur avarus:

Ovenus. *Erga inopes surdus, ferrea corda gerit.*

Hi sunt sacrilegæ famis fructus, hæ ex cupiditatis sinu velut ex utero equi Troiani in cladem hominum effusæ natæ, hæ auxiliares copiæ avaritiei tanto fideliores quanto propinquiores. Auratos olim argentatosque milites in castris meruisse scribit Livius. Singulos, quos recensui philargiriæ hoplomachos, auratos argentatosque rectè dixeris quòd singuli auri argentique amore exæstuent. Gladio, ut claret ex dictis, nos impugnant, iam cæsim iam punctim vulnerantes & interimentes. Gladius in sacris literis si in bonam partem capiatur, verbum Dei est, aut certè districtum Dei judicium; si in malam, denotat verba dolosa, mendacia, fraudulenta, & specie officij atque amicitiæ hostilitatem velantia, quibus dum avari frequentissimè utuntur & suas & alienas occidunt animas. *Os enim quod mentitur occidit animam.* Heu me quot hominum myriadas mucrones versatiles avaritiæ vorarunt quot cupidorum animæ in victimam dæmonijs cesserunt micantibus mendaciorum, periuriorum, fraudulentiarum percussæ gladijs pereuntes pariter & perimentes! Acham, Gesi, Iudas, Ananias, & Saphira, Dives Evangelicus, dum quod avaritia dictavit agunt, miserimè egerunt animam. Non memoro cassa Religiosorum proprietatis amatorum nomina quibus paupertatis professio, avaritiæ occasio est, qui artibus & negotiationibus mundanis carere nolunt, non victum & vestitum, quod Apostolus præcepit, sed maiora quam sæculi homines emolumenta sectantes. *Et prius quidem ab ædilibus, vendentium coërcebatur rabies nec erat impune peccatum: nunc autem sub religionis titulo exercentur in iusta compendia: & honor nominis Christiani fraudem magis facit quàm patitur: quodq; pudet dicere sed necesse est ut saltem sic ad nostrum erubescamus dedecus, contra omnium opinionem plenis sacculis morimur divites qui quasi pauperes viximus.* Non memoro eos qui si prælationis gradum teneant, non providos dispensatores sed sollicitos custodes agunt incubando *gazæ ut magnus draco quem canunt Poëtæ custodem scythici fuisse luci*, ideoque dutiora silice pectora & ad miserendum subveniendumvè necessitati fraternæ inflexibilia gerunt: si inferioris ministerij consistant loco, plerumque impudenter petunt quod recondant, aut undequaque oblata celant, fraudibus, fallacijs, mendacijs alijsvè philargiriæ appenditijs fidem sibi ad ocultandum quod clanculum servarunt facientes. Ex his equidem non una diabolo sacrificatur hecatambe! Jam ad agmen tertium cum duce eiusdem lustrandum necnon describendum descendo.

LUXURIA in ampliori significatione superfluitatem & exuberantiam quam-

Arma avaritiæ.

S. Hieron. ad Rusticum.

Horatius.

Quid nominis & rei luxuria.

am quamcunque denotat, ut non modò in voluptates inhoneſtas verùm & in molliorem veſtitum lautioreſque epulas profuſio, luxuria vocetur: Imò plantæ quoque & agri luxuriare dicuntur, illæ cum nimia ſucci ubertate quodammodo laſciviunt ramos ſarmentaque iuſto plura emittentes; hi cum abunde ſtercorati ſupra modum feraces evadunt. Ingenia quoque luxuriantia appellantur quæ cum exceſſu quodam in rerum vagantur cognitione. Strictè autem & in propria ſignificatione eſt & definitur eſſe inordinatus delectationum venerearum appetitus cuius exitialia mala proclive eſt è Sanctis Patribus diſcere & monſtrare.

Sanctus Auguſtinus lib: 1. Soliloquiorum *nihil* ait *eſſe ſentio quod magis deijciat ex acre animum virilem quàm blandimenta fœminæ, corporumq; contactus*. Iſidorus de ſummo bono, *magis*, inquit, *per luxuriam carnis ſubditur diabolo genus humanum quàm per aliud quodcunq; peccatum*. Doctor Angelicus deducit quod ſit radix & cauſa deſperationis. Porro deſperatio quantum ſit malum, vel illud unicum docere poteſt effatum: *Perpetrare flagitium aliquod, mors eſt animæ: deſperare, eſt deſcendere in infernum.*

Enormitas luxuriæ.

1. 2. q. 20. art: 4.

Iſidorus de ſummo bono.

Jſta quoque inferni herois numeroſum ac potentem adverſum nos in campum Martium producit militem quem ſi prima fronte inſpexeris, ridiculum putabis, ſi attentius conſideraveris formidabilem credes. Sex ſpeciebus ſtipata velut quibuſdam colonellis, ſingulis innumeram pravarum ſuggeſtionum multitudinem ducentibus, ipſa in medio progreditur, faſtu typhoq; turgens ob frequẽtia ex hominibus erecta trophæa. Fornicationem, adulterium, ſtuprum inceſtum, raptum, peccatum contra naturam, colonellos vocavi à colo nenda ſic dictos. tota ſiquidem pompa catervæ iſtius, muliebris eſt. in manibus pro armis Cytharæ: in pedibus pro cothurnis ſocci: pro ægide faſcia pectoralis pro ſago bombicina. Caput non caſſide ſed peplo premitur: ſcapulas non clypeus ſed analectides tegunt: denique muliebris quoad omnia figura atque ornatus, ut profedas putes alludentes, non hoſtes certamini præludentes. Verùm quo blandiores, ſunt, eò crudeliores. Tranquillitas iſta, tempeſtas eſt. Riſus iſte, Sardonicus eſt. Per has ad laſciviam provocantes Madianitides incautus populus Dei debellatur. Syrenes iſtæ ubi aditum ſibi paraverint, in ſęviſſimas mutabuntur Harpias. *Quis cladem totius mundi, quis funera fando explicet* quæ Amazonides iſtæ ad ſpeciem hilares & blandæ procrearunt. A tergo ſequitur agmen quod ipſamet, luxuria ſceleſto effudit partu. Nec imbellis progenies bellicoſę ferociſque matris. Cæcitas mentis, inconſideratio, pręcipitantia, inconſtantia, amor ſui, odium DEI, amor pręſentis ſæculi, horror futuri, fętus ſunt invenuſtæ veneris. Indubitatum namque eſt quòd quando inferiores, hominis potentiæ, nimium occupantur circa obiecta ſua, ſuperiores quæ ſunt ratio & voluntas, languent imò impediuntur aut deordinantur in ſuis actibus peragendis. Cum igitur concupiſcentia afficitur & immergitur delectationibus, neceſſe eſt tam rationem quàm voluntatem in ſuis prępediri ac interverti actionibus. Quatuor porro exercitia intellectus ſunt: videlicet, ſimplex intelligentia apprehendens aliquem finem ut bonum, conſilium de mediis ad finem requiſitis, judicium de agendo, & tandem pręceptum de exequendo. ex primi prępeditione conſequitur mentis cæcitas; ex ſecundi, pręcipitantia ſubtractionem importans conſilij; ex tertij defectu inconſideratio pullulat;

Species eiuſdem.

Filiæ eiuſdem

S. Gregorius.

S. Tho: 2. 2. q. 153.

Actus intellectus & voluntatis præpediuntur aut turbantur in homine, vi cõcupiſcentiæ.

ex quarti inconstantia. Voluntatis item cum sint duæ potissimę partes prosecutio finis & mediorum ad finem, in his per immersam lenocinijs concupiscentiam deordinatur, cum homo amori divino amorem suipsius & desiderio futuri sæculi dilectionem vitæ pręsentis præhabet stultus atque iniquus rerum æstimator: & hinc amor sui ac per oppositum, odium DEI; amor pręsentis sæculi ac per contrarium, odium & desperatio secuturi enascitur. Hoc agmen passu individuo præeuntem subsequitur luxuriam, ut hic Virgilianum illud usurpare possim.

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Pentesilea furens medijs in millibus ardet.

O quot millia hominum Pentesilea isthæc suis hisce profligavit cohortibus! Apocalypsis 9. *Vidi,* inquit B. Ioannes *Equos & qui sedebant super eos habebant loricas igneas hyacinthinas & sulphureas: & capita equorum erant tanquam capita Leonum: & de ore ipsorum procedebat ignis, fumus, & sulphur. Et ab his tribus plagis occisa est tertia pars hominum de igne & fumo & sulphure quæ procedebant ex ore ipsorum. Potestas equorum in ore eorum est & in cauda ipsorum. Nam caudæ ipsorum similes serpentibus habentes capita & in his nocent.* Equus in sacris Scripturis typus luxuriæ est. Unde Isaias luxuriosos vocat *equos hinnientes ad fæminas.* Per equos ergo à Patmęo Vate conspectos morali sensu intelliguntur species & filiæ Matris Cupidinum. Sessores sunt dæmones. quis enim alius igneis sulphureisque vestiretur loricis? Capita equorum sunt initia vitiorum carnalium. leonina dicuntur esse propter vim & fortitudinem magnam qua primo statim impetu adoriuntur homines. Ignis, concupiscentia est: fumus, denigratio famæ: sulphur, fætor vitæ quæ ex qualibet luxuriæ parte enascuntur, & velut ex ore exhalantur: potestatem habere & in ore & in caudis memorati dicuntur sonipedes, eò quod & primæ & postremæ species ac filiæ parem vim ad nocendum hominibus habeant. Per os enim seu caput idem quod primum; per caudam idem quod ultimum sacræ literæ significant juxta illud Isaiæ 9. *Et disperdet Dominus ab Israël Caput & caudam,* hoc est, primos & ultimos populi. Caudas equorum similes esse serpentibus audivimus: quia sicut serpentes sinuoso tractu proserpunt & ubi caput impresserint, statim toto corpore se involvunt: ita vitia carnis ubi caput suum hoc est initium ingesserint, mox integra illabuntur securèque ad pręcordia ludunt. Capitatas caudas monstra pręfata gestant: quia finis unius peccati, est principium alterius; & ubi species una desinit, incipit alia. Ab his ergo occisa est tertia pars hominum. Quibus armis? igne, fumo, sulphure. Imitatur nimirum Acherontea acies Bellonæ mundanæ in belligerando modum igne fumo & sulphure potissimum furentis. Quid enimverò non deijciant tormenta & catapultæ ignem fumumque evomentes, & jam grandinem plumbeam, jam saxa ponderosa ingentesque machinas virtute nitrati pulveris eijcientes? His armis instructa felicissimè imò infelicissimè grassatur in universo mundo ab ipsomet eius exordio. Igne suo ita incenderat Orbem universum ut incendium hoc diluvio restinguere debuerit DEUS: quinque civitates Sodomæ & Gomorrhæ in cinerem & favillam vertit: Sichem Civitatem concremavit: Amonem tabefecit & peremit: maritos Saræ occidit: Samsonem excœcavit: Davidem maximis affecit damnis: vetera hæc sunt, quid si

Arma eiusdē.

Crebra luxuriæ Victoria.

quid si daretur tibi sęvientis istius malitiæ videre victorias? videres totum mundum ardere flammis libidinum: videres totum mundum nihil aliud esse quàm Vesuvium flammis concupiscentiæ bullientem: & ut apertius loquar, cerneres mundum hunc esse sentinam voluptatum carnalium & ganeam libidini servientem. Vidit id interiori oculo B. Augustinus ideoque exclamavit: *Quanti & quales Episcopi & Clerici post confessionum ac victoriarum calcata certamenta, post magnalia & signa mirabilia usquequaq; monstrata, noscuntur ab hac peste superati? quantos Leones domuit una delicata infirmitas id est luxuria, quæ cum sit vilis ac misera de magnis prædam facit.* Quodsi contra vires & robur potentissimum prevaluit, quomodo mollis & duro capulo insueta manus eidem resistere valebit. Omnes nullo discrimine persequitur. Andabata est: clausis depugnat oculis. Non parcit juveni, non preterit senem. Etiam nimirum rugosa hircissat senectus. Legimus quippe in scholis pueri, & spirantia in plateis æra perspeximus, aliquem vix ossibus hærentem illicitis arsisse amoribus, & priùs vita caruisse quàm peste. *In serico & in pannis eadem libido dominatur: nec regum purpuras timet, nec mendicantium spernit squallorem.* Unde Toletus nulla alia ex causa plures ad infernum precipites agi arbitratur quàm ob luxuriam. Et B. Joannes *væ* intonat *execratis quoniam pars eorum in stagno ardenti*: ubi per *execratos* intelligit Pannonius eos qui naturæ injuriam in proprio corpore sui eviratione inferunt, aut quoquomodo innaturalia diverticula explendæ querunt libidini. Hos scripturæ sententia condemnat & cogit in stagnum ardens igne & sulphure, magna satis ratione: qui enim ad perversa desideria ex carnis fętore nunc ardent, dignum est ut postmodum igne & sulphure puniantur quatenus ex justa pœna condiscant quid ex injusto desiderio patrabant. O nimis formidandam fuco licet illitam luxuriæ faciem! O nimis metuendum eiusdem satellitium specie quidem abblandiens at revera ignes & fulmina eiaculans!

Sermone de verbis Dñi.

Hiero: ad Salvinam.

Apocalyp: 21.

Hęc sunt Herodis diaboli in nostram internecionem instructa armataque castra. Hi tres eiusdem Herodis duces cum suis signis. Duces hos si triarios infernales, ad quos res adversus mundum devenit, si tres furias ex Orco contra nos evocatas, si tres Gorgones sorores non fabuloso figmento, sed vera tyrannide truculentas, si demum tria Capita Tartarei Cerberi vocaveris, à vero minimè aberrasti. Naturam, malitiam, potentiamque horum ducum cum suo exercitu edisserui & fidis auribus fidelissimè exposui: restat aut scuto aut pedibus parare victoriam. Fuêre quidem multi ex Sanctis, qui tumultuarijs hisce semetipsos objiciebant satellitibus & aperto quasi Marte pugnabant cum ijsdem ut Augustinus cum fortissimo primipilo id est inani gloria dimicavit, quando errores corruptionesque animæ suæ toti evulgavit mundo; ut cum avaritia decertant illi, qui ex facultatibus suis ædificant atque adornant Ecclesias nec minorem circa viva Dei templa curam gerunt qualem fuisse Fabiolam D. Hieronymus insigni testatur panegyri; ut cum luxuria noster pugnavit Andreas Tablerus, qui ad nefas solicitatus faciem venustiorem fœdè conspurcavit tam feliciter ut eo stratagemate ad fidem converterit procacem solicitatricem erroribus Luteri implicatam. Tutior nihilominus per fugam victoria. *Si fugero, gladium devitavi: si stetero, aut vincendum mihi aut cadendum est; quid autem necesse est* in cer-

In Epitaphio Fabiolæ.

In fragmine panis lib: 2.

Contra Vigilantium.

incerta sequi, certa dimittere. quod non solum de libidine, sed etiam de avaritia atque alijs vitijs quæ vitantur solitudine, ut est inanis gloria, intelligendum monet Doctor maximus. Suadet fugam & scriptura: *fuge*, inquit, *dilecte mi assimilare Capreæ & hinnulo Cervorum*.
Cant: ultimo.
Cervi & capreæ timidum animal non opponunt se venatoribus, suisque hostibus, sed pedibus salutem quærunt, in quo assimilari nos ijsdem necesse. Albertus secundus Imperator in numismatibus curabat sculpi signum militare contra quod hastilia oblonga ferratis cuspidibus acuminata dirigebantur. pone aderat epigraphe: *fuga victoriam nescit*. Refert id, at non approbat Typotius, satiusque id boni ominis quàm veri nominis causâ dictum scriptumvè putat. Nec ego approbo, fugamque non ignominiosam, sed victoriosam in prælio spirituali autumo. Imitemur itaque Christum Dominum: fugiamus Herodis Acherontei furorem, fugiamus emissarios eius, id est omnem memoratorum vitiorum subterfugiamus occasionem. Et quoniam etiam fugientes effrenata hostium nostrorum insectatur rabies; si fortè nos adoriantur tunc, exertis pugnemus brachijs, tunc toto lacertorum conatu resistamus: ut qui paulò ante vertebamus terga, resistendo fortiter, ad fugam capessendam diabolum cum suis apparitoribus compellamus. Quod ipsum ne absque ratione monuisse videar, Doctoris Angelici adduco verba.
2. 2. q. 935. art. 1. ad 4.
Peccatum, inquit ille, *semper est fugiendum. Sed impugnatio peccati quandoq; est vincenda fugiendo ut cum perseverans cogitatio auget incentivum peccati quod fit in luxuria: quandoq; resistendo, cum nimirum cogitatio productior tollit peccati fomentum quod ex aliqua levi apprehensione provenerat.* Ut porro & celeriùs fugiamus & fortius repugnemus hostibus nostris, unicum obiter propono consilium. Sacramento militari nos obstringamus ad fidem servandam Duci nostro cuius militiæ auctorati sumus. & quòd nunquam in partes aut luxuriæ aut avaritiæ deflectemus præstemus juramentum, votum obedientiæ, cui superbia vel maximè opponitur, votum paupertatis per quod eliditur avaritia, votum castitatis per quod luxuria abjuratur emittendo aut potius semel emissum renovando. Igitur in Nomine Domini ad hocce accedamus juramentum.



CONTRA
GVLAM.

IN hoc sacro Quadragesimali tempore nihil frequentius auditum animumque nostrum pulsat quàm commonitio ad jejunium antepaschale ritè & rectè observandum. Quavis fermè die nos adinvicem exhortamur illo Ecclesiæ hymno: *Ex more docti mystico servemus hoc jejunium.* Quavis item die imploramus gratiam divinam ut idem jejunium quod animabus corporibusque curandis salubriter institutum est, devoto celebremus servitio. Et id quidem suffecerat exstimulandis nobis;

nobis; quia tamen mens noſtra cito tepeſcit, & fragilitate carnis auſterior obſervantia relaxatur: ne quid deſit officio meo, ego quoq; ſtimulos addam ad ſacram hanc exercitationem debitè peragendam & devotè. Non autem hìc prędicabo jejunium, cuius nimirum crebra & copioſa pręconia hucuſque in divino Officio legimus, ſed gulam damnabo. Quantum enim boni virtus habeat, vitia demonſtrant; clariuſq; ſit lumen comparatione tenebrarum.

Gula quid & unde gravitatem habet?

Gula, inordinatus edendi ac bibendi appetitus, non ex materia neque ex delinquentis perſona (cuivis enim ingenita eſt cibum potumque ſumendi neceſſitas ad quotidianam corporis ruinam reſtaurandam) ſed ex effectibus ſuis & rivulis perpetua ſcaturigine à proprio fonte manantibus derivat gravitatem. Quod enim à Sanctis Patribus dicitur *dominante gulæ vitio perdi totum id quidquid homines fortiter egerunt, & dum venter non reſtringitur virtutes omnes obrui,* id ita intelligendum eſſe docet Divus Thomas quod gula virtutes auferat non tam per ſe quam per vitia quæ ex ipſa oriuntur. Hęc porro vitia à B. Gregorio lib. 31. Moralium numerantur: *Inepta lætitia, ſcurrilitas, immunditia, multiloquium, & hebetudo mentis circa intelligentiam.* Omnia hęc velut rivi ex alveo aluoq; ingluviei prodierunt. Enimverò ex immoderatione cibi potuſvè gignitur in anima primùm hebetudo mentis circa intelligentiam, propter fumoſitates ex ventriculo infarcinato aſcendentes cerebrumque obfuſcantes. Unde Hieronymus Sabiniano Diacono, qui velut victima in propriam mortem ſaginabatur, ne quidem comędorum & lyricorum ſcripta mimorumque & Lentulorum præ nimia cordis hebetudine intelligenda concedit. Guloſus quiſque piſtillo retuſior eſt, minuſque ſapit ſcriptoribus dithyrambicis. Gignitur itē inepta lętitia, propter appetitus humani depravationem ſopito rationis gubernaculo. Dum namque ligatur ratio, paſſiones pręvalent ac efferantur quæ ad lętitiam aut triſtitiam vel maximè trahunt. Hinc illa temulentorum intempeſtiva gaudia, choreæ, cantus, tripudia varijq; illepidi & inſulſi lepores. Gignitur inſuper ſcurrilitas hoc eſt ſtulta jocularitas quæ riſum movere ſolet: quia ob immoderationem memoratam deficiente rationis gubernio, actus geſtuſque exteriores maturitatis & modeſtiæ terminos egrediuntur ut inconditos cachinnos excitent. Quare communis fert paremia, *vinum carere clavo,* id eſt ebrietatem nihil conſulte nihilque moderatè facere. Siquidem per eam opprimitur ratio quæ clavi inſtar ſobrios moderatur & gubernat. Tandem gignitur multiloquium, quia dum deficit rationis poteſtas & uſus, lingua liberiùs vagari incipit. Recte Herodotus: *Subſidente vino ſupernatant verba.* Et Plautus: *Quando ſaburrati ſumus, largiloqui ſumus.* Sobrios namque aut metus aut pudor cohibet ne proferant ea quæ judicium reticenda dictat: at temulentia & timorem abigit, & pudorem diſcutit. Inde fit quòd etiam ij, qui ad loquendum inſtar Grunnij teſtudineo incedunt paſſu & ſingultire magis quàm proloqui videntur, ſi meraciore ac largiore potu incaleſcant, garrulos obſtreperoſque ſe prębent ac inter phialas Carneadum more in utramque partem & pro juſtitia & contra juſtitiam philoſophantur. Hæ in anima depravationes ex gula rationis lucernam contenebrante eveniunt: in corpore autem immunditia & putida illuvies contingit dum innaturalis quarumcunque ſuperflu-

Filiæ gulæ quot & quæ?

ſtatum ſit excretio & prçcipuè titillantis humoris ex vertebra decidui emiſſio.

Species & motiva refrænandæ ventris concupiſcentiæ alibi obiter perſtricta. nec repetenda duxi quæ alio in loco vel ſtrictim poſita. Hic igitur non jam promiſcuè de edendi bibendique cupiditate, ſed de ſolo ſobrietati oppoſito vitio ſermonem perſequar ut quod & frequentius ſit & pernitioſius. quia, ut ait Aquinas, *etiam modicus exceſſus in potu inebriare valente multum lædit nam impedit uſum rationis magis quàm immoderatio in cibo.*

Ebrietas quid Eſt autem ebrietas, ſi nominis etymon ſpectes, exceſſus in menſura: bria enim menſuram ſignificat. Naturam ipſius Doctor Angelicus hac manifeſtam reddidit oratione: *Eſt inordinata concupiſcentia & uſus vini aut alterius potus inebriantis.* *Dæmonium.* Sancti Patres ebrietatem ſuis depingentes coloribus, paſſim eam vocant dæmonium, dæmonem blandum, dæmonem voluntarium; ut proinde ebrius omnis energumeno non ſit abſimilis. *Ebrius cõparatur dæmoniaco.* Et profectò nunquid non credes arreptitium eſſe, qui potu madidus eſt, ſi ſobria mente oculiſvè eum attenderis. Ineptiſſimè cachinnatur, vociferatur, ululat, malo obſeſſus genio: idem facit temulentus. Spumat arrepticius & plerumque immundas eijcit ex ore fçculentias: idem facit temulentus. Hinc Hieronymus acri ſale perſtringit Vigilantium eundemque Libero Patri aſſimilat propter ebrietatem & cantharum ex humeris dependentem ſemperq; rubentem faciem & ſpumantia labia. Agitat ſe arreptitius ut vix validis tenentium lacertis poſſit coërceri: & ebrius lymphati inſtar ſeſe huc illuc jactat ac hiſtrionum more nunc Herculem robuſtus oſtendit, nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelem. Riſum frequenter movet dçmoniacus jam geſticulationibus jam motibus dictiſvè ſcurrilibus: & potu plenus, ſcurrarum mores effingere ſolet, factiſque & effatis procacibus riſum excitat. Denique tali agitatore hoc eſt dçmone inſeſſus homo, quid aliud quàm quod dçmon coëgerit, lumine rationis obtenebrato operatur? motus, locutio, ſtatus, inceſſus, omnia dçmoniaca: ſimiliter & vino aut ſicera obrutus, excuſſo è ſede ſua judicij naturalis imperio, illud loquitur quod ad buccam ut vulgo dicitur venerit; illud cogitat quod imaginatio obtruſerit; illud facit quod paſſio compulerit. Mens, oculus, manus, vox, obliqua omnia. Inde vides quòd ſicut arbor fructum, ſicut ignis calorem, ſicut morbus imbecillitatem, denique, ſicut cauſa effectum; ita ebrietas omnia alia antecellit vitia: hçc enim dçmonis ſunt parturitiones; illa dçmon ipſe. Sed ex ſcriptura ſacra, quæ eſt firmamentum veritatis, mali de quo diſputo cognoſcamus enormitatem.

Scriptura cõtra ebrietatem. Primæ ad Corinth: 6. buccina Apoſtolica concrepat: *Neq; fornicarij, neq; idolis ſervientes, neq; molles, neq; maſculorum concubitores, neq; avari, neq; adulteri, neq; ebrioſi regnum Dei poſſidebunt.* Noſcitur ex ſocio, qui non cognoſcitur ex ſe. *Videte,* ait D. Auguſtinus, *ebrietatẽ cum prædictis vitijs jungi.* ac ſi diceret: quia cum prçdictis ſceleribus jungitur, non minoris reatus cenſenda eſt: & ſicut atrocia illa flagitia non habent hæreditatem in regno Chriſti & Dei; ita neque comes ipſorum in bibendo luxus. Quomodo jam parvum aut nullum eſt peccatum comeſſatio ut veſana ſuiſque nimium indulgens amoribus judicat opinio, ſi in tan-

ſi in tantorum flagitiorum cernitur choro, ſi adulterio & contranaturalibus facinoribus aſſociatur, ſi regni cęleſtis in quod nihil coinquinatum ſubintrat, denunciatur exſors utpotè immunditiæ mater. Et tamen tanta facilitate quin imo tanta infelicitate inebriant ſe homines, quia putant ebrietatem, aut parvum, aut nullum eſſe peccatum.

Haud levem cenſuerunt Apoſtoli ebrietatis malitiam, qui rigidam hanc reliquerunt ſanctionem: *Epiſcopus aut Presbyter, aut Diaconus aleæ vel ebrietati deſerviens, aut deſinat, aut deponatur. Subdiaconus autem, aut lector, aut Cantor, aut Laicus ſimilia faciens, aut deſinat, aut communione privetur.* Nec mirum ab Apoſtolis iſtam emanaſſe ſententiam cum etiam Philoſophus 3tiò Ethicorum ebrium mereri duplices maledictiones judicaverit. In Decretalibus quoque diſtinctione 35. ante omnia Clericis vetatur ebrietas quæ omnium vitiorum radix & nutrix eſt. Et particularia religionis noſtræ ſancita graves intentantia pœnas ac infamiæ ſupplicium, abominandam temulentiæ indicant enormitatem. Non conqueramur de lege, ſed doleamus quòd hanc legem meruerimus. Cauterium bonum eſt; quò tamen mihi vulnus ut indigeam cauterio! Provida ſeveraque legis tam communis quam particularis cautio: & tamen nec ſic noſtra refręnatur intemperantia. Per varias expoſitiones & ex noſtro profectas cerebro gloſſas legibus illudimus & quaſi maiora ſint ventris dęmoniſque imperia quàm Chriſti juſſa; illa facimus, hęc contemnimus. *Decreta.*

Si non terret ipſa ebrietatis turpitudo, ſi non terrent ſcripturarum Canonumque & ſcitorum particularium comminationes, ſaltem exempla ſalubri metu cor durum concutiant. Ne verò longum faciam, veteres alienaſque nolo replicare hiſtorias: unam duntaxat quæ in Religione noſtra geſta eſt narrabo fabulam. Frater quidam Converſus raro mentis ſuæ compos, quia raró ſobrius, non ſemel de vitandis meri calicibus tam pænis ſeverè quàm verbis comiter admonitus dum nec temperat, nec obtemperat, una noctium pocęnio largius hauſto ad cubandum progreſſus, diluculo ſequenti, intorta cervice ſubtus lecticam mortuus inventus eſt aſpectu tam horribili ut nonniſi à dęmone interemptus crederetur. profanoque deinde ſepulchro abſque ſolitis Chriſtianarum precum ſuffragijs intumulatus. Exemplum unius ſit doctrina omnium & alieno malo ſapiamus; ne ſimili morte madentem animam exhalemus ſiti rabida in gehennæ cruciandam incendio. *Exempla.* *Annales lib: 2 Cap: 34.*

Vetuſtas ingenioſorum commentorum magiſtra ebrietatem eiuſmodi ſimulacro effigiavit. Puerum pinxit cui facies muliebris, pectus nudum, frons cornibus aſperata, caput vitta ex vite coronatum, tygris vehiculum; Bachi nomen indiderunt Poëtæ. Qui vult edere nucleum, frangat nucem. Pariter ex figmentis Poëticis, qui utilitatem deſiderat capere, ſub cortice literæ latentes quęrat ſenſus. Pueri forma pingitur ebrietas: ebrius enim omnis repueraſcit & qui per ætatis dignitatem, cenſoriam in alios virgulam gerere deberet, ipſe ad nuces, ad nugas, ad gerras redit pueriles. Facie muliebri: quia è virilis & maſculæ mentis maturitate ad muliebrem deijcit mollitudinem. Pectore nudo; quia *nullum ſecretum, ubi regnat ebrietas.* Fronte cornuta: quia *addit cornua pauperi poſt ſe neq; apices Regum nec fera bella Ducum timenti.* Vite coronatur: ebrioſus enim in poculorum nocturnis diurniſque certami- *Hier oglyphicū*

nibus triumphare laborat, & in evacuandis calicibus ſuam commonſtrat fortitudinem. Tygride vehitur: fortè ideo geſtatricem hanc appinxit ebrietati antiquitas, quia *tumultuoſa res vinum* & inter pocula ſanguineæ ſuſcitantur rixæ. *Cui enim væ, cui ſuffoſſio oculorum, cui ſine cauſa vulnera: nonne his, qui commorantur in vino & ſtudent calicibus epotandis?* Propius acceſſero ad intelligentiam huius commenti ſi per tygridem, diabolum accepero. Hic namque ſæviſſima ac velociſſima bellua eſt portans unumquemque bibonem ad ſtagna infernalia igneis redundantia lacunis ut ibi ſatietur calido & ſicco, qui hic frigido humidoq; ſatiari non valuit imò non voluit. Revocate in memoriam quas audiſtis vel legiſtis hiſtorias & vera eſſe quæ dicuntur probabitis. Mercatoribus de immortalitate animæ inter cyathos ſtulta dicacitate confabulantibus apparuit inſtitoris habitu dæmon & cum uno eorum de anima licitatus & pactus; cumque ille qui venalem animam habuit, ſtipulato vino imò pretio animæ ſuæ jam eſſet plenus, raptus à diabolo eſt atq; in infernum aſportatus: dicite an non tygride vectus hic potator? Sedit ad multam noctem hilariſque frequentes epotabat amniſtides, *invẽtus manè eſt mortuus Andragoras:* dicite ſi non in tygride ad regna Acherontea equitavit? Alius dum Lapitharum more jurgia ſuſcitat, inter ſanguinem uvæ meraciſſimum, ſuum profudit ſanguinem: tygride vectus & hic: ut taceam de ijs, qui hemitrithæo, qui aqua intercute, qui phtiſi aut quocunque alio morbo conſumpti ſunt authrice corruptionis temulentiâ: ut item taceam de illis, qui præcipitio & lapſu cum Elpedoro colliduntur, ſinguli epitaphio ſequenti digni:

Non eſſet Nymphæ tam magna pericula paſſus,
Si potiùs veſtras ille bibiſſet aquas. — *Martialis.*

Oraculum eſt: *Propter crapulam multi perierunt.*

Sequuntur prolepſes. Aſſurgat hic aliquis & ad minuta leviaque peccata reducendam contendat ebrietatem, eò quod nequeamus diſcernere an potus in hac aut illa quantitate hauſtus, ſit nobis immoderatus & quòd ignoremus fortitudinem ipſius credamuſque non nociturum habitudini noſtræ. Aſſentior & ego, aut nullum aut leve delictum committi, ſi neſcientes vel prudenter æſtimantes non eſſe immodicam aut ſoporativam potionem reſpectu noſtri quam ſumimus, ab eadem abſorbeamur. Solumque eum peccati lethalis cum Doctore Angelico condemno, qui eſto bene noverit liquorem in ea quantitate acceptum eſſe ſibi exceſſivum atque inebriantem, nihilominus ſciens & volens ſeſe ingurgitat, ſicque periculo peccandi ſe exponit propter affectatam obtenebrationem capitis, uſuſq; rationis amiſſionem, quo ſolo fit ut homo declinet à malo & faciat bonum: qui porro periculo ſe exponit peccandi lethaliter, eo ipſo lethaliter peccat. *Ebrietas quia privat hominem uſu rationis, exponit eũdem periculo peccãdi mortiferè.* Aſſentior ut dixi libenſque concedo. ſed dic mihi quiſquis hac vana tibi blandiris argumentatione, quomodo poſſibile eſt ut non ſciens volenſq; ebrietatem incurras, non data opera te prives rationis uſu, qui crebro qui de die in diem Lyæo aut ſiligineo mades latice cuius potentiam toties expertus es, ſimulque tuam ad emotionem mentis habilitatem?

At nunquam me de ſtatu mentis per qualecunque inbibendo immoderamen dimotum memini, nunquam in beſtiam degeneravi: ſemper integram illæſamque retineo rationem. Si ita eſt, cur ergo lingua balbutit, cur oculi fumoſis repleti ſpiritibus cernere haud valent imò ve- *Ebrietatis effectus.*

rò du-

rò duplicata conſpiciunt obiecta & plerumque vorticoſa quædam & rotatilia ſe coram circumagi mirantur? cur manus per curvos ceræ tramites errantem ſtylum ducit, cur pedes nutant lapſantemque corporis molem vix queunt ſuſtentare? *Capite bene ſano omnes ſenſus vigent* ait Hieronymus. E converſò igitur ſi ſenſus languent ac deficiunt, ſi oculi non vigent puro lumine, ſi pedes non imprimunt certa veſtigia, ſi auditus non penetrabilis, ſi linguam ligârunt vincula, ſcito, te capite male ſano eſſe. Deinde ſi ſemper conſtas tibi ipſi, cur edormita crapulà de tuis factis dictiſque erubeſcis? Cur tibi ea libertas mane diſplicet, qua ſerò inter pocula regnabas? *Ad Paulinum*

Atqui ad hilaritatem neceſſe interdum liberaliorem hauſtum accipere. aliàs perpeti jejunio & abſtinentia, humore cellarum, ſolitudinis tędio, ac nimia lectione dum diebus ac noctibus auribus noſtris perſonamus, vertemur in melancholiam & Hypocratis fomentis indigebimus. Etiam hîc faveo. Ad jucunditatem vinum creatum eſt, cur itaque lętificandi cordis gratiâ non ſumatur? at caute parceque ſumendum. Tres botri è vite enaſcuntur: Primus neceſſitatis, ſecundus hilaritatis, tertius fatuitatis ſeu furoris. Videas velim ne à neceſſitatis ſubſidio ad hilaritatis lenocinium progrediens, ab hoc ad fatuitatem furoremque cum mero bibendum prolabaris. Et ne ſoli inebrianti calici virtutem exhilarandi falſa ineſſe putes opinione, dabo męroris depellendi conſilium ex Apoſtolo. *Nolite*, inquit ille, *inebriari vino in quo eſt luxuria, ſed impleamini Spiritu ſancto loquentes vobiſmetipſis in pſalmis & hymnis & cantionibus ſpiritualibus cantantes & pſallentes in corde veſtro Domino gratias agentes ſemper pro omnibus in nomine Domini noſtri* Iesu *Chriſti*. Quid eſt quod poſt dehortationem ebrietatis impleri ſuadet Spiritu ſancto Apoſtolus per ſpirituales concentus atque orationes? ſatius fortaſſe erat maiorque locutionis ordo atque cohęrentia ſi dehortatus crapulam, ſobrietatem atque jejunia dilaudaſſet. Sed eximia eſt in dictis Apoſtolicis rerum conſequentia & alterum pendet ex altero. Senſus verborum Apoſtoli eſt: ſi lętari vultis, ſi frontem exporrigere, ſi pulſis triſtitiæ nebulis animum ſerenare, non *generoſum & lene requiratis quod curas abigat quod cum ſpe divite manet in venas animumque veſtrum, quod verba miniſtret.* non vino vos impleatis verùm Spiritu ſancto, mero videlicet divino, quo repleti Apoſtoli, cum magnalia Dei perſonarent impavidi, muſto madere credebantur à perfidis. Actiones porrò ſeu exercitia in quibus debeatis impleri Spiritu ſancto ſunt pſalmi, orationes, gratiarum actiones. In his calix inebrians & pręclarus offertur: vinum ineffabili dulcedine atque jucunditate perfundens hominem propinatur: hîc modum excedere licet: hîc menſuram non ſervare conceditur: hîc inebriari geſtireque præ lętitia datur nobis potiſſimùm, qui in officio pſalmodiæ continui ſumus. *Vis*, inquit D. Chryſoſtomus, *lætari? vis diem hilaris conſumere? ego tibi dabo potum ſpiritualem. Pſallere diſcas & videbis rei jucunditatem. Implentur enim Spiritu ſancto, qui pſallunt: quemadmodum ſpiritu immundo, qui Sathanicas cantiones modulantur.*

Vinum lætificat cor hominis: ſed magis cantiones ſpirituales.

Ad Epheſ. c. 5

Horatius.

Adhuc mihi quiſpiam variorum è quovis ſtatu obtrudat exempla in ſui defenſionem, producat mihi illud: *Narratur & priſci Catonis ſæpe mero caluiſſe virtus.* dicat: nunquid ſolus ego in bibendi neceſſitate menſu- *Horatius.*

mensuram transgredior? nunquid multi in orbe Augustini, qui coram DEO protestentur: *Ebrietas longe est à me; misereberis ne appropinquet mihi.* Væ nobis, væ nobis, qui fœda peccandi solatia usurpamus! Nihil omnino agimus, qui nos per multitudinis exempla defendimus & aliena numerantes vitia, deesse nobis dicimus quos debeamus sequi. Tot sanctitatis sobrietatisque viva habemus prototypa, & eis neglectis æmulamur in malignantibus, & facientes iniquitatem imitamur; cum tamen nunquam exemplum à malis sumendum sit, etiamque in sæculi rebus à meliori parte incitamenta sint virtutum. Multitudinem peccantium in lenimen peccandi suspicimus quasi verò turba pereuntium minuat scelus, & non numerositate lignorum maior gehennæ flamma succrescat.

In Confess.

Martialis.

Omnes quidem hæc sermonis mei suadela afficit, nihil obstante illo distincho: *Siccus sobrius est, Aper, quid ad me? servum sic ego laudo non amicum.* In Philosophia enim Christiana sobrietatis præceptiones, omnibus instillantur sive sint amici, sive servi, sive famuli, sive Domini, sive cuiuscunque tandem conditionis sexusvè homines: præcipuo tamen nomine ad Religiosos & quosvis sacris initiatos viros attinet, si fides Doctori Angelico qui ait: *Omnibus Ecclesiæ ministris qui mente devota spiritualibus officijs insistere debent, specialiter sobrietas indicitur.* Quæso tamen ne quotquot adestis generalem contra vitium disputationem in propriam referatis contumeliam: neque in monitorem maledicta congeratis: qui etsi ijsdem teneatur criminibus, certè in eo bonus est quòd sua ei mala non placeant. Non ego hîc pro tribunali sedeo nec quemquam damno aut gladio pœnæ plectere volo; quinimo ne ad hunc stringendum pervenire rigoremque statutorum & ordinationum assumere compellar, exhortatorem per universales invectivas & noxarum insectationes pro officio meo ago non tam jubendo quàm docendo, magisque movendo quàm minando, facilis semper *parcere personis, dicere de vitijs.*

Mart.

Ne ergo graventur corda nostra in crapula & ebrietate. Comessationes, compotationes omnisque immoderatio in edendo bibendoque gentilium sunt atque eorum, qui ut fidem, ita & curam immortalitatis nullam habent. imo verò etiam inter gentiles odiosa erat gastrimargia; aliàs inclytus Orator non suasisset: *Tantum cibi & potionis sumendum ut reficiantur vires non ut opprimantur.* nec moralis ille Philosophus dixisset: *Pudeat tantum ingerere ut non possis digerere: nec stomachi tui scire mensuram.* Vates quoque non lusisset: *Sextiliane bibis quantum subsellia quinq; solus: aqua toties ebrius esse potes.* Comi cultoribus aut Epicuri discipulis luxum bibendi relinquamus: nos frugilitas in victu decet. Vigilias diaboli (nocturnos consessus sic vocat Hieronymus) diabolo eiusq; membris reservemus: nos vigilare in hymnis & canticis oportet. Canes in Ægypto dicuntur parcissimè aquam bibere de Nilo extremaque tantummodo linguâ lingere propter metum venenatorum animalium sub undis latitantium. Eadem nobis perdiscenda parcitas nè veneno latentis luxuriæ aut aconito scurrilitatis & immunditiæ inficiamur. *Quidquid facit seminarium voluptatum venenum puta,* ait sacri nominis Doctor. Pluvia illa optima est quæ sensim descendit in terram; subitus & nimius imber in præceps arva subvertit: sic se

Contra Vigilantium.

ſic ſe habet moderata atque immoderata potio. Si quid ergo in me conſilij, ſi qua ſobrietatis laus, ſi quod ſtudium regni cæleſtis; hoc primum & ultimum moneo ut ſervus Chriſti potum inebriantem fugiat velut venenum, quatenus ſobrie juſte pieque vivendo atque in vinea DEI, de qua hodiernum legitur Evangelium, laborando mercedem conſequatur æternam.



CONTRA
IRAM.

DIes hodierna, dies eſt Inſtitutionis ſanctiſſimi Sacramenti. Hodie enim Chriſtus Dominus in mortem à diſcipulo ſuis tradendus æmulis, priùs in vitæ ferculo ſe tradidit diſcipulis. Admirabilis prorſus bonitatis amoriſque commento, ut per ipſum viveremus non ſolùm pro nobis mori dignatus eſt, ſed etiam eiuſmodi epulum nobis morituris reliquit quod ſumentes vitam ſpiritualem imò & naturalem reſtauraremus. Unde in admirationem rapior cur Judas, qui ad Sacratiſſimum hoc ferculum acceſſerat, non vitam aſt mortem ex eo reportavit finalem. Utique pœnituit de ſuo enormi proditionis flagitio: inſuper pretium ſanguinis reſtituit: cur itaque & temporalis mortis infamiam & æternæ damnationis incurrit atrocitatem? Vnicam cauſam invenio, quia totus amarulentus, totus fermento malitiæ & indignationis contra Chriſtum Dominum acens ſalutarem accepit buccellam. Hæc cauſa, hæc ratio eſt ob quam non antidotum vitæ, ſed venenum perditionis ex Sacramento hauſit: ſicut etiam cibi materialis in cholera ſumptio temperamento vitæ humanæ noxia & perr.itioſa eſt. Ne ergo nos quoque judicium ac damnationem manducemus ac bibamus quoties ad divinam menſam accumbimus, caveamus amarulentia & indignatione adverſus aliquem ranceſcere. Et quia malum quod ignoratur non cavetur, iræ naturam gravitatemque in præſentiarum digito quaſi monſtrare volo, mitiſſimi Salvatoris noſtri & qui hodie vel maxima ſuavitatis ac manſuetudinis monſtravit argumenta, fultus auxilio.

Ira, vindictæ appetitus, & bona & mala eſſe poteſt. quia vindicta & bene & male poteſt appeti. Quocirca D. Gregorius lib: 5. Moralium dividit iram in eam quæ eſt per zelum & hæc laudabilis eſt, quia famulatur rationi, juxta modum loquendi ſcholaſticis uſitatum, conſequenter ſe habendo ad rationem: & in eam quæ eſt per vitium. & hæc damnabilis eſt, quia imperat rationi præcurrendo ipſam & detorquendo à ſua rectitudine. *Ira per zelum,* ait idem Divus Gregorius, *turbat rationis oculum, ſed ira per vitium excæcat.* Eandem partitionem adhibet D. Thomas in hunc modum philoſophans. Ira paſſio quædam eſt: paſſio autem appetitus ſenſitivi in tantum eſt bona in quantum regulatur à ratione; ſi verò rationis ordinem excludat, eſt mala. Porro ordo rationis in ira poteſt attendi vel penes id quod in

Natura iræ.

Ira per zelum & per vitium.

2. 2. q. 158.

Ordo rationis dupliciter in ira violatur, vindictam irrationabiliter appetendo & modum irascendi non servando.

prædicta animi affectione appetitur nempe penes vindictam: vel penes modum irascendi. quantum ad primum, si aliquis appetat ut secundùm rationis ordinem fiat ultio, laudabilis est ulciscendi libido vocaturque ira per zelum; si autem appetat fieri vindictam qualitercunque etiam contra moderamen rationis, puta, si velit puniri eum, qui non meruit, aut non legitimo puniri modo, aut non propter debitum finem, qui est conservatio justitiæ & correctio culpæ, erit appetitus iræ vitiosus, qui nominatur ira per vitium. Quantum ad secundum: si motus iracundus nec interius nec exterius immoderatè efferuescat, servabitur rationis ordo: quodsi immoderatè, non erit ira absque peccato etiam in appetitu justæ ultionis. De ira per zelum accipiendæ sunt Sanctorum Patrum sententiæ iram commendantes, qualis est illa Divi Chrysostomi super Matthæum: *Si ira non fuerit, nec doctrina proficit, nec judicia stant, nec crimina compescuntur.* Quidquid ergo obiurgationis hoc sermone fundetur, totum contra iram per vitium detonabit.

Iracundorum triplex classis.

In expositione summæ Divi Thomæ.

Philosophus 4. Ethicorum iracundiam in tres secat species, dum iracundorum quosdam vult esse acutos, quosdam amaros, quosdam difficiles. Explicat Doctor Angelicus dicitque acutos eos vocari, qui nimiùm cito accenduntur, & ex qualibet levi causa, seu ut Caietanus ait, non expectata rei discussione moventur illicò ad appetendam inordinatè vindictam. amaros illos, qui ex reminiscentia injuriæ sibi illatæ diutinam concipiunt tristitiam, ideoque sibi ipsis sunt graves & amari. difficiles, qui obstinato animo quærunt vindictam nec desistunt irasci antequam se ulciscantur. Infamem capitalis vitij prærogativam habet, quia certas gignit animæ corruptiones, idque ex suo innato impetu & furore quo mentem præcipitat ad pessima quæque agenda. Gignit vero rixam, tumorem mentis, contumeliam, clamorem, indignationem, & blasphemiam. Mali corvi, mala ova. Ira vel est in corde vel in ore, vel in opere. Inquantum est in corde, binas pestes generat, indignationē & tumorem; illam quia eum cui irascimur, indignum reputamus tale quid facere ex quo stomachandi oriatur occasio; hunc autem, quia irascens varias ultionis vias modosque voluit mente ac revoluit: hîc enim tumor mentis non pro superbia capitur at pro conatu vel audacia hominis machinantis vindictam. In quantum est in ore, tria producit vitia: clamorem, contumeliam, blasphemiam; clamorem in vociferando, clamor namque est inordinata cum elevatione vocis locutio; contumeliam, faciendo ut iratus prorumpat in verba injuriosa contra proximum; blasphemiam faciendo ut effutiat verba injuriosa contra DEUM. Ira ad factum pertingens procreat rixas juxta illud Proverb: 29. *Vir iracundus provocat rixas.* per quas intelliguntur omnia nocumenta quæ facto proximis inferuntur.

Malitia iræ ostenditur ex scripturis.

Natura vitij huius sic expensâ videamus quid scripturæ de illo sentiant. Proverb: 27. dicitur: *grave est saxum & onerosa arena: ira verò stulti utroque gravior.* Job: 5. *Virum stultum interficit iracundia.* utrobique stultus nominatur, qui in iram efferuescit, *nunquid enim sapiens implebit ardore stomachum suum.* Sacris paginis profana adstipulatur eruditio. Satyricus enim canit: *Stultitiâ ne erres, nihilum distabit, an ira?* Stultus equidem est omnis iracundus, quia suam spirat mortem, suum quærit in corpore & in anima interitum: in corpore quidem, quia

dem, quia juxta Ecclesiasticum cap: 30. *zelus & ira minuent dies*. in anima verò quia ut Proverb: 29. habetur, *qui ad indignationem facilis est, erit ad peccandum proclivior*. Quare Psaltes psalmo 36. hortatur unumquemque nostrum, *desine ab ira & derelinque furorem: noli æmulari ut maligneris. quoniam qui malignantur exterminabuntur*. Quid verò est quod David, noster ille Simonides & Pindarus, qui alibi permiserat irasci, *irascimini & nolite peccare*, hìc sub interminatione exterminij vetat? nunquid sibi contrarius est? minimè. Iram per zelũ quæ vitijs inimica est & rationi etiam in modo irascendi obsecundat, commendavit suasitque alibi, hìc iram per vitium fugiendam monet. *Desine ab ira & noli æmulari ut maligneris.* hoc est ut male indigneris? Cur id? quia *omnes, qui malignantur, exterminabuntur*. id est, ex terra minabuntur, pellentur, eijcientur, tanquam indigni, qui eam calcent. Exterminabuntur ex loco hoc hominibus brutisque communi quia præcoci fato vel inter iurgia excitata vel inter biliosarum ægritudinum violentias extinguentur. Exterminabuntur item, quod incomparabiliter miserius, ex terra illa quæ est solidus & æternum duraturus beatitudinis ac beatorum status, quam soli hæreditabunt sustinentes Dominum, hoc est, vindictam non quærentes, non se ulciscentes, verùm proximo quidem omnem offensam condonantes, Deum autem judicem ac vindicem salvo affectu & dilectione proximi expectantes.

Veteri scripturæ pondus accedat ex novo instrumento. Apoc: 8vò ad clangorem tubæ secundi Angeli tanquam mons magnus igne ardens missus est in mare. Per montem vel tanquam montem signatur diabolus, qui in se tumefactus, in immensum excrevit dum divinam sublimitatem expetivit dicens: *Ascendam super altitudinem nubium*. Mare, est figura baptismi & totiusEcclesiæ ex baptismo regeneratæ. Diabolus ergo ardens igne furoris & iracundiæ lapsus in mare hoc, quid effecit? infecit tertiam partem maris ita ut sanguis fieret. Per sanguinem in scripturis peccatum intelligitur; hìc autem specificè intelligitur peccatum iræ. quid enimverò hæc aliud est nisi sanguis circa cor bulliens. unde à Damasceno sic pingitur: *Est fervor eius, qui est circa cor sanguinis ex evoparatione fellis fiens*. Infecit itaque diabolus rabie & furore iracundiæ tertiam partem fidelium. Quis porro ultimus eventus? *& mortua est tertia pars creaturarum quæ habebant animas*. id est, quæ vivebant non modò vita naturæ, sed etiam vitâ gratiæ, vivebant in mari, intra Ecclesiam. En claret, iram fatuitatem ac imprudentiam esse & corporeæ & spiritualis machinatricem mortis.

A scripturis ad sanctos Patres inoffenso pede transeamus. D. Basilius ait: *Si semel perturbatio iræ, mentis principatum, animæ imperium, sumpserit, hominem in feram convertit: neq; hominem, qui rationis sit compos, esse sinit*. D. Chrysostomus inter iram & insaniam nihil differre censet & brevem quemdam dæmonem imò dæmonio graviorem appellat iram. Idem postquam flavam bilem ruptâ pellicula qua circũdatur grassantem in corpore humano, & omnibus membris atque humoribus bellum indicentem camparasset cum fera sævissima quæ quamdiu tutis continetur carceribus etiamsi ferociat & immanè rugiat, nemini tandem damnum inferre potest; si vero invalescente furore obiectos repagulos perfringat atq; exiliat, mox urbem magno tumultu atq; ruina

Ex SS. PP. apud D. Thom:

In Cap: 4. ad Ephesi.

ruina adimplet, facta inquam hac compratione subijcit, ad hoc narrationem eiusmodi institutam esse ut à sensibili illa amaritudine intolerabilem amaricatæ mentis malitiam discentes experientiam ipsius fugiamus, cùm in barathrum gehennæ captum hominem abigat. Hac assimilatione id vult S. Doctor quòd sicut non terret leonis rugitus, nec rancatio tygridis dum in caueis & specubus sub fortissimis tenentur repagulis; ita & ira gubernio rationis clathrata, innoxia est: at cùm soluta fuerit, nocentissimè debacchatur. Glossa in illud Proverb: 29. Vir iracundus provocat rixas, hæc habet: *Ianua est omnium vitiorum iracundia, qua clausâ virtutibus intrinsecus datur quies; apertâ autem, ad omne facinus armabitur animus.* Neque id hyperbolicè dictum arbitreris. Nam Doctor Angelicus testimonium hoc discutiens subscribit eidem, dum asseverat iram esse per accidens januam omnium vitiorum removendo scilicet prohibens, hoc est impediendo judicium rationis per quod retrahimur à peccato. *Ira namque,* ut ait Gregorius 5. Moralium, *intelligentiæ lucem subtrahit cum mentem permovendo confundit.*

Epist: 2da. Quam scripturarum & sanctorum Patrum damnat authoritas, etiam seculi disciplina condemnat. *Ira furor brevis est:* (Horatius occinit) *animum rege qui nisi paret, imperat: hunc frænis hunc tu compesce catena.* Et: *ludus genuit certamen & iram. ira truces inimicitias ac funebre bellum.* Athenodorus valefaciens Augusto imperatori hoc ei reliquit monumentum: *Cæsar cum iratus fueris, ne quid dixeris feceris vè priusquam Græcarum literarum viginti quatuor nomina apud te recensueris.* Volebat Philosophus hoc consilio docere, longè præter rationem esse ea, quæ fiunt quando rancor in corde æstuat. Uti enim homo ebrius nihil prudenter ac judiciosè agit & cuius postea non pœniteat; sic & turbatus excæcatusvè fumo huius passionis. Licet etenim ei videatur justum rectumvè quod nunc facit, cum nihilominus animi impetus resederit, injustum esse fatebitur, atque de suis impetuosis erubescet motibus.

Plutarchus in apophtegmatibus.

Media iræ refrænandæ. Qua igitur ratione malo huic tam enormi medebimur? Rabies morbus est admodum periculosus imaginativam vehementer turbans facultatem. Qui enim ex morsu canis rabidi contraxit hanc ægritudinem videtur sibi videre in aqua, peculiari rabiosorum remedio, canem mordentem & dentibus stridentem: ad quem aspectum infirmus magis cōmovetur furit ac ringitur, morbo in vetustatem atque incurabilitatem ampliùs atque ampliùs vergente. Universalis medela rabiei hæc præscribitur, ut imaginatio, rationis lumine corrigatur dicaturq; cum Philosopho: *quid cani cum balneo?* atque ut infirmus dum ei unda objicitur, non in illam, sed in medicum vel amicum adstantem defigat oculos. Ira præcipue flagrantior, rabies est animi cui curandæ opportunissima ac saluberrima est aqua divinæ legis, divinorum verborum, qualia sunt: *Ego autem dico vobis diligite inimicos vestros:* Et: *Qui irascitur fratri suo, reus erit judicio.* Ast iracundi ad intuitum salutaris istius aquæ, ad lectionem vel auditionem horum similiumque verborū magis turbantur fremunt excandescunt, eò quod videantur sibi videre canem in hac aqua, hoc est inimicum suum quem cane peius & angue oderunt. Quid ergo consilij capient? corrigere necesse habent imaginatio-

nationem suam ut non canem putent, sed fratrem quem ut canem apprehendunt: *plerumq; enim fratrem odisti & hostem putas.* Corrigant imaginationem suam: & non existiment ex contemptu hoc illudve sibi factum nocumentum, verùm ex ignorantia aut passione. Tripliciter namque contingit nocumentum alicui inferri: ex ignorantia, ex passione, ex electione. Si sciamus aut credamus ex alterutra anteriorum causarũ irrogatam nobis esse noxam, vel non succensemus nocenti vel minùs succensemus: quoniam agere aliquid ex ignorantia passionevè diminuit rationem injuriæ imò est provocativum misericordiæ & veniæ juxta Aristotelem secundo Rhetoricorum. Si verò ex electione & industria certaque malitia injuriam nobis afflatam persuasi simus, justam quidem indignationis habemus materiam, nihilominus ubi imaginationem correxerimus non efferuescemus. hoc est, postquam nos reflexerimus quòd juste patimur, quòd ista vexatio non ab homine, sed à Deo justissimè flagellum linguæ alienæ aut aliud quodpiam nobis impingente procedat, tymosim omnem, omnem comprimemus furorem; quandoquidem indubitatum est quod ait Philosophus: *Si homines putaverint se justè passos non irascuntur.* Non enim ira fit ad justum; quia hæc semper sub ratione justi vindicativi fertur in id quod sibi injuste factum est aut taliter factum videtur esse. ideo Princeps Romanæ eloquentiæ ultra definitionem initio adductam hac orationis structura expressit iram: *Est libido puniendi eius, qui videatur læsisse injuriâ.*

Non irasci-mur, quando credimus ex ignorantia aut paßione nobis factum esse nocumẽtũ

Nõ irascimur item si justè nos vexari perpendamus.

4. *Tusculan: quæst.*

Quod dixi, planius per exemplum efficiam. 2. Regum 17. David declinans à facie filij Absalon dum ex urbe egreditur obvium nactus hominem quendam rabidum, insigni ab eo impetitur contumelia: probrosis vocibus, injuriosis clamoribus imò & lapidibus excipitur. *Egredere,* aiebat ille, *vir sanguinum, vir Belial, egredere:* mittebatque contra eum lapides. Abisai ad latus Regis incedens tantum læsæ maiestatis non valens ferre crimen, *quare?* inquit, *canis hic maledicit Domino meo Regi: vadam & amputabo caput canis istius.* Rex æstum Abisai cõpressurus, *dimitte*, ait, *eum, præcepit enim ei Dominus ut malediceret David.* Quid est quod Abisai turbatur & incalescit iracundiâ, David autem quem directè injuriæ illæ petebant, mansuetissimus & absque ulla commotione in sua mentis perseverat tranquillitate? nimirum Abisai imaginabatur illum injuriantem ut canem, dignum mactari, dignum in Gemonias trahi atque inde præcipitari: injustè Regem morderi & proscindi putabat: Rex verò ut fratrem, imò ut divinæ voluntatis divinique mandati ministrum considerabat seque justissimè affligi recogitabat. O felices Christianos! o felices nos Religiosos! si hanc philosophiam à David disceremus. Affine si non idem medium reprimendæ iræ proponit Divus Chrysostomus in hæc verba: *Quomodo igitur furorem subigemus, quomodo flammam hanc extinguemus? si nostra ipsorum delicta perpenderimus quantum obnoxij simus Deo: si cogitaverimus nos hoc pacto vindictam sumere non de hoste, sed de nobis ipsis: si consideraverimus, qua lætitia diabolum exhilaremus hostem illum nostrum, qui revera hostis est cuius gratia injuriam membro nostro faciemus. Vis esse memor injuriarum & hostis? hostis esto diaboli non membri tui. Propterea Deus irâ nos armavit non ut adversùm corpora nostra stringamus & impellamus gladium, sed ut universam machæram in ipsum diaboli pe-*

ctus immergamus. Huc intrò poteris capulotenus abdere ferrum. Quin si voles & capulum ipsum: nec unquam inde gladium evellas, sed alium insuper addas.

Iræ irritamentum est parvipensio: cuius tres species numerantur à Principe Philosophorum. scilicet despectus, epireasmus id est impedimentum propriæ voluntatis, & contumeliatio. Ad hæc tria capita reducuntur universa stomachationis incentiva. Idcirco Philosophus iram definivit esse *appetitum cum tristitia punitionis propter apparentem parvipensionem non convenienter factam.* Parvipensio enim excellentiæ è diametro opponitur & ideo quodcunque nobis nocumentum arrogatur, in quantum excellentiæ derogat, ad vilipensionem videtur pertinere. Quocirca si fuerimus humiles, si amaverimus parvipendi, extra periculum irascendi positi sumus.

Humilitas nõ sinit irasci.

Monstrum istud execrabantur Sancti quique & perpetuas cum eo ducebant inimicitias. Hoc ut superaret, *quatuordecim annis* in Scythi deprecatus est Dominum die ac nocte Ammonas. Evagrius omnes iracundiæ occasiones sibi abscindebat. Joannem Abbatem sol nunquam iratum vidit. Paulum Visionis nuncupatum annales nostri memorant à nemine unquam etiam data occasione, animo commotiore aut minus pacato animadversum. Diva Heduigis nunquam visa est irasci contenta ea obiurgatione: *Deus tibi parcat.*

Exempla.

Perturbationibus, inquies, quousq; vivimus obnoxij sumus & velimus nolimus stomachamur: nec quisquã impetum concitati spiritus frenare potest. Fateor nos affectionibus non posse non subiacere, quamdiu hoc mortale circumferimus corpus: sed & id negare nequeo, rationem supra motus quoscunque sensitivos gerere gubernium & velut aurigam equis imperare petulcis. Hæc ergo regere debet passiones, nec permittere ut freno excusso ferociant: & si non potest facere ne quis exardescat, saltem nutriri bilem non permittat. *Irasci,* ait Hieronymus, *hominis est, iram non fovere Christiani.* Et Chrysostomus: *Bonum quidem est non irasci si verò in morbum hunc quispiam inciderit aliquando, videat saltem ne ingravescat.* Augustinus quoq; in Regula monet celerrimè finiendas lites *ne ira crescat in odium & trabem faciat de festuca & animam faciat homicidam.* Coronidis loco sit quod dicturus sum. Si non potes non irasci motusque passionum judicio rationis prevenire ac moderari, saltem hoc saluberrimum observa consilium ut quoties cholera inflammaris, non dicas nec facias quidquam imò neque credas tibi ipsi, omniaque suspecta putes, esto cum ratione convenire videantur. Imitare Prophetam dicentem: *turbatus sum & non sum locutus.* Executionẽ desiderij differ donec ira deferveat, aut donec juxta monitũ Ludovici Granatensis Orationem Dominicam semel sepiusve mente percurras adinstar eius consilij quod Cesari Athenodorus reliquit.

Consilium optimum.

Quorsum verò hec omnia tanta nobis diligentia narrantur? nimirum ut iræ quæ hominem sicut dixi, in corpore & anima interficit, tota virium resistamus contentione. Ne queso tam stulti simus ut nobis ipsis mortem velimus consciscere. Ne ludamus Christum dum ex una parte ad mensam ipsius accedentes vitam petimus, ex altera nos ipsi nobis necem cudimus. *Vasculum quoddam est anima nostra & quidem calatiscus ad recipienda dona Spiritus sancti: verùm si ibi sit bilis & amarulentia*

rulentia & tumor effugient dona Dei, ait S. Chryſoſtomus. Dicam ego: Ciborium eſt ſeu repoſitorium Sacratiſſimæ Euchariſtiæ. at ſi amarulentia intus fuerit, tantum aberit ut nobis ſalutaris ſit ut potius judicium & condemnationem nobis accerſat! *Sincerum eſt niſi vas quodcunq; infundis aceſcit*, ait Flaccus: ita & tu ſi fueris acore & amarore infectus, ſumaſque interea Cibum potumque divinum, fiet tibi acetum te conſtringens fauceſque tuas interiores præfocans. Finis Auguſtiſſimi Sacramenti eſt ut per illud nobis invicem charitate compaginemur, & ſic compaginati ſpiritu eius vivificemur. Hunc finem quomodo ille conſequitur, qui ab altero diviſus eſt, qui adverſus fratrem vindictam ſpirat, qui ulciſci ſe deſiderat; hic profecto, quia ſejunctus eſt à corpore Chriſti membriſque eius, non vivificatur ſpiritu Chriſti. membrum enim reſectū nequit vivificari. *Iræ* igitur in poſterum *moderemur & ori* ut vitalia in Corpore Chriſti Domini membra jugiter maneamus. *Typotius.*



CONTRA INVIDIAM.

NOn diſcendi ſed tentandi ſtudio in craſtino Evangelio Phariſæi Chriſtum Dominum per quendam è medio ſui Doctorem legis ſic interrogant: *Magiſter quod eſt mandatum magnum in lege.* Satisfacit Chriſtus, *diliges*, inquiens, *Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: hoc primum & magnum mandatum eſt. Alterum autem ſimile huic: diliges proximum tuum, ſicut te ipſum.* Quid eſt quod de ſolo magno mandato rogatus, etiam alterum ſimile attexuit? Cur dilectioni divinæ proximi dilectionem copulavit? Dat rationem D. Chryſoſtomus ideo Dominum ſic reſpondiſſe, ſcribens *ut oſtenderet quòd nulla in Phariſæis tentatoribus eſſet charitas, ſed livore invidiæ tabeſerent.* (*Hom: in Matthæum.*) voluit ſcilicet eiuſmodi reſponſo docere amorem DEI & proximi invicem ſibi cohærere, neque alterum ſine altero conſiſtere poſſe, & non tam duplicem charitatem eſſe quàm unam eandemque. Non ſoli præſenti concioni loquebatur Salvator ſed univerſa futura ſæcula ſermone aliter doctis aliter indoctis ſonante erudiebat. Omnes itaque reſponſo hoc cœleſtis Magiſtri inſtruimur, charitatem Dei nullam in nobis eſſe, ſi charitatem erga proximum non habeamus. Certiſſimum autem indicium hanc in nobis deficere, cum livore invidiæ tabeſcimus. Hæc enim è diametro pugnat cum dilectione proximi, ut proinde qua lege obſtringimur ad amandum proximum, eadem ad invidiam fugiendam teneamur. Quia verò non facile intelliguntur vitia dicente Pſalmiſta: *delicta quis intelligit?* & ſicut venena non dantur niſi melle circumlita, ita vitia non decipiunt niſi ſpecie virtutum; ne fortè perſonata livoris facie quiſquam ſeducatur & in zelo invidiæ zelum reputet charitatis, ingenium ipſius peſſimum adiunctis nonnullis remedijs, ſpe auxilij divini exponere ſtatui.

Invidia quid & quis eius finis? Invidia sic dicta è mente Tullij à nimis videndo fortunam alterius, est tristitia de bonis proximi: in quantum videlicet aliquis tristatur de aliena prosperitate non ob rectum quempiam finem, neque ex metu emersuri forsitan nocumenti proprij ex alterius felicitate, hoc enim ad timiditatem spectaret: sed purè puteque ideo, quia ab altero in re aliqua antecellitur, suam per hoc diminui gloriam æstimans adeoque bonum alterius ut malum proprium, quia excellentiæ propriæ derogativũ apprehendens. *Non se extendit nisi ad æquales.* Hinc est quòd invidia non se extendat nisi ad æquales. neque enim viliores animæ credunt honorem suum periclitari aut minorari splendore sublimium potestatum quibus tenuitatem suam nullatenus æquare aut comparare valent. *Per quid differt a Nemesi* Opponitur nemesi: quia hæc ringitur ob bonum eorum, qui censentur ipso indigni; at invidentia dignorum prosperitate tabescit. Etiam nihilominus nemesis in sacra scriptura prohibetur, eò quòd ex justa Dei ordinatione vel ad correctionem vel ad damnationem via impiorum prosperetur.

Ægritudo hæc animi non modò mortalis est ex genere suo, quia adversatur charitati, (quanquam motus imperfecti eiusdem in sensualitate remanentes mortem spiritui non afferunt atque in viris etiam perfectis non raro contingunt) sed etiam capitalis authore D. Gregorio *Filiæ invidiæ.* lib: 31. Moralium. Filias habet: odium, susurrationem, detractionem, exultationem in adversis proximi, afflictionem in prosperis. Aut namq; invidus diminuere gloriam alienam satagit per verba ad dissolvendam alterius cum altero amicitiam quæsita & sic nascitur susurratio. aut per verba ad denigrandam proximi famam directa, & sic detractio generatur. vel satagit facto ipso excellentiam alienam deprimere & si quidem valet id efficere efficitque, exultationem concipit; si non valet, afflictionem. Odium porro ipsissimus est invidentiæ effectus, sicut amor dilectionis. Afflictio in prosperis proximi & invidia potest esse & filia invidiæ. Invidia si tristeris de prosperis alicuius secundùm quod habent gloriam quandam. filia est, secundum quod prospera proximi eveniunt contra voluntatem & conatum invidentis, qui ea nititur impedire.

Gravitas invidiæ ex eo quia est diabolicum vitiũ *Aug: de vera religione.* Vitium istud per excellentiam ut ita dixerim diabolicum est: *quo solo*, quemadmodum ait Augustinus, *diabolus reus est & inexpiabiliter reus, & quo*, ut idem alio in loco asserit, *diabolus utiq; diabolus est.* Ac si dicat, naturam diaboli non aliunde conflatam esse quàm ex invidia, nec per aliam formam constitui quàm per informem livoris tabem. Quare & homo lividus in dęmonem degenerat, quia habet id quo diabolus utique diabolus est. Et profectò si non conformitate naturæ, certè operis similitudine invidus quisquis dæmonem agit, dæmonem figurat. *Quia diabolũ in homicidijs imitatur.* Opus dæmonis homicidium. *Ille homicida erat ab initio*, Christus ipse testatur: atque idcirco malignus spiritus diaboli sortitus est nomen quòd duplicem bolum corporis & animæ studeat auferre hominibus, mortemque tam corporis quàm animæ continua hostilitate humano moliatur generi. Et invidus omnis homicida est: quia invidia odium parit. qui autem odit fratrem suum homicida est. Quid quæso enorme illud homicidium Abelis causavit, nisi invidia? rancido oculo aspiciebat Cain acceptari à Deo munera fratris sui, livebat plũbeoq; pingebatur colore: ex invidia ortum odium: ex hoc enatũ homicidium. quid fi-

quid filios Jacob impulit ut innocentem Josephum venderent aliàs occisuri? invidia. quid Judæ & Judæorũ manus Christicidio cruentavit? invidia. & ut aliquid etiam de gentili literatura proferam, quid fratres uterinos Romanæ Urbis fundatores ita incendit ut alter ab altero cæsus ædificia prima proprio cruore fœdaret? perfectò invidia. Ultra has quæcunque tandem patratæ sunt in mundo & deinceps patrabuntur cædes, ad unicum invidentiæ odijque fomitem referendæ sunt. Quàm igitur verè Christus Dominus æterna veritas Judam gloriâ Magistri sui liventem & idcirco pretio sanguinis inhiantem, diabolum nominavit: *Unus vestrum diabolus est*. Quàm verè invidos omnes diabolo similes sancti Patres & Magistri spirituales asseverant!

Nec soli illi nocet zelus cui invidet. etiam sibi inimicus est. Nam præter mortem spiritualem, ingens quoque tormentum infert homini. Lividus enim tabescit sicut aranea. *Tabescentem mentem*, ait D. Gregorius, *sua pœna faciet, quam felicitas torquet aliena*. Et D. Hieronymus, *zelus*, inquit, *suum rodit authorem ac dum æmulum lædere nititur, in semetipsum proprio suo furore bacchatur*. Caries est invidentia omnis. Ut enimverò illa lignum ex quo nata fuerat consumit: sic & hęc ex corde hominis prodit, illud nihilominus corrodit. quo corroso etiam naturalem vultûs colorem tollit, pro albo aut rubro plumbeum inducens qualem in contusis corporibus videre est cum exiles venæ ictu duriore quassatæ sanguinem usq; ad extremam cutem diffundunt. Quod ips vitibus quarum erodit oculos; quod cis frumento cuius medullam glumâ relictâ absumit; quod trips lingno; quod sis vestimento; quòd fabæ midas; quod is vitro: hoc invidia homini. Si dè quopiam alio crimine, certè de tabifico hoc malo dicere integrum: *Sceleris in scelere supplicium est*, ut rectè quidam imprecatus sit:

Quia summe torquet ipsũ etiam invidũ

In vita Sãctæ Paulæ.

Rumpitur inVidiâ quidam chariſſimè Iuli
Rumpatur quisquis rumpitur inVidia.

Tormentum livoris ne leve credas, cum eò gravius Siculi invenire tyranni nequiverint. Quomodo sanè leve tormentum, quod cum tormentis inferni confertur: *Dolores inferni circumdederunt me.* ubi Augustinus legit, *dolores inVidiæ*, cui lectioni consonat illud Canticorum 8. *dura sicut infernus æmulatio*.

Generalitas invidiæ.

Nequitia hæc in orbe quà longe lateque patet universo creberrima est: *æquo pulsat pede pauperum tabernas Regumq; turres*. Etiam in Religionibus sua explicat vexilla dum unius religionis alumni, alterius cuiuspiam Ordinis famam, numerositatem in subiectis, frequentiam in domicilijs, in bonis copiam, in studijs celebritatem, gloriam ex sanctis apotheosi donatis, decus & triumphos ex promotionibus & assumptionibus ad amplissimos Ecclesiæ honores, audientes videntesq; tristantur, atque exinde linguam suam in detractiones & oblocutiones armãt dum volunt minuere excellentiam impijs susurris quam Deus pijssimus alteri concessit religioni. Tentatio ista diabolica est. Motus iste invidiæ est. Non tristari hinc debueras, sed Deum glorificare cuius ordinatione fit quidquid fit. E contra si in instituto alio regulari vel certè Clericali statu malum quodpiam evenisse audiamus, in sinum gaudemus & unus alteri cum quodam jubilo & plausu referimus: nec jucundior nobis dissertatio quàm de lapsu vel infortunio alieno. Hæccine charitas est,

tas est, istane est proximi dilectio? Heu me quàm falsò dilectionem jactamus ore, qui malis alienis gratulamur! Hinc fit quòd justissimò Dei judicio gravioribus implicemur malis, qui alienis compati nesciebamus aut veriùs nolebamus miserijs. Pudet dicere & tamen dicendum est! Unius eiusdemque propositi sectatores uniusque corporis membra hac quoque adversum invicem corripiuntur malignitate, dum unus subditus prę alio in scientia eminentiam, in gradu aut officio præcedentiam, in utilitate & compendio aliquo feliciorem sortem, in gratia aut benevolentia superioris partialitatem habere conspicitur: illico mæror interiora nostra invadit, pallet vultus, siccatur saliva, labia trementia impatientiam testantur, torvo aspectu quid nos rodat indicamus. Non charitatis hæc indicia sunt, sed zeli; non dilectionis ista species, sed odij. Si charitatem erga proximum haberemus, utique quod charitatis est, faceremus; utique de bonis fratris nostri tanquam de proprijs gauderemus ac per hoc odij reatum, detractiones, jurgia, aliasque societatis claustralis pestes vitaremus. Unde enimverò in monasterijs cōvitium, maledictum, criminis obiectus? unde lites, unde diffidia, malaque innumera nisi ex odio? Odium autem unde? ex invidia. ex crudeli Matre crudelis soboles.

Remedia contra invidiam.

Quo pacto igitur ab hoc monstro liberabimur? Bulla insigne erat victorū quam in triumpho præsegerebāt inclusis intra eam amuletis quæ crederent contra invidiam valentissima. Bulla hæc cordis symbolum est, quia in figuram cordis efformabatur. Si igitur nolumus nobis nocere invidiam, remedia ipsius in pectore nostro includamus. Quæ vero illa? Charitas medium unicum & universale contra livoris tabem. *Sola enim est charitas,* ait Augustinus, *quam felicitas aliena non premit, quia non æmulatur: sola est quam felicitas sua non extollit, quia non inflatur.* Si dilexeris proximum ex corde & sicut te ipsum, non pallebis non livebis felicitate ipsius sed lætaberis. Sicut namque charitatis erga Deum est gaudere de bonis divinis: ita charitatis erga proximum de bonis eiusdem delectari.

De charitate

Vis aliud invidiæ remedium? absque invidia communico. Oculos hæc potissimùm inficit. unde oculi invidorum, nequam vocantur in scripturis. Eccl: 14. *nequam est oculus lividi*. & in Evangelio *an oculus tuus nequam est, quia ego bonus*. Speculum reparat lumina: & reflexio seu reflexa cognitio rerum corruptum tabidorum reparat aspectum. Honores alieni forsitan invidentiam tibi afflarunt oculosque perstrinxerunt fulgore? Sed fixiùs eos tueare velim, & tabifico malo purgaberis. Oseæ 10. spumæ marinæ dignitates mundanæ assimilantur: *Transire fecit Samaria regem suum sicut spumam maris.* *Pulchrè*, ait Viegas hunc textum incidenter exponens in suis supra Apocalypsim commentarijs, *pulchrè omnes Principes ac Reges spumæ seu potius bullis aqueis conferūtur. Sicut enim in aqua bullæ excitatæ quo magis intumescunt eo celerius evanescunt maiorq; earum tumor nihil aliud est quam celerior ad exitium progressio; ita maior Regum potentia atq; superbia ferè celerioris est ruinæ argumentum, & sicut bullæ in aqua subinde alijs aliæ in brevi spatio succedunt sic & Principes.* Quod de regij culminis splendore dicitur, etiam de quocunque alio honore intellige. Omnes etenim honores mundi, æquali exitu terminantur sicut spumæ. De Prælaturis

Dignitates, divitiæ, deliciæ fluxa sūt bona.

addo

addo quòd has nemo invidebit si illud D. Chrysostomi pensaverit: *Miror si potest salvari aliquis Rectorum.* Si ob divitias alienas ringeris, reflecte velim oculos in easdem, & nequitia ab oculis evanescet. *Dormierunt,* ait Psaltes, *somnum suum omnes viri divitiarum & nihil invenerunt in manibus suis.* Somnium est thesaurus divitiarum tuarum: evigilas, & recessit. Beatum se quispiam reputat per somnium auri argentique possessione, Cræso feliciorem se ac ditiorem gloriatur: quid verò juvant tota illa somniorum ludibria? expergefactus nihil invenit in manibus, umbram & phantasma fuisse gazam illam opulentam discit: sic & nos postquam in fine vitæ jussu divino evigilabimus, & deterso sopore attentiùs cælestia & futura spectare cæperimus; mera, merissima somnia omnes mundi opes cognoscemus extitisse. Rectè cecinit quidam: *Quid sunt divitiæ, quid honor, quid gaudia mundi? quid rogo, quid hæc sunt omnia? somnia sunt.* Alibi apud eundem Psaltem fluentis comparantur: *Divitiæ si affluant nolite cor apponere.* quod delicijs pariter rectè accommodari potest. Nimirum ut fluvius vix adlabitur cum elabitur: vix affluit cum effluit: vix intumescit cum exarescit: ita planè divitiæ ac deliciæ perenni fluxu ac refluxu accedunt & recedunt. *Vides,* inquit D. Ambrosius, *quia fluunt, non vides quia præterfluunt. fluenta sunt, quæ miraris; quomodo veniunt sic transeunt & recedunt.* Bona corporis & bona animi non invidebis si obtutum fixeris. Momentanea est pulchritudo: *florem decoris singuli carpunt dies.* *Seneca.* Valetudo, quidam est defectus corruptionis & prolixitas mortis. Sapientia mundi, stultitia est apud Deum, inflationis occasio, laboris & morborum semen quia jugi meditatione tabefacit carnes. Et ut compendio dicam, omnia quæcunque non referuntur ad salutem æternam & quatenus non referuntur, nihil sunt. Marci 10. ait Christus ad discipulos: *Usque modo non petistis quidquam.* Atqui petierunt Jacobus & Joannes, imò alij quoque. Sed sciendum, quod ait B. Augustinus tractatu 102. in Joannem, solum bonum spirituale debere æstimari alquid: quidquid aliud petitur nihil petitur. Eiusmodi reflexione liventem sanabimus animum: tali speculo visum reparabimus. *Omnia mundana bona nihil sunt.*

Quod si hęc insufficiẽtia tibi videntur antidota, appono aliud. Megæram celebrat antiquitas ex cuius capite enatos serpentes fabulatur. Portentum horribile invidia est ex qua serpentes hoc est serpentina vitiorum germina prodierunt ut jam memoravi. Odium, susurratio, detractio, exultatio in adversis proximi, afflictio in prosperis aspides sunt morsu suo necem non dubiam afferentes. His nocet invidia: per has imprimendæ pectoribus humanis malitiæ pestem vomit. Si vis ne tabificum venas animi tui pervadat malum, excetras has infernales fugito; imò occidito ut ex eis occisis salutarem tibi conficias theriacam. Si interimere nequis, saltem age Marsum: incanta aspides istas adinstar venefici incantantis sapienter. Carminibus sacris incantantur monstrosi isti livoris partus. Odium illis scripturæ verbis: *Qui odit fratrem suum homicida est.* Et: *Qui odit fratrem suum in tenebris est,* Primæ Joannis secundo; tenebræ autem spirituales, peccata sunt: ut exponit D. Thomas. Contra susurrationem serviunt illa incantamenta: *Non eris criminator, nec susurro in populis* Levitici 19. & Eccl: 28. *Maledictus susurro & bilinguis.* Et: *Vir peccator conturbabit amicos & in medio pacem ha-* *Scripturæ sacræ sententijs reprimitur invidia.*

cem habentium immittet inimicitiam. Contra detractionem illud carmen valet: *Detractores DEO odibiles*, primæ ad Romanos primo. Contra exultationem in adversis & tristitiam in prosperis illud suffragatur: *Gaudete cum gaudentibus, flete cum flentibus.* Talibus sacræ scripturæ testimonijs quasi armatura Dei adversus invidiam sævientem, instruebat se B. Paula Hieronymo teste. His & nos si instructi fuerimus, nihil geminina illa inferni nocebunt nobis.

Petes quod signum potest esse cognoscendæ in nobis invidiæ, cum ad nostra cernenda vitia lippi esse soleamus: & qui in pervidendis aliorum defectibus aut aquilæ aut serpentis Epidaurij oculos habemus, ad nostros nævos conspiciendos talpæ simus? Respondeo quanquam sufficienter naturam mali depinxi, signum tamen istud habeto. Si de alienis malis vel moralibus vel naturalibus libenter audis disputantes: si aures ad eiusmodi dicta prurientes habes: si cæteris de aliquo honorifica narrantibus tu negas vel minuis: scito te diabolico hoc vitio infessum esse. Est in Ægypto avis Ibis appellata quæ instar ciconiæ serpentibus pascitur. Hæc avis juxta D. Thomam est symbolum invidiæ quæ solis malis alienis velut viperis reficitur. cui illud adscribas: *Hæc placet esca mihi.* Invidorum scilicet voluptas est alienis malis delectari, libenter prava audire, libenter aliorum auribus insusurrare, & cùm certatim omnibus narrent, sic singulis loqui quasi nulli alteri dixerint. *Hi rumores pessimos serunt: & quod ab ipsis egressum est, id ab alijs audisse se simulant, ijdem auctores & exaggeratores.*

Hier: ad Furiã

Ad eum finem universa, quæ dixi, celeri sermone convoluta sunt ut invidiam animorum pestem, diabolicam nequitiam, hostem charitatis remis velisque fugiamus, si præceptum de dilectione proximi, imò & de dilectione Dei quin imo si omnia legis capita servare & opere complere desideramus. Dicit enim Apostolus, in hoc solo sermone, *diliges proximum tuum*, instaurari & recapitulari quidquid tandem in scripturis mandati divini est, ut qui diligit proximum, eo ipso universam impleat legem. Qui ergo magnum mandatum cupimus, ut tenemur, adimplere; etiam affine illi observemus sine quo nec magnum mandatum nec quidquid præceptorum est servari valet. Ut porro huius alterius custodes simus, attendamus ne unquam livor in animum nostrum irrepat. *Avertat Deus*, concludo verbis D. Augustini de disciplina Christiana, *hanc pestem ab animis omnium hominum, ne dum Christianorum*, nedũ Religiosorum. Potissimùm autem invidentiam fraternæ charitatis seu ut vocat Aquinas fraternæ gratiæ, peccatum gravissimum & quod unũ est è flagitijs in Spiritum sanctum, averruncet à nobis divina bonitas. Frustra namque opem misericordiæ divinæ expectabimus alienæ fructibus invidentes pietatis. Dehiscat tellus & livori omni ad Erebum protrudẽdo viam aperiat. Habeat suos partus, suas nequitias diabolus: tumescat veneno invidiæ, marcescat felicitate hominum, tristetur, doleat, ingemiscat, ignesque & tormenta sibi accumulet: denique dura sicut infernus æmulatio, in solo regnet inferno, solosque malignos spiritus inextinguibilibus adurat tædis; ad homines non pertingat. *Pascitur in vivis livor, post fata quiescit*, dixit quidam. Morum emendatio invertat versum ut non in viventibus nobis at in mortuis quos tenet gehẽna, pascatur. Vincitur sermo rei magnitudine & minus est omne quod dicitur.

dicitur. Redeo ad monitum meum. Ut Charitatem DEI habere dignoſcamur, diligamus invicem: ut diligamus invicem, non triſtemur: ſed gaudeamus, ſed lætemur, ſed gratulemur de bonis alienis hęredes vitæ æternæ hoc pacto futuri juxta illud Oraculum: *Nos ſcimus quoniam tranſlati ſumus de morte ad vitam: quoniam diligimus fratres.*



CONTRA
ACEDIAM.

QUod temporis ratio & devotionis noſtræ admonet conſuetudo, paſtorali officio vigilantiam & ſolicitudinem in ſpiritualibus exercitijs, ſemper quidem at potiſſimùm his quæ Natalem Chriſti præcurrunt diebus ſervandam prædicamus. Sacras has Adventus Domini ferias illo Apoſtoli Capitulo auſpicati ſumus: *Fratres hora eſt jam nos de ſomno ſurgere.* Solenne eſt in ſacris literis effectum poni pro cauſa, uti hoc loco ſomnus pro torpore & pigritia quæ ſomnolentiæ mater eſt accipitur. Dum igitur Apoſtolus monet ut à ſomno expergiſcamur, vult nos ſtudio bonorum ſpiritualium, ex quo gaudium Spiritus Sancti naſcitur, ſolerter inſiſtere: omnem autem ſocordiam, ex qua deſideria & delectationes carnis in eodem capitulo recēſitæ procreantur, abijcere. Cui ut eo fortiùs reſiſtamus, (cætera enim vitia juxta Caſſianum fugienda, ſoli acediæ reſiſtendum) vivis coloribus depictam volo ſub oculos ponere adducturus ad ei ſe opponendum incitamenta.

Acedia, vel ut legit S. Thomas acidia inde ſui nominis trahit appellationem quòd per eam animus ad operandum reddatur acidus hoc eſt frigidus: acida enim frigida eſſe per experientiam novimus. A Divo Damaſceno dicitur eſſe triſtitia ita aggravans & deprimens animum ut ei nihil agere lubeat. A Divo Thoma cum communi Theologorum definitur eſſe triſtitia de bono ſpirituali, in quantum bonum ſpirituale eſt bonum divinum. Unde ex ſuo genere includit in ſe malitiam lethalis peccati: cōtrariatur enim charitati quæ fundat vitam animæ. Proprium quippe charitati eſt gaudere de bonis divinis; cùm acedia, ut dictum, triſtetur de ijſdem. Quia tamen omnis peccati conſummatio fit per conſenſum rationis, ſi motus acediæ non pertingat ad conſenſum eiuſmodi, ſed in ſola perſiſtat ſenſualitate laborioſam corporique moleſtam ſpiritualis boni conditionem exhorreſcente, venialem culpam non excedit. Quodſi ratio conſentiat in horrorem & deteſtationem ſpiritualis boni, carne contra ſpiritum prævalente; jam mortifero reatui anima innodatur. Inter vitia capitalia recenſetur. Capitale namq; vitium è mente Doctoris Angelici illud vocatur ex quo promptum eſt alia oriri vitia ſecundùm rationem cauſæ finalis. Sicut autem multa homines operantur propter delectationem, tum ut eam conſequantur: tum ex eius impetu ſeu affectu ad operandum permoti; ita propter

Acediæ definitiones.

2. 2. q. 26.

triſtitiam multa agunt vel ut ipſam evitent, vel eius pondere ad agendum prorumpentes. Cum itaque acedia triſtitia ſit, convenientiſſimè inter capitales noxas numeratur.

Cap. 10. in juvenũ doctrinali.

Alter Thomas, Kempenſem intelligo, non jam in abſtracto acediam, ſed acedioſum ſic deſcripſit: *Frater acedioſus quaſi ſemper infirmus: ultimus fere in omnibus locis & horis: otio & ſomno deditus: tarde ad opus venit: citò inde recedit. Pronus ad exitum: ſegnis ad reditum. lætus ad prandium, triſtis ad jejunium. Velox ad dormiendum, piger ad ſurgendum. Raucus ad cantandum, ſonorus ad confabulandum. Surdus ad obediendum, claudus ad laborandum.* Bella equidem pro pigro homine peroratio! Libet eam diligentiùs perſtringere. Acedioſus quaſi, ſemper infirmus; quia non eſt verè infirmus, ſed ſimulat jam catharri, jam febrium, jam variorum ſymptomatum doloribus ſe premi. Ultimus ferè in omnibus locis & horis: tardum mobile recte vocaveris. Otio & ſomno deditus. Nec mirum; otium enim & ſomnus beatitudo eſt acedioſi. Interrogat Martialis: *Vitam quæ faciunt beatiorem?* reſpondetq; ſibi: *Nox non ebria, ſed ſoluta curis. Somnus qui faciat breves tenebras.* In eandem cum dicto Poëta jurarunt ſententiam ignavi animi. Inſuper acedioſus pronus ad exitum, ſegnis ad reditum: ut in clauſtro retineatur, fræno opus habet; ut egreſſus redeat, calcari. Priùs illi vici & plateæ pererrandæ, prius luſtranda hoſpitia & ſepta civitatis acſi inſtar ædilium, curam publicarum ædium gereret. Lætus ad prandium, triſtis ad jejunium: totus namque brutalis eſt, & nonniſi brutales ſectatur oblectationes in edendo bibendoque ſitas. Velox ad dormiendum, piger ad ſurgendum: quoniam lectus nimium ipſi dilectus: mavultque Morpheo obſecundare quàm cælesti Orpheo illud occinenti: *Surge qui dormis.* Raucus ad cantandum, ſonorus ad confabulandum. Raucedo neſcio quo pacto divinum pſallentes aut recitantes officium afficit acedioſos ut laxis reſonare fibris laudes divinas nequeant, ſed duntaxat muſſent; hæc eadem extra rem divinam & dum Mileſiæ fabellæ miſcendæ aut ſcurrilia ultro citroque jactanda verba, captivos ſuos dimittit & ſonorè loqui permittit. Surdus ad obediendum, claudus ad laborandum. Meriſſimum idolum: aures habet & non audit præcepta monitioneſque Superioris: pedes habet & non ambulat dum greſſus ad laborem movendi. Egregia ſanè ignavi ſubiecti delineatio! Aliam ſi hæc non ſufficit accipite. Acedioſum, eiuſmodi informi ſpecie effigiavit nonnemo. Homo erat, ſtans in teſtudine, pennas aquilinas habens, thoracem inſtar trunci, roſtrum paſſerinum, aures aſini, os urſi triplici dentium ordine deforme: ad latus cornu ut vocant Poſtilionis appenſum geſtabat. In calce tabulæ appoſita trabalibus literis teſſera: *Vera effigies otioſi.* Nimirum piger homo teſtudineo ad divina incedit greſſu, ad corporis commoditates & oblectationes, ad lucella ſeu quæſtus ſectandos alatus eſt: aquilam crederes prædæ inhiantem. Dum ad vigilias matutinas ſurgendum vel quid aliud operis injuncti faciendum, truncus inſenſibilis: dum ſervandum ſilentium, inter angulos monaſterij garrit ut paſſer inutilis pippire & fruges conſumere natus. Auritus eſt: Midam Ovidianum vel rudens Baalami putes animal longis inſtructum auribus; multa enim libenter audit: & ut vicem rependat narrantibus fabulationes non ſicut lex Dei, multa loquitur imprudenter & impuden-

Acedioſi deſcriptiones.

Eggerer in anathem:

pudenter; actiones, mores, dicta aliorum ſuggillat & carpit: atq; ideo urſus ad lacerandos alios ſua ſponte & nemine urgente velox vocari poſſit. E latere illius pendet cornu Poſtilionis quia eſt novorum crepator & mendaciorum buccinator. En tibi vivis coloribus expreſſam veternoſi imaginem! Qui non videt aut non cognoſcit ex his deſcriptionibus gravitatem & malitiam inertis deſidiæ, *ita eſt quaſi cæcus in ſole cui nihil prodeſt ipſis locis oculorum eius tam claræ ac præſentis lucis fulgor infuſus.* Quia tamen conſuetudine umbrarum carnalium invalidam aciem mentis gerimus ut etiam clara tueri non facile queamus, ulteriori eam commonſtro lumine.

S Aug: lib: 1. de doctrina Spirituali.

Præterquam quòd morbus hic vitæ ſpirituali per ſuam cum charitate pugnam adverſatur, etiam vitæ animali hoſtis eſt. Vita namque animalis pendet à motu qui à corde in cuncta membra diffunditur. Hunc porro triſtitia impedit acediæ innata facitq; hominem inſtar ſtagnantis aquæ putreſcere. *Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus*, canit Ovidius. Nec mirum utrique vitæ noſtræ inſidiari matrem quæ filias non niſi mortis miniſtras procreat. Fætus fætentis huius matris eſt malitia, rancor, puſillanimitas, deſperatio, torpor circa præcepta, evagatio mentis circa illicita. Malitia tunc naſcitur cum quis adducitur in deteſtationem boni ſpiritualis: execrari enim divina, ſummæ malitiæ ſi non dementiæ eſt. Rancor, cum indignamur ijs qui nos ad ſpiritualia inducunt. Puſillanimitas, cum bona ſpiritualia quæ ſubſunt conſilijs, tanquam ardua & laborioſa fugimus. Torpor, cum ea nauſeamus quæ ſpectant ad communem juſtitiam qualia ſunt præcepta. Deſperatio, quando animum deijcimus ad aliquid conſequendum. Acedia enim eſt triſtitia deiectiva ſpiritus. Porro cum nimia deiectio in affectu hominis dominatur, videtur ei quaſi nunquam poſſit ad aliquod bonum relevari. Evagatio mentis circa illicita, cum quis propter mæſtitiam transfert ſe ad delectabilia exteriora. Quia enimverò nemo poteſt diu vivere abſque delectatione, ſi deſint ſpirituales illecebræ, quęruntur corporales, quales ſunt otio, ſomno, excurſionibus, luſibus, converſationibus, compotationibus & id genus actionibus vacare. Verè peſſima radix ex qua tales ſurculi prodeunt. Cuiuſnam non obſtupeſcant dentes ſi tam amaros acidoſque deguſtet fructus! Malitia, rancor, puſillanimitas, torpor, evagatio, deſperatio, quid hæc ſunt aliud niſi peſſima mala toxico animam interimente infecta? Talium pomorum ferax arbor, non eſt quid aliud quàm taxus venenata abieti ſimilis ſub qua etiam ſomnum capere non liceat niſi mox morituro.

Acediæ & filiarū eius effectus.

1.2. q.20.ar.4

Periculum proximæ ſpiritualis mortis & à Regno cæleſti excluſionis in acedia ſubeſſe, non modò natura eiuſdem ut vidimus, ſed & ſcriptura palàm facit. Proverbiorum 13. brevi ſed nervoſa pingitur oratione acedioſus: *Vult & non vult piger.* Effatum hoc ſibi ad ſpeciem repugnans plus habet de ſenſu quam de litera. Explicat illud Ludovicus Granatenſis in hæc verba: *Vult*, inquit ille, *piger cum intuetur virtutis pulchritudinē; non vult cum ſentit difficultates virtutibus annexas.* Ampliat expoſitionē ſuam diſcurſu eiuſmodi. Natura duas animali cuivis cōmunicavit virtutes ſeu potentias ad vitæ conſervationem: unam concupiſcibilem cuius eſt appetere omnia ad conſervationem vitæ neceſſaria; alteram irraſcibilem, cuius eſt reſiſtere omnibus huic conſervationi contrarijs. Potentiæ hæ etiā ad con-

Vult piger & non vult ideoq; regno cæleſti ineptus. In floribus de devotione.

ad conservationem vitæ spiritualis ut requiruntur ita & conferuntur. Acediosus monstro similis habet quidem concupiscibilem, quia vult appetitque sanctitatem; sed irascibilem non habet, quia non vult resistere difficultatibus atque impedimentis: cupit esse devotus, sed non vult orare: cupit tentationes vincere, non item pugnare: cupit esse justus, nec vult restituere: & alias virtutes sine quibus vita spiritualis haberi nequit, desiderat affectu, haud tamen utpote fastidiosus laboris procurat effectu. Nimirum tristitia in qua sitam esse monstravi acediam, aggravat pondereque suo deprimit hominem ne se interius exteriusq; moveat ad id quod appetit. uti expertus ille, qui missus ad purgandum excolendumve agrum, toties quoties ad opus pastinationis venit, præ mæstitia ex apprehensa operis impossibilitate prosternebat se ad dormiendum donec à superveniente patrefamilias monitus ut quavis die tantum terræ foderet sarriretque quantum jacendo occupabat, pusillanimitatem abiecit atque ita intra breve tempus perfecit negotium. Jam quomodo quis vitium aliquod superabit, qui vult quidem gratiam Dei, non vult tamen resistere vitio gratiæ divinæ inimico? quomodo assequetur virtutem, cui placet quidem virtutis dignitas at labor & sudor quo illa comparatur horrori est? quo pacto viam ad cælum ducentem permeabit quem delectant quidem cælestes deliciæ sed viæ asperitas & arduitas contristat? *Regnum cælorum vim patitur & violenti rapiunt illud:* dixit Christus. Sicut civitas muro vallata firmissimo, propugnaculis munita, milite, armis, pulvere pyrio, annonæ abundantiâ instructa, lento Marte expugnari nequit, sed per balistarum imbres, per fulmina tormentorum, per validas impressiones & impigros assultus, per continuos labores ac vigilias, denique per violentos impetus: ita regnum cœleste nonnisi assiduis affectuum ejaculationibus, nonnisi fervidis operibus & indefessis laboribus ac vigilijs perpetuaque cum hostibus pugna obtineri valet. Desidiosus autem non novit violentus esse qui ad id quod sibi rectum videtur, ægre se movet: & vult quidem occupare civitatem cœlestem, sed obsidionis molestias, labores, insomnia perhorrescit, mavultque interea stertere quando cęteri valido orationum ariete & potentibus meritorum catapultis muros cęlestes quatiunt. Cum allata & amplificata expositione coincidit illa quam adducit à Kempis: *Vult piger & non vult. hoc est,* ait ille, *vult bene comedere & bibere, & non vult laborare & jeiunare. vult diu dormire, & non vult cito surgere. vult fabulari & non vult vigilare & orare. vult alios dure corripere & non vult modicum sustinere. vult alios docere & non vult seipsum emendare. vult honorari & multa scire, & non vult libros legere. huic debetur virga & baculus nisi se emendaverit in prædictis defectibus.* Rectè sane virga & baculus pigro deberi dicitur, ubi per virgam leviores, per baculum graviores ac duriores monitiones & pœnæ designantur. Rectè inquam. servo enim contumaci & asino pigro cuius utriusq; naturam induit acediosus, virga & baculus in sacra scriptura intentatur. Fidelis sermo. vult piger tuburcinari, at nihil minus quàm laborare. vetus proverbium est: *Optimam habent labra lactucam asino carduos comedente;* isti verò de quibus loquor, aselli grossis offenduntur, delicatiora appetunt pabula. Vult marcidus diu dormire aut pandiculari tempusq; orationibus destinatum sub molli lodice vel sub turgente plumis pulvinari tra-

In Vitis PP.

In hospitali pauperū c. 4.

nari tra-

nari traducere; surgere autem ad matutinas preces aversatur. Vult fabulari atque intra fabulandum alios circulatrice lingua rodere, ipse verbum mordax non patitur. Gestit deferri sibi honorem, ipse alieni depeculator honoris. Promoveri desiderat, cùm sit bliteus & detrectet literas moresque discere quos gradus promotionis requirit. Rude perfectionis donari cupit, & recusat cum vitijs digladiari. At nunquid eiusmodi voluntas apta est Regno Cęlorum? Profectò motus iste voluntatis, non est vitalis sed mortalis breviq́ue secuturam mortem tanquam malus arterię pulsus indicat, uti indicavit in Eremita illo qui consummatissimus in omni genere virtutis & beneficio panis miraculosè apportari sibi soliti decoratus, in modicam primùm ex latenti superbia & gloriatione pigritiam, deinde in gravem oscitantiam & tædium rerum divinarum prolapsus, voluntatem suam firmiter antea bono incommutabili applicatam in velle & nolle divisit. Volebat quidem spiritualis vitę fructus, volebat serenitatem & iucunditatem rectę conscientiæ, sed rigorem prioris conversationis abhorrebat. Hinc factum quòd & gratiâ panis suavissimi privatus mucidam semper & à vermibus corrosam muscerdisq; conspurcatam collyram in spelunca sua sub horam refectionis reperiret, & quod deterius, in deliberatum fædę libidinis consensum proruens, pessima desperatione in sęculum abire cogitaret: perijssetq; citra dubium finaliter nisi à Domino qui erigit elisos, ad saniorem mentem reductus fuisset. Etiam Ægistum veteres memorię prodiderunt ex sola desidia gravissimis implicatum sceleribus: *In promptu causa est; desidiosus erat.* In vitis PP. Ovidius.

Et verò merces æterna tanti est ut pro ea impigrè laboretur. In Canticis *cap.* 5. manus Christi dicuntur tornatiles aureæ plenæ hyacinthis, ad designandum quòd opera Salvatoris nostri non inerter & languide fiebant sed ferventer & intensè ad instar operis quod in torno circumagitur: ideoque meruerunt hyacinthis ornari, id est dispensationem æternę retributionis à Patre obtinuere. *In expositione sacræ scripturæ* ex monito D. Augustini *non debemus hæsitare quando à capite ad corpus, hoc est à Christo ad Ecclesiam vel à corpore transitur ad caput.* Ad nos ergo ex quibus corpus Christi compaginatur derivo sermonem. Aurum, hyacinthus, Tharsis, (nam hebraica lectio loco *plenæ hyacinthis* habet *plenæ Tharsi*) symbola sunt æternæ beatitudinis, quam Christus Dominus usq; adeo æstimavit ut pro ea nobis promerenda de labore ad laborem, de fatigio ad fatigium velut in torno volui ac revolui voluerit. Hoc auro ditabimur, hyacintho ornabimur, Tarsi donabimur, si modo manus tornatiles habeamus, hoc est, si operationes nostræ non fuerint flaccidæ & segnes sed veloces & velut in torno currentes. Ac ne longius evager, vna eademq; Christi & nostris actionibus si fervidè peragantur promittitur merces. *Modicum nunc laborabis*, ait quidam, *& æternam requiem imò perpetuam lætitiam habebis.* Desiderio retributionis cælestis erexit deficientem animum anachorita ille qui longo loci intervallo in portanda suis usibus aqua fatigatus mansionem aut puteum mutare destinarat mutassetq́ue nisi ex visione Angeli gressus suos fideliter numerantis & in ephemeride annotantis, ad tornum laborem suum reduxisset, imò duplicasset. Eadem cogitatione & amore mercedis supernæ absumebant in se torporem ingentia illa nomina, Pauli, Antonij, Hila- Motiva resistendi acediæ. im. De doctrina Christiana. Thom: àKem:

2dùm. nij, Hilariones, Francifci, Bernardi, Dorothei, alijque innumeri qui cum David inclinabant cor fuum ad faciendas iuftificationes propter retributionem. Aft quia *fegnius irritant animum demiſſa per aures quàm quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus*, afpice exemplaria folertię oculis tuis obvia, fratres nimirum tibi conviventes & in opere divino ferventes turpeq; exiftimabis in fancto negotio pigritare ubi cæteri incipiunt DEO jubilare: aut fi tam ferreus es ut non moveare fervore fratrum, *vade piger ad formicam*. Vade & vide formicarum gregem angufto calle fervere, ferre maiora onera quàm corpora. Vide ut aliæ herbarum femina forcipe oris trahunt, aliæ egerunt humum foveis & aquarum meatus aggeribus excludunt: illę venturæ hyemis memores ne madefacta humus in herbam horrea vertat, illata femina pręcidunt, hæ luctu celebri corpora defuncta deferunt: quodque magis mirum eft, in tanto agmine egrediens non obftat intranti, quin potius fi quam viderint aliæ fub fafce & onere concidiffe, fuppofitis humeris adiuvant. Ex pulchro hoc formicarum fpectaculo Malchus captivus Monachus tefte D. Hieronymo recordatus Salomonis ad formicarum folertiam nos mittentis & pigras mentes tali exemplo fufcitantis cępit tædere captivitatis, & monafterij cellulas quęrere ac formicarum in laborando fimilitudinem defiderare. Vade infuper ad apum alvearia & vide quomodo mellificæ virgines non tantùm diligentiffimè labores fuos peragunt, fed etiam *ignavum fucos pecus à præſepibus arcent*. Fervorem apum imitata Sancta Cęcilia quafi apis argumentofa Domino deferviebat.

3tiùm. Ad fpiritus agiliores excitandos acre calcar habet gloria. Dicit enim Cicero libr: 1. de officijs, *vix invenitur, qui non quaſi mercedem rerum geſtarum deſideret gloriam*. Quare haud puto humanitatis & divinæ portionis habent quidquam defidiofi, qui non cæleftis gloriæ,at ne humanæ quidem ad præclara facinora cafta moventur cupidine, naturalibus ad honeftatem obluctantes igniculis. Et circa intelligibilia & circa agibilia dum fegniter torpent, nihil nifi confufionem & improbam perfonam fibi procurant. Quis namque eos dignetur honorifico teftimonio, qui exempli gratiâ, Judicis, medici ac Magiftri fpiritualis locum officiumque tenentes naufeant in lectione librorum, calamum ponere in charta erubefcunt, difcere aliquid ex fcripturis faftidiunt, interrogare aut conferre de divinis & ad facerdotalem ac Chriftianam eruditionem pertinentibus rebus negligunt; cum tamen ex Apoftoli fententia quilibet eorum potens effe debeat exhortari in doctrina fana & contradicentes revincere, omnique pofcenti fatisfactionem dare: quod certè non va-


Eggerer. lebunt illi, qui tardi ad librum, alacres ad liberum; facundi ad vitra, muti & hallucinantes ad obiecta totam latinitatem ac fapientiam fuam in duabus dictionibus, *offero & proficiat* conftituunt ut rectè ipfos vocare poffis magna animalia, parva rationalia. Quis item illos æftimet oris alieni dignos fuffragio, qui ad agibilia vel Superioris juffione vel officij fui conditione vocati, mille excufationes negligentiæ focias obtendunt: & jam corporis malam habitudinem, jam temporis defectum, jam impedimentorum variorum occurfum, jam vocationis fuæ non ad actionem, fed ad contemplationem naturam allegant, novi Euchitæ aut

Excuſationes pigrorum. Quietiftæ quibus folùm quiefcere non laborare libeat. Audias fępius ab illis: Non vacat mihi hoc aut illud agere. vires corporis imbecillæ non

læ non sunt pares oneri. quid si incepero & non perfecero, explosionem hominum non effugiam? nunquid Mathusalem annos vivam ut me curis emaciem tantæ æternitati profuturis? nec divinus sum ut futura sciam contingentia: ignoro quid serus vesper vehat, aut quid superventura dies, quid superventurum Capitulum pariat: fortasse laborem meum nova rerum mutaret vel interrumperet facies? hæ sunt pigrarũ mentium quæ nullo honesti decoriq; ducuntur amore, quotidianæ cantilenæ. Typotius famam specie juvenis alati depinxit adiecto lemmate: *Nil moror ignavos.* id est non curo pręter eo desides intertesque homines nec quidquam moror apud ipsos. Nimirum pigritia exulat ubi *Virgil:*
fama regnat. hęc enim *non torpere gravi patitur sua regna veterno.* Porro ex celebritate nominis uberes cuivis fructus spirituales nascerétur; scilicet Deus glorificaretur, homines proficerent in bono, ipseque strenuus operator studeret in honestis exercitijs perseverare, atque ad meliora progredi: propter quos fines laudabile utileque esse appetere & quærere gloriam humanam apud S. Thomam invenio. *2. 2. q. 132. art: 1. ad 3.*

Ergo agite si qua virtus, si qua laus fervoris, si quis amor mercedis divinæ necnon boni nominis quod pręstat divitijs multis, excutite torporem, expergiscimini, evigilate de somno. Hora enim est nos de somno surgere. Si quando certè nunc hora est devotisandi, opus divinum non fraudulenter, non negligenter, sed fervide & reverenter faciendi, impigre ad antelucanas surgendi orationes & longiorem somnum Endymionibus relinquendi. *Nunc hora est quam tibi ad agendam pœnitentiam, ad obtinendam veniam miseratio Conditoris indulsit. Nunc tempus est quo divinam tibi repropitiare pietatem, properare ad Angelicam societatem, suspirare ad amissam hæreditatem, excitare remissam voluntatem, flere commissam iniquitatem & potes & teneris.* Erit quando hora hæc pręteribit; labuntur enim sensim sine sensu, & fugiunt fręno non remorante dies. Nunc igitur tempus pretiosum illudque incertæ durabilitatis non sinas inerti desidia elabi, ne sero ingemiscas te acceptabile tempus, horam gratiæ lucrandæ, diesque salutis perdidisse. *D. Bernardus*

FINIS.



❧ :)(✝)(: ❧

ERRATA TYPOGRAPHICA.

Pagi:	*Verſus*	*Erratum.*	*Correctum.*
4.	38.	diſcrepant	diſcerpant
5.	3,	epiphaniarum	epiphaniorum
6.	38.	gratiſſima	gratiſſimum
9.	39.	terra nomine	terræ nomine
17.	7.	inſtitutores	inſtitores
	14	elegebant	eligebant
18.	11.	adeundo adhibendo	adeunto adhibento
	16.	inflecti	infecti
	43.	incerte	incertæ
19.	9.	perfecenis	perfectionis
	ultimo	veſtem	veſtimentum
20.	7.	veritatemq;	virtutē veritatemq;
	37.	ob Chriſti	ab ortu Chriſti
	40.	ad eum devotio	ad locum devotio
21.	27.	Deo eo	De eo
	39.	ſi explicatam	ſic explicatam
	13.	Cum	cum
22.	11.	gemma	gemmæ
24.	14.	ſanctis	ſanctos
	28.	ignoſcere	igneſcere
28.	36,	tardidit	tradidit
34.	38.	Plini ;	Plinij
	15.	epera	opera
36.	28.	Dei	Dij
38.	7.	quod	quot
39.	13.	ſatisfaceret	ſatisfuerit
40.	3.	evadet	evadat
43.	32.	quindecem	quindecim
44.	13.	obſtruſa	abſtruſa
54.	17.	intellexerūt. Hebræi	intellexerūt Hebrei
	penul:	mulierem	mulierum
63.	36.	ſacrophaco	ſarcophago
90.	12.	novorum	& novorum
91.	14.	per vitam	per viam
	40.	drupſace	dropace
93.	27.	ſuper aquas	ſuper quas
101.	28.	Cauſa	Caſſa
102.	41.	Cantitabunt	Cantitabant
	28.	ut hîc	ut in alijs ita hîc
132.	19.	tempus	tempus, tempus
135.	2.	affectus	effectus
136.			

Pag:	*Ver:*	*Erratum.*	*Correctum.*
	28.	innumerata	innumera
146.	45.	ipſius	ipſis
155.	46.	ſtipulatq;	ſtipulaturq;
158.	12.	Cauſa	Clauſa
163.	4.	perinſtromatib9	periſtromatibus
240.	27.	Exaltat humilia-(bitur	humiliat exalta-(bitur
247.	36.	culto	cultu
249.	27.	ingredi	egredi
	41.	obiectione	abiectione
250.	30.	diſpar	non diſpar.
	33.	jubemur	jubentur
252.	12.	quod	quot
	26.	Non	Nos
255.	37.	turbucinandum	tuburcinandum
281.	18.	manductione	manu ductione
	26.	alijs	alij
284.	8.	quaternione	quaternio
293.	16.	ſagicitate	ſagacitate
299.	45.	abominales	abominabiles
300.	21.	auſculanti	auſcultanti
305.	39.	reſpicit	proſpicit
309.	24.	felix	filix
	25.	ſarriotiove	ſarritione
	27.	vitari	vitiari
310.	28.	pervitioſis	pernitioſis
314.	47.	de nomine	de nemine
316.	38.	ſe	ſed
319.	20.	non	nos
321.	1.	percipimus	percepimus
	35.	in juſta	iniuſta
	40	in cubando	incubando
326.	47.	hecatambe	hecatombe
327.	11.	acre	arce
328.	10.	medijs,	medijſq;
	24.	ingenteque	ingenteſque
329.	1.	malitiæ	militiæ
	7.	certamenta	certamina
339.	32.	evoparatione	evaporatione
341.	46.	faciemus	facimus
342.	46.	conſiſcere	conſciſcere
	48.	quidem	quidam
348.	43.	marceſcat	macreſcat

Hos aliosvè errores ut typo adſcribas, Martialis epigrammate te convenio. Amice Lector,

Si qua videbuntur Chartis tibi Lector in iſtis
  Sive obſcura nimis, ſive latina parum,
Non meus eſt error: nocuit librarius illis
  Dum properat verſus annumerare tibi.
Quod ſi non illum ſed me peccaſſe putabis
  Tunc ego te credam cordis habere nihil.

Lib; 2. Cap: 7.



INDEX

RERUM & VERBORUM NOTABILIORUM.

A

B

C

D

Discretio

E

F

G

H

Hortus

Peccati




Biblioteka Jagiellońska
stdr0019688